


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUEL
6
6 F
7



F. A. D. N. V.
CONSVLTATIO
de principatu inter pro-
vincias Europæ.
Editio quarta
prioribus auctior:
opera
THOMÆ LANSII.
Orbis captivus.
victa barbaries.
TVBINGÆ
typis Brunnianis.
A. C.
CIↃ.IↃCXXXV.
Lucas Kilian. sculps.







ROMANORUM



IMP. CÆSARI AUGUSTO,

DN. MATTHIÆI,

REGI GERMANIÆ,

Hungariæ, Bohemiæ, &c.

Austriæ Archiduci, &c.

Principi Optimo Maximo:

FRIDERICUS
ACHILLES,



DUX WÜRTEMBERGIÆ,
cum devota humilimi obsequii testificatione perennem felicitatem precatur.



Ellem, IMPERATOR, *si rerum natura pateretur, ut in ævum nostrum veniret Xenophon Atticus, qui ad Cyri virtutes exequendas votum potius, quam historiam commoda-*

vit; cum diceret, non qualis ille esset, sed qualis deberet esse: utque is in te, pro amplissimæ expectationis ab omnibus Imperii Ordinibus de te conceptæ modo, præsens coram mox cerneret mecum; quod in Cyro suo forsitan optare tantum, sed videre potuisset nunquam. Dedisti enim jamdudum, & quidem nondum Imperator, ea bonitatis & virtutis exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas; & si fieri posset, adscribi sibi voluisset antiquitas: ut, nisi Imperatoriam dignitatem Archiducali postponere velis, hodie in supremo hoc honorum solstitio non possis non Romanorum orbem lumine meritorum collustrare, si non majori, certe non minori. Ideoque plena

plena sunt votis omnia, votisque pro tua salute conceptis: & nullus est in Imperio Romano locus, quem tui veneratio non occupaverit. Vnus jam est in ore omnium Matthias; *majestate* Imperator, *potestate Rex, virtute* Princeps, Avgvstvs *sanctitate, indulgentia* Pater; *& mente ista aurea unus omnibus omnia* Matthias. *Vtinam, humanissime* cæsar, *(non enim abnuit mansuetudo tua, ut præter Imperatorias virtutes privata appellatione lauderis) utinam vero ire possem per omnia felicitatis tuæ cognomina; quæ tum rerum gestarum gloria tribuit, tum fortunæ munificentia concessit; & adhuc amplius cælestis meditatur favor:*

ſed quoties id cogito ſaltem, vincor magnitudine, & redigor ad ſilentium; non vana tamen perſuaſione imbutus, omnes alios prius defeſſos futuros te celebrando, quam tu laudibus digna faciundo: cum & admirabilis naturæ tuæ benignitas ita velit, & cumprimis ſuprema Chriſtianæ Reip. neceſſitas hoc tempore urgeat, ut non unum aliquod bonum uno die præſtes, ſed indulgentias ſeculares per ſingula horarum momenta multiplices; nec ſolum efficias, ut bona, quæ confers, caduca ne ſint; verum etiam proſpicias, ut mala, quæ adimis, ne poſſint eſſe recidiva.

Quemadmodum autem tuam Majeſtatem acriori ſemper animi

ſen-

sensu humiliter veneratus sum: ita sedulo occasiones captavi hactenus; quibus si non officium cumulate explere, qualemcunque tamen adfectus devoti significationem dare possem; usque dum voluntati paratissimæ aliquando par responderet facultas. Et dum nuper admodum in CONSVLTATIONE *quadam cum cognatis meis, inclytis Ducibus Saxoniæ, & Slesvici-Holsatiæ, & fratre meo Magno; aliisque, qui in Consilio erant, Baronibus & Nobilibus, longe lateque exspatior per*

terrasq; tractusq; maris, cœlumq; profundum;

& deprehendo, in toto terrarum orbe nihil Europa præstantius; & in Europa nihil Germania nobilius; & in Germania nihil IMPERATO-

RE MATTHIA *augustius reperiri: hoc ipsum in argumentum arripere volui, quo ostenderem; me nihil non summum, ac potius divinum, de te semper concepisse; prædicatione parem debitæ tibi laudationis ambitum comprehendere non posse; proque tua salute, incolumitate, & gloria omnia quæque facere velle.*

Mitto tibi igitur, sacratissime IMPERATOR, CONSULTATIONEM *illam: quanquam subvereor, ne rem leviculam & Cæsareo numine indignam mittam importunus: & tamen, quæ tua in illo fastigio humanitas est, chartas illas, humilimi obsequii & fidei constantissimæ tesseram non aspernaberis. Atque ut sol radios suos in lo-*

ca etiam scabra jacit, nec detrimentum accipit: ita non ægre feres, si augustißimi nominis tui præscriptione & exilibus quibusdam summi splendoris tui stricturis, CONSVLTATIO *illa, & una* ILLVSTRE *hoc* COLLEGIVM, *in quo ista habita est, illuminetur. Nec longiori verborum circumductione tuam facilitatem jam fatigo, adeoque præclare de te sentiendo, quam verbose loquendo hic copiosus esse malo.*

Ego vero, DOMINE, *me & totam meam familiam Wirtembergicam Cæsareæ tuæ gratiæ etiam atque etiam commendo;* DEVM *omnibus precibus orans obtestansque, ut te cum Augusta Conjuge generi humano incolumem ac florentem con-*

servet; & sic fortunet, ut non solum liberis beatus Posteritati tuæ diu interesse, verum etiam sanctissimas omnium Ordinum acclamationes & benedictiones, moderati justique imperii testes, tecum in sepulchrum (o sero hoc eveniat) & in cælum ferre olim possis. Ex Illustri Collegio, Tubingæ;

ANNO CHRISTI,

CIƆ IƆC XIII.



Sere-



Sereniſsimo Principi,

JOHANNI FRIDERICO,

DVCI WIRTEMbergiæ & Tecciæ;

COMITI MOMPELGARDIÆ; DYNAſtæ Heidenhemii, &c.



UOD FORE PRÆdixeram, Sereniſſime Princeps; ut CONSVLTATIO *de principatu inter provincias Europæ*, auſpiciis CELSITUD. T. fratris, inclyti Principis, FRIDERICI ACHILLIS *Ducis Würtembergiæ*, ante annos aliquammultos in Illuſtri Collegio

legio habita, tot & tam adversa subiret judicia, censurasque pateretur invicem valde pugnantes: id vero experientia docuit postea exemplis, & frequentissimis, & sane luculentis. Erant enim non solum in hac nostra Germania, sed & extra eam, magni Principes, aliique summates viri præcipuæ dignationis & eruditionis edecumatæ; qui scriptum illud invidendis exornabant elogiis: ob quem honorificum applausum & ipse mihi quoque tacite gratulabar; a tantis nempe humani ingenii decoribus probatum fuisse, quod a me tantulo venisset. Nam quædam scintilla sapientiæ est, virtutum luminibus applicari. E regione autem erant alii, qui album calculum aversati in alia omnia ibant. Et quidem Romæ purpurati Patres, a Paulo V Papa censendis & expurgandis libris auctorati, CONSULTATIONEM nostram, cum aliis bonæ monetæ libris, e Reipublicæ literariæ confinio omnique hominum commercio, quantum in ipsis fuerat, pœnali decreto proscribebant; offensi, credo, liberæ subinde, sed non immaturæ sententiæ in Romanos errores objectu. Scilicet quemadmo-

admodum purpura, colorum pulcherrimus, iritare tauros ſolet: ita Papales illos cenſores ſincerior & a ſuperſtitionis tyrannide vindicata Religionis profeſſio aliquando ſic rapit in tranſverſum; ut carpant non carpenda, damnent non damnanda; nonnunquam etiam pluris juges blanditias & lucroſas adulationes, quam animas ſuas, majoris Favonium Vaticani cœli, quam auram gratiæ Chriſti faciant. Quanquam tam vehemens ſacræ illius Cardinalitiæ Congregationis ſeveritas nihil inſolitum peccavit. Scimus enim & olim Marcellorum monumenta ſublata fuiſſe Verre Prætore; & Marianis trophæis invidas manus nequaquam peperciſſe. Quinetiam intra ipſos Germanici Imperii limites non deerant Ariſtarchi, qui in CONSULTATIONEM adfectum effunderent parum benignum: nec contenti privati odii, quod a ſolemnibus ſectarum divortiis ortum, ambitioſis ac diſſenſus impatientiſſimis ingeniis incrementa debet, ſtimulis; niſi etiam ſumma rerum & mitiſſima capita ad damnatorium ſtylum perperam laceſſere conarentur: quaſi no-

ctuæ

ctuæ ferendæ lucis disciplinam Aquilis tradere; aut homines, nescio qua doctrina imbuti, certe præjudicio occupati, candidum & intemeratum judicium præscribere, & sine accurata causæ cognitione legitimam sententiam ferre possent. Verum enimvero, quæ tua est, Serenissime Princeps, in Principali fastigio admirabilis facilitas cum pari æquitate conjuncta, opportune intercesseras, & singulari temperamento ostenderas; pravas quorundam suggestiones a mente & candore eorum, qui in CONSULTATIONE partes aliquas sustinuerant, procul procul admodum abesse: nec deferre quicquam posse, quod summi culminis indignationem mereatur. Quod tuum perillustre factum, & patrocinium tam nobile sic sponte susceptum, exaggerarem prolixius; nisi verba rebus essent minora, nec magnitudo tanti beneficii vires facundiæ meæ longissime supergrederetur. Ac licet alioquin fructum rationemque virtutis in sola conscientia quærendam esse noverim, neque moror inania titulorum; quandoquidem & priscis temporibus statuæ multis

tis tribuerentur, qui nihil habebant admirandum: ſi tamen ullus honor publici teſtimonii mihi affectandus foret, excelſo tuo judicio confidenter niti poſſem; vel fidicinis illius exemplo, qui indignatus conſidentium turbam, ſibi & Muſis cantum ciebat; vel ſecundum Heraclitum, qui ſummam laudis arbitrabatur placere uni, ſi eſſet optimus, qui probaret. Atenim, qui ſolvendis & agendis gratiis par eſſe nequeo, faciam jam nunc, quod ſolent improbi debitores, qui adhuc alieno ære depreſſi, cupiunt ſecundo nexu fœnoris obligari.

Quare, Sereniſſime Princeps, hanc novam, & toties e multis locis, a me efflagitatam CONSVLTATIONIS editionem, ad S^mæ CELSITVD. T. aram humiliter depono, ſupplici prece obteſtatus; ut librum ſemel abs te in tutelam ſponte acceptum, etiam poſthac potenti tuo patrocinio complecti ne dedigneris: quà ſumma gratia cæteris tuis multo maximis & immortalibus ſæpenumero mihi collatis beneficiis hic accedet cumulus & titulus ad numerum, qui ſolus quamlibet voti avaritiam explere poſſit. DE-

VM

VM veneror, Serenissime Princeps, ut CELSITVD. T. largiatur prosperos etiam supra vota successus: quo cœlesti fœcundi matrimonii benedictione dives, sancta liberorum indole & præclarissimis ornamentis lætus, gloria rerum gestarum inclytus, & omnibus omnino corporis, animi, & fortunæ bonis beatus, hanc incomparabilem posteritati laudem relinquere queas; ut, quæ in prælustribus majoribus valuerant aliis magnatibus olim in exemplum, eadem in te conjuncta, imo & istis ampliora, filii ac nepotes suspiciant, sectentur, & tanquam hæreditaria Principalis Domus oracula commendent seculis futuris. Scripsi Tubingæ, ipsa Dominica LÆTARE, Anno Christi, cIↄ Iↄc xx.

Serenissimæ CELSITVD. T.

vel priscæ soldurioru͂ lege devotus

Thomas Lansius.

PRÆ-



PRÆFATIO AD LECTOREM.

IBit CONSULTATIO illa haud dubie multorum in manus: & vix a quoquam, aut oppido paucis, abibit sine censura. Vt enim hodie mores sunt; omnes sapiunt, omnes censent. Et quidem sicuti nonnulli ad rerum dijudicationem prudentissime attemperant candorem & animi dexteritatem; quam cum præclara & solida scientia eleganter miscent: ita bene magna censorum pars affert judicium, sed quod jam ante sit præjudicii atque adfectus mancipium; aut, quod ignorantiæ proprium est, plane nullum. Illos primos autem, quia ingenue monent & docent, nemo sanæ mentis vereatur, quin potius revereatur; nemo calumnia persequatur ingratus, sed omni laude gratus prosequatur. Et cur aliter? Cum optimus & gravissimus quisque confiteatur, se multa ignorare, & multa cottidie sibi etiam atque etiam addiscenda esse: & inprimis Divus Imperator Iustinianus, imbecillitatem humanam operibus

 homi-

hominum naturaliter inesse, *majorum oraculo egregie confirmet isto*: Omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, Divinitatis magis, quam mortalitatis esse. *Atqui alteros, quia rei modici, audaciæ immodici, inania tantum crepant, & forte syllabas & tertiata verba inepte fringultiunt, nemo cordatus moretur. Vt corvus, aut graculus, id solum, quod didicit, crocitat aut garrit; si convitia docueris, convitiabitur, diebus ac noctibus perstrepens maledictis; hoc illi carmen est, hanc putat cantionem; & ubi omnia, quæ doctus est, maledicta percensuit, denuo repetit eandem cantilenam: sic illi Chorœbi critici suarum sunt prodigi nugarum. Quemadmodum tamen levissima maris ejectamenta ubique litorum ventis expelluntur, salo expuuntur, tempestate reciprocantur, tranquillo deseruntur: ita quoque illi sine judicio judices ubique sunt frustra; ubique, apud bonos certe, (de aliis ne manum verterim) sperati applausus ferunt repulsam. Verum, quicunque es, mi Lector; ut de inclyti Principis mei*, FRIDERICI ACHILLIS, *Ducis Würtembergiæ, &c.* CONSULTATIONE *judices, quod æquius melius: hanc monitiunculam a me cape.* CONSULTATIO *illa*

l. 2. C. de Vet. j. enuc.

illa non est SCtum aliquod Romanum, nec aliqua S. R. Imperii sanctio, quæ jubeat & definiat sine provocatione: sed est libera de moribus, ingeniis, & indole plerarumque Europæ provinciarum dissertatio; quæ nisi calculum utrumque, album & nigrum, ad rationes conferat, parum justa videri possit; ut propterea in nationum prærogativis vere æstimandis, & principatu inter ipsas recte decernendo, singularum non laudes modo, sed & vituperia necessario audiendum sit. Quare sicubi in unam aut alteram Orationem incideris, Lector, adfectus tuos frenis cohibe, nec statim omnia proba, aut etiam damna; sed judicium tantisper suspende, usque dum CONSULTATIONEM *legeris & intellexeris totam; adeoque Celsi excelso ingenio ICti regulam memoria subinde repete, qui* incivile esse *dicebat*, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere. *Quod si nihilominus tamen ex vario tot Orationum argumento præter omnem meam exspectationem offensiuncula in animum irrepserit tuum; etiam tunc humanitati, quæso, aliquid tribue; & mihi bona fide asseveranti accrede, nulli omnino Principum, Baronum, Nobilium, quibus in* CONSUL- l. 24. ff. de LL.

TATIONE *istæ partes dicendi obtigerant, unquam venisse in mentem, ullam nationem aut populum dicteriis arietare, & contumeliosè lacessere: cum illis omnibus in quacunque sententiarum discordia hæc summa sit concordia, hæc sola æmulatio, & hoc unum certamen, quisnam eorum cognatas & consanguineas gentes quasvis diligat magis; atque dum supremis medullitus viribus contendunt universi, & singuli vincere conantur, vincitur nemo. Neque vero etiam, Lector, illam multiplicem opinionum diversitatem, & tot sensus veluti Proteos, in hoc illustri Principum juventutis florisque Nobilitatis Germanorum conventu propositos, in popularium nostrorum ignominiam trahe, aut prorsus detestare. Ecce tibi par versuum; quorum alter* bonorum, malorum *alter exhibet catalogum:*

LEX, REX, GREX, RES, SPES, IUS,
THUS, SAL, SOL, (*bona*) LUX, LAUS;
MARS, MORS, SORS, FRAUS, FEX,
STYX, NOX, CRUX, PUS, (*mala*)
VIS, LIS:

Ecce inquam, par versuum: qui singuli, si vox Bona, *aut* Mala, *ad Dactyli constitutionem in regione quinta sedem figat perpetuam,*

ruam, toties cæterorum undecim *vocabulorum transpositionibus sunt mutabiles; ut sensu, perspicuitate, & Heroici carminis integritate semper salva & eadem permanente, collocatione autem & ordine verborum semper apparente alio, variari possint, vicibus* undequadragies millies mille, & nongenties sedecies mille, *atque insuper* octingentis: *quod characteribus arithmeticis barbaricis sic exprimitur,* 39916800. *Ingens profecto in unico versiculo variationum multiplicatio: & quæ, si in scripturam redigenda sit, expeditum scribam, licet rapido calami ductu singulis diebus vel mille ac ducentas variationes illinat chartis,* totos annos nonaginta unumque, & dies quadraginta novem, *strenue & sine induciis sit exercitura. Et hæc omnia tam sunt certa, quam est indubium, ter tria esse novem. At vero si unicus versiculus in tot & tot myriadibus variationum sibi constare potest: quidni etiam in hac inenarrabili humani ingenii amplitudine, & infinita fere specierum comprehensarum copia, aliquis dissensuum Euripus, sine ullo tamen virtutis detrimento aut injuria aliqua, concedi ferrive possit? Vt igitur inter omnes homines summa est formarum exter-*

 nique

nique adſpectus convenientia, quantumvis facie ſimilimi quoque ſint diſſimiles: ita in hoc Illuſtris Collegii Conſilio omnium ad veram gloriam par eſt ſtudium, ad charitatem omnium æqualis eſt propenſio; etſi ſinguli inter ſe ſe aliquibus opinionum aut ſententiarum diſſidiis aliquantulum diſcriminantur. Deſino Lector, & tibi nomina cunctorum, qui CONSULTATIONI *vel præfuerunt, vel interfuerunt, edo: ut uno quaſi intuitu cognoſcas omnes.*

Wolf-

Sed unum adhuc, Lector, es obiter admonendus mei cauſa; ut ne ſiniſtre nimis opineris, quaſi illa pene innumera unius & alterius Vertumnalis (ut ſic nominem) καὶ πολυτρόπου verſiculi variatione, cujus ſupra mentionem feci, tibi ludos facere voluerim. Non ita ſoleo. Et videſis atq; expende illam, quam proxime hic tibi ob oculos pono, tabellam. & calculum: niſi prorſus es ἀναίσθητος, rem prima fronte vix credibilem illico credes, & in iſta levi demonſtratione non invitus acquieſces. Salve vero ita, & vale, mi Lector.

Lex

Lex.

unitatis non est variatio.

1

Lex. Rex.
Rex. Lex.

duarum transpositio.

1
2

2

Lex. Rex. Grex.
Lex. Grex. Rex.
Rex. Lex. Grex.
Rex. Grex. Lex.
Grex. Lex. Rex.
Grex. Rex. Lex.

trium vocum transpositio.

2
3

6

Lex. Rex. Grex. Res.
Lex. Rex. Res. Grex.
Lex. Grex. Rex. Res.
Lex. Grex. Res. Rex.
Lex. Res. Rex. Grex.
Lex. Res. Grex. Rex.
Rex. Lex. Grex. Res.
Rex. Lex. Res. Grex.
Rex. Grex. Lex. Res.
Rex. Grex. Res. Lex.
Rex. Res. Lex. Grex.
Rex. Res. Grex. Lex.
Grex. Lex. Rex. Res.
Grex. Lex. Res. Rex.
Grex. Rex. Lex. Res.
Grex. Rex. Res. Lex.
Grex. Res. Lex. Rex.
Grex. Res. Rex. Lex.
Res. Lex. Rex. Grex.
Res. Lex. Grex. Rex.
Res. Rex. Lex. Grex.
Res. Rex. Grex. Lex.
Res. Grex. Lex. Rex.
Res. Grex. Rex. Lex.

quatuor vocum transpositio.


6
4

24

24	
5	
120	quinque voces transponuntur toties.
6	
720	sex voces toties.
7	
5040	septem voces toties.
8	
40320	octo voces toties.
9	
362880	novem voces toties.
10	
3628800	decem voces toties.
11	
3628800	
3628800	
39916800	undecim voces toties.

EPHORUS

Illustris Collegii,



JOANNES JOACHIMUS A GRüENTHALL,

OMNIBUS LITERATÆ TUbingæ ordinibus

S. P. D.

TAM INIMICO, ET atroci omnino in literas animo, bene multi in cunctis hominum ordinibus sunt hodie; ut in perniciem earum Catilinariam iniisse conjurationem, aut Sicilienses vesperas minitari videantur: cum etiam possessionem literaturæ, vel levem tantum, cum Nobilitatis læsione conjunctam esse extemporali garrulitate calumnientur; atque literatos ipsos compositis ad despectum dicteriis procaciter insectentur. Nimirum inter homines nihil tam est sanctum, quod illi vir-

tutum sandapilarii, & bonæ mentis tortores, sacrilego non contaminent ore; nihil tam honestum, quod non furialiter allatrent; nihil tam pulchrum, quod improbe non commaculent. Nimis autem in multis Christiani orbis regionibus late grassatur malum istud, & est veluti epidemia missæ in publicum nequitiæ pestis. Sicque vacant virtutes, & vitia occupatißima sunt: & cum olim apud Romanos Decembri mense tantum fuerint, hodie toto anno, anno autem? fere dixerim toto seculo sunt Saturnalia. Quin ut in servo fuga est species cujusdam libertatis: sic in multis, meri tituli sunt species cujusdam virtutis.

Verum uti Germania nostra ab illa barbarie est remotior: ita clarißima hæc Tubinga inprimis sapientiæ fortiter adhæsit semper, deditque exempla in omni ætate & ordine, quæ instruere, erudire, & excitare posteritatem possint. Tantarumque laudum ingressuri vestigia florentissimi & magnanimi Principes, lectissimi Barones, & cæteri juventutis nostræ primores ex Nobilium tribu, qui in illustri Collegio vivunt; cum exploratissimum haberent, non magis armis quam literis Rempub. ornari juvarique; & literas esse, quarum præsidio nemo non cum Vlysse specus Cyclopis secure in-

re introeat, sed egrediatur; solis boves videat, sed abstineat; ad inferos demeet, sed ascendat; Scyllam præternaviget, nec abripiatur; Charybdi conspiciatur, nec retineatur; Circes poculum bibat, nec mutetur; ad Lotophagos adeat, nec remaneat; Sirenes audiat, nec accedat: illi, ut studium de bono publico præclare merendi suum testarentur publice, Consultationem literaria repub. cum maxime dignam, ductu magni Principis, Domini FRIDERICI ACHILLIS, *Ducis Würtembergiæ, aliquot proximis diebus habere constituerunt: & quam cras, septima hora antemeridiana, loco solito, cum bono Deo auspicabuntur. Ad eam audiendam quicunque ex literatis literarumve amantibus, quacunque sint dignatione aut conditione, venerint: venient illi grati acceptique, & facient præcelsis eximiisque Principibus & toti illustri Collegio rem gratissimam; operam daturis, ut vicissim data occasione benevolentiam & officia sua cumulate demonstrent. P P. & sigillo illustris Collegii insignitum, XXV. Martii: Anno Christiano cIↃ. IↃcↃ. XIII.*

Relatio FRIDERICI ACHILLIS, *DUCIS WÜRTEMbergiæ & Tecciæ, Comitis Mompelgardiæ, Dynastæ Heidenhemii;* de nationum & provinciarum Europæ inter ipsas principatu atque prærogativa.



Hinenses, potentissimus extremæ Asiæ populus, eo feruntur esse ingenio; ut reliquos mortales omnes, tanquam rudes, inertes, barbaros, alto arrogantique supercilio despiciant; se vero, suaque omnia magnifice prædicent, & exquisitis laudibus gloriose prosequantur. Cui rei fidem facit invidiosum nimis, & percelebre inter eos dicterium illud: *Chinenses duos habere oculos; Europaeos unum; & quod hominum est reliquum, cæcutire.*

Rectius dicuntur Sinenses; & Sinæ, *illorum regio. Lusitani primi omnium, quod sibilum exprimere non possent,* Chinas *vocarunt: & hinc vitiosa appellatio* Chinarum ἀντὶ τοῦ Sinarum *aut* Tzinarum, *in omnem Europam propagata est.* Ios. Scaliger Isagog. Chronologiæ Canonum lib. 3.

Ego

Ego vero, ut maxime mores atque ſtatuta Chinenſium pleraque ſint præclara, nec omnes virtutum & elegantiarum theſauri in hoc Occidentis gurguſtiolo lateant; illud tamen, quo ſe illi a communi aliorum populorum commercio ſponte diſtrahunt, neque ulli civium imperii limites impune excedere permittunt, cum ab omni humanitate alienum, tum ſanctiſſimis mutuæ benevolentiæ & charitatis decretis, quæ totum genus humanum arctiſſimis nexibus æque devinciunt, contrarium eſſe aſſero: adeo, ut, quantumvis alias oculatiſſimi, & Argo, qui totus fuit oculeus, circumſpectiores habeantur, hic talpa cæciores merito debeant æſtimari. Idem quoque error, ſive mavis delirium, Apolloniatas olim, Lacedæmonios, Ægyptios, (hiſce vero non ξενηλασία modo, ſed & ξενοκτονίας uſurpata fuerat) alioſque populos, nec non Philoſophorum Homerum *Platonem* inceſſerat: uti Moſchovitas hodieque poſſidet prope idem. At, per Deum immortalem! quæ dementia hæc, an dicam inſania, eſt; creaturam leges creatoris arbitrari, opus factoris ſui ſapientiam cenſere velle? Nuſquam pictor inventus eſt, qui Apellis ſtatuæ; nuſquam poeta, qui Maronis Æneidi (quid tamen hæc ſunt aliud, niſi vanitatis ſomnia?) ultimam manum imponere auſus ſit: ſed ecce temerarium homulorum de tribu levi manipulum, cui cœli Capitolium invadere, & æternæ ſapientiæ Senatuſconſultum adulterare ludus eſt. Quid eſt θεομαχεῖν, ſi hoc non eſt?

Ælian. Var. H. lib. 13. c. 16. Strabo Geogr. lib. 17. Plato lib. 12. de LL. Giſan. in Odyſſ. Homeri. L. Soranz. in Ottom. Ep. ad Lectorem.

Exod. c. 23. Num. c. 15. Iohan c. 15. Luc. cap. 10. ad Rom. c. 12. l. 2. ff. de serv. export.

Deus per Cancellarium suum Mosen edixit; *peregrinos non minus, atque cives benigne habendos esse*: DEUS Christi ore sanxit; *proximum esse diligendum*: DEUS per naturam rationis humanæ integritati impressit; *hominis interesse, beneficio affici hominem.* At nihilominus Chinenses, & qui sunt erroris socii, ineptiunt contra; peregrinos nec in Reipub. ditiones admittendos; nec civibus, ut peregrinentur, ullatenus indulgendum esse. Vtris credendum, religio & pietas majestati divinæ debita prohibent, ne quæram. Nam, *si de Imperatoris judicio disputare sacrilegii instar est:* quo crimine, quo flagitio, quo scelere se obstringet ille, qui oracula cœlestia in dubium vocat? *Qui divinæ legis sanctitatem aut nesciendo omittunt, aut negligendo violant & offendunt; sacrilegium committunt*: Imppp. Gratianus, Valentin. & Theod. AAA. Eutropio præfecto prætorio rescripserunt. Sacrilegi itaque Chinenses: sacrilegi Moschovitæ, & asseclæ: qui, nisi humanitatis jura interverterent, nisi charitatis igniculos hebescere, aut omnino extingui paterentur; societatem humanam pro virili conservare, vicinos & dissitos populos, tanquam consanguineos & fratres amare, juvare, cum illis bona communicare; quin etiamsi omnibus fortunæ atque terrenæ felicitatis opibus beati, & propterea alieni nullius vel consilii vel auxilii indigi, supra communem hominum sortem essent evecti; vi tamen naturalis obligationis incomparabile gratiæ divinæ flumen, in se largiter

l. 5. C. de crim. Sacrilegii.

l. 1. C. de crim. Sacrileg.

effu-

effusum, per hospitalitatis canales & tubulos officiorum in alias gentes quaquaversum omni studio & promptitudine derivare deberent. Mea sententia, universus terrarum orbis communis omnium hominum patria, communis urbs, ac domicilium commune est: & ex mea mente Socrates interroganti, cujatem se ferret? *mundanum* respondit. Quæ enim sit indignitas, animum, quem vix cœlum capit, in sesquipedali terræ frustillo captivum teneri? Quæ sit iniquitas, passerculum liberrime per infinitos spatiorum tractus frui aere; & hominem cæterorum animalium dominatorem caveæ unius agelli aut urbeculæ includi? Quemadmodum autem alta & ætheria ingenia gaudent motu: ita diffusæ magnæque illius patriæ partes nobiliores pedibus & oculis usurpasse, atque cum judicio penitius cognovisse, incredibile est, quantum utilitatis publice privatimque, cum maximo sæpenumero gloriæ & existimationis fœnore secum trahat: ut mirum haut sit, optimum quemque patriæ suæ amantem, induciis ad tempus cum laribus paternis & jucunda amicorum consuetudine factis, admiranda variarum nationum scrutari, mores asperiusculos lima peregrinationis emollire, domesticam rusticitatem extero civilitatis cultusque sale macerare; eniti denique, ut ea, quæ alibi audiverit, viderit, animadverterit laudabilia, in succum & sanguinem convertere, dataque postea occasione Reipub. suæ negotiis cum fructu & gratia attemperare queat. Hinc

Cicero lib 5. Tusc. Qu.

Galli

Galli non male: *un honneste homme, est un homme meslé.* Equidem si abdita cogitationum recessusque mihi sint explicandi, tantum abest, ut testudinum more domunculis infixarum domi semper hærere cupiam, ut flagrantissimo potius proficiscendi desiderio, ad quasvis cœli injurias viæque labores ac molestias invicto, accensus, statim comitatum instruere, sarcinas componere, ocreas induere & calcaribus armare, sumere penulam, equo insilire sim paratissimus; præcipue ab insignibus cum aliorum Principum, tum familiæ meæ exemplis ad æmulationem stimulatus; nempe serenissimi & magnanimi patris mei, divi FRIDERICI; fratrum charissimorum JOANNIS FRIDERICI, LUDOVICI FRIDERICI, & JULII FRIDERICI; honoratissimorum item adgnatorum beatæ memoriæ, EBERHARDI, cognomento BARBATI, nec non CHRISTOPHORI, augusti nominis Wurtembergiæ Ducum; de quibus singulis, quod Poetarum princeps de Vlysse, verissime & sine jactantia effari possim;

Homerus Odyss. A.

πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Verum dum corpore nondum peregrinor, animi causa interea peregrinor animo, & cogitationum alis florentissima Europæ regna frequentius emetior. Quanquam vix unquam hoc facio, quin bilem mihi moveant bene multi ex peregrinatoribus nostratibus; qui

vix e conspectu patriæ telluris in oras

digressi peregrinas, si Galliam limis oculis ali-

quan-

quando aſpexerunt, Gallica omnia; ſi Italiam intuiti ſunt, Italica omnia; ſi alterum pedem in Hiſpaniam intulerunt, Hiſpanica omnia; ſi in Anglia pernoctarunt, Anglica omnia; & undecunque tandem peregre redierunt, peregrina omnia, mores, geſtus, ceremonias, veſtitum, linguam, hiſtrionica temeritate ac ſtultitia probant, jactitant, extollunt; Germanicis & paternis omnibus neglectis, faſtiditis, rejectis. Cujuſmodi hiſtrionem, eumque Anglum, graphice depinxit Thomas Morus: cujus Epigramma dignum cenſeo, quod illuſtriſſimo huic auditorio recitetur.

Amicus (ait Morus) *& ſodalis eſt Lalus mihi,*
Britanniaque natus altuſque inſula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores, dirimant;
ſpernit tamen Lalus Britannica omnia;
miratur expetitque cuncta Gallica:
toga ſuperbit ambulans in Gallica,
amatque multum Gallicas lacernulas;
Zona, locello, atque enſe gaudet Gallico,
& calceis, & ſubligare Gallico,
totoque denique apparatu Gallico.
Nam & unum habet miniſtrum, eumque Gallicum:
ſed quem, licet velit, nec ipſa Gallia
tractare quiret plus (opinor) Gallice.
Stipendii nihil dat, atque id Gallice:
veſtitque tritis pannulis, & Gallice hoc:
alit cibo parvo & malo, idque Gallice:
labore multo exercet, atque hoc Gallice:

Bey ſolchen gewanderten Narren muß alles Frantzöſiſch ſeyn vnnd heiſſen.

tutum ſandapilarii, & bonæ mentis tortores, ſacrilego non contaminent ore; nihil tam honeſtum, quod non furialiter allatrent; nihil tam pulchrum, quod improbe non commaculent. Nimis autem in multis Chriſtiani orbis regionibus late graſſatur malum iſtud, & eſt veluti epidemia miſſæ in publicum nequitiæ peſtis. Sicque vacant virtutes, & vitia occupatiſſima ſunt: & cum olim apud Romanos Decembri menſe tantum fuerint, hodie toto anno, anno autem? fere dixerim toto ſeculo ſunt Saturnalia. Quin ut in ſervo fuga eſt ſpecies cujuſdam libertatis: ſic in multis, meri tituli ſunt ſpecies cujuſdam virtutis.

Verum uti Germania noſtra ab illa barbarie eſt remotior: ita clariſſima hæc Tubinga inprimis ſapientiæ fortiter adhæſit ſemper, deditque exempla in omni ætate & ordine, quæ inſtruere, erudire, & excitare poſteritatem poſſint. Tantarumque laudum ingreſſuri veſtigia florentiſſimi & magnanimi Principes, lectiſſimi Barones, & cæteri juventutis noſtræ primores ex Nobilium tribu, qui in illuſtri Collegio vivunt; cum exploratiſſimum haberent, non magis armis quam literis Rempub. ornari juvarique; & literas eſſe, quarum præſidio nemo non cum Vlyſſe ſpecus Cyclopis ſecure in-

re introeat, sed egrediatur; solis boves videat, sed abstineat; ad inferos demeet, sed ascendat; Scyllam præternaviget, nec abripiatur; Charybdi conspiciatur, nec retineatur; Circes poculum bibat, nec mutetur; ad Lotophagos adeat, nec remaneat; Sirenes audiat, nec accedat: illi, ut studium de bono publico præclare merendi suum testarentur publice, Consultationem literaria repub. cum maxime dignam, ductu magni Principis, Domini FRIDERICI ACHILLIS, *Ducis Würtembergiæ, aliquot proximis diebus habere constituerunt: & quam cras, septima hora antemeridiana, loco solito, cum bono Deo auspicabuntur. Ad eam audiendam quicunque ex literatis literarumve amantibus, quacunque sint dignatione aut conditione, venerint: venient illi grati acceptique, & facient præcelsis eximiisque Principibus & toti illustr. Collegio rem gratissimam; operam daturis, ut vicissim data occasione benevolentiam & officia sua cumulate demonstrent.* P P. *& sigillo illustris Collegii insignitum,* XXV. *Martii: Anno Christiano* CIↃ, IↃCↃ. XIII.

Relatio FRIDERICI ACHILLIS,

DUCIS WüRTEMbergiæ & Tecciæ, Comitis Mompelgardiæ, Dynastæ Heidenhemii;

de nationum & provinciarum Europæ inter ipsas principatu atque prærogativa.



CHinenses, potentissimus extremæ Asiæ populus, eo feruntur esse ingenio; ut reliquos mortales omnes, tanquam rudes, inertes, barbaros, alto arrogantique supercilio despiciant; se vero, suaque omnia magnifice prædicent, & exquisitis laudibus gloriose prosequantur. Cui rei fidem facit invidiosum nimis, & percelebre inter eos dicterium illud: *Chinenses duos habere oculos; Europaeos unum; & quod hominum est reliquum, cæcutire.*

Ego

Rectius dicuntur Sinenses; & Sinæ, *illorum regio. Lusitani primi omnium, quod sibilum exprimere non possent,* China *vocarunt: & hinc vitiosa appellatio* Chinarum ἀντὶ τῶν Sinarum *aut* Tzinarum, *in omnem Europam propagata est.* Ios. Scaliger Isagog. Chronologiæ Canonum lib. 3.

Ego vero, ut maxime mores atque ſtatuta Chinénſium pleraque ſint præclara, nec omnes virtutum & elegantiarum theſauri in hoc Occidentis gurguſtiolo lateant; illud tamen, quo ſe illi a communi aliorum populorum commercio ſponte diſtrahunt, neque ulli civium imperii limites impune excedere permittunt, cum ab omni humanitate alienum, tum ſanctiſſimis mutuæ benevolentiæ & charitatis decretis, quæ totum genus humanum arctiſſimis nexibus æque devinciunt, contrarium eſſe aſſero: adeo, ut, quantumvis alias oculatiſſimi, & Argo, qui totus fuit oculeus, circumſpectiores habeantur, hic talpa cæciores merito debeant æſtimari. Idem quoque error, ſive mavis delirium, Apolloniatas olim, Lacedæmonios, Ægyptios, (hiſce vero non ξενηλασία modo, ſed & ξενοκτονία uſurpata fuerat) alioſque populos, nec non Philoſophorum Homerum *Platonem* inceſſerat: uti Moſchovitas hodieque poſſidet prope idem. At, per Deum immortalem! quæ dementia hæc, an dicam inſania, eſt; creaturam leges creatoris arbitrari, opus factoris ſui ſapientiam cenſere velle? Nuſquam pictor inventus eſt, qui Apellis ſtatuæ; nuſquam poeta, qui Maronis Æneidi (quid tamen hæc ſunt aliud, niſi vanitatis ſomnia?) ultimam manum imponere auſus ſit: ſed ecce temerarium homulorum de tribu levi manipulum, cui cœli Capitolium invadere, & æternæ ſapientiæ Senatuſconſultum adulterare ludus eſt. Quid eſt θεομαχεῖν, ſi hoc non eſt?

Ælian. Var. H. lib. 13. c. 16. Strabo Geogr. lib. 17. Plato lib. 12. de LL. Giſan. in Odyſſ. Homeri. L. Soranz. in Ottom. Ep. ad Lectorem.

A 3 Deus

Exod. c. 23. Num. c. 15. Iohan c. 15. Luc. cap. 10. ad Rom. c. 12. l. 7. ff. de serv. export.

Deus per Cancellarium suum Mosen edixit; *peregrinos non minus, atque cives benigne habendos esse*: DEUS Christi ore sanxit; *proximum esse diligendum*: DEUS per naturam rationis humanæ integritati impressit; *hominis interesse, beneficio affici hominem*. At nihilominus Chinenses, & qui sunt erroris socii, ineptiunt contra; peregrinos nec in Reipub. ditiones admittendos; nec civibus, ut peregrinentur, ullatenus indulgendum esse. Vtris credendum, religio & pietas majestati divinæ debita prohibent, ne quæram. Nam, si *de Imperatoris judicio disputare sacrilegii instar est*: quo crimine, quo flagitio, quo scelere se obstringet ille, qui oracula cœlestia in dubium vocat? *Qui divinæ legis sanctitatem aut nesciendo omittunt, aut negligendo violant & offendunt; sacrilegium committunt*: Imppp. Gratianus, Valentin. & Theod. AAA. Eutropio præfecto prætorio rescripserunt. Sacrilegi itaque Chinenses: sacrilegi Moschovitæ, & asseclæ: qui, nisi humanitatis jura interverterent, nisi charitatis igniculos hebescere, aut omnino extingui paterentur; societatem humanam pro virili conservare, vicinos & dissitos populos, tanquam consanguineos & fratres amare, juvare, cum illis bona communicare; quin etiamsi omnibus fortunæ atque terrenæ felicitatis opibus beati, & propterea alieni nullius vel consilii vel auxilii indigi, supra communem hominum sortem essent evecti; vi tamen naturalis obligationis incomparabile gratiæ divinæ flumen, in se largiter

l. 9. C. de crim. Sacrilegii.

l. 1. C. de crim. Sacrileg.

effu-

effusum, per hospitalitatis canales & tubulos officiorum in alias gentes quaquaversum omni studio & promptitudine derivare deberent. Mea sententia, universus terrarum orbis communis omnium hominum patria, communis urbs, ac domicilium commune est: & ex mea mente Socrates interroganti, cujatem se ferret? *mundanum* respondit. Quæ enim sit indignitas, animum, quem vix cœlum capit, in sesquipedali terræ frustillo captivum teneri? Quæ sit iniquitas, passerculum liberrime per infinitos spatiorum tractus frui aere; & hominem cæterorum animalium dominatorem caveæ unius agelli aut urbeculæ includi? Quemadmodum autem alta & ætheria ingenia gaudent motu: ita diffusæ magnæque illius patriæ partes nobiliores pedibus & oculis usurpasse, atque cum judicio penitius cognovisse, incredibile est, quantum utilitatis publice privatimque, cum maximo sæpenumero gloriæ & existimationis fœnore secum trahat: ut mirum haut sit, optimum quemque patriæ suæ amantem, induciis ad tempus cum laribus paternis & jucunda amicorum consuetudine factis, admiranda variarum nationum scrutari, mores asperiusculos lima peregrinationis emollire, domesticam rusticitatem extero civilitatis cultusque sale macerare; eniti denique, ut ea, quæ alibi audiverit, viderit, animadverterit laudabilia, in succum & sanguinem convertere, dataque postea occasione Reipub. suæ negotiis cum fructu & gratia attemperare queat. Hinc

Cicero lib. 5. Tusc. Qu.

Galli non male: *un honneste homme, est un homme meslé.* Equidem si abdita cogitationum recessusque mihi sint explicandi, tantum abest, ut testudinum more domunculis infixarum domi semper hærere cupiam, ut flagrantissimo potius proficiscendi desiderio, ad quasvis cœli injurias viæque labores ac molestias invicto, accensus, statim comitatum instruere, sarcinas componere, ocreas induere & calcaribus armare, sumere penulam, equo insilire sim paratissimus; præcipue ab insignibus cum aliorum Principum, tum familiæ meæ exemplis ad æmulationem stimulatus; nempe serenissimi & magnanimi patris mei, divi FRIDERICI; fratrum charissimorum JOANNIS FRIDERICI, LUDOVICI FRIDERICI, & JULII FRIDERICI; honoratissimorum item adgnatorum beatæ memoriæ, EBERHARDI, cognomento BARBATI, nec non CHRISTOPHORI, augusti nominis Würtembergiæ Ducum; de quibus singulis, quod Poetarum princeps de Vlysse, verissime & sine jactantia effari possim;

Homerus Odyss. A. *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.*

Verum dum corpore nondum peregrinor, animi causa interea peregrinor animo, & cogitationum alis florentissima Europæ regna frequentius emetior. Quanquam vix unquam hoc facio, quin bilem mihi moveant bene multi ex peregrinatoribus nostratibus; qui

vix e conspectu patriæ telluris in oras

digressi peregrinas, si Galliam limis oculis aliquan-

quando aſpexerunt, Gallica omnia; ſi Italiam intuiti ſunt, Italica omnia; ſi alterum pedem in Hiſpaniam intulerunt, Hiſpanica omnia; ſi in Anglia pernoctarunt, Anglica omnia; & undecunque tandem peregre redierunt, peregrina omnia, mores, geſtus, ceremonias, veſtitum, linguam, hiſtrionica temeritate ac ſtultitia probant, jactitant, extollunt; Germanicis & paternis omnibus neglectis, faſtiditis, rejectis. Cujuſmodi hiſtrionem, eumque Anglum, gtaphice depinxit Thomas Morus: cujus Epigramma dignum cenſeo, quod illuſtriſſimo huic auditorio recitetur.

Amicus (ait Morus) *& ſodalis eſt Lalus mihi,*
Britanniaque natus altuſque inſula.
At cum Britannos Galliæ cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores, dirimant;
ſpernit tamen Lalus Britannica omnia;
miratur expetitque cuncta Gallica:
toga ſuperbit ambulans in Gallica,
amatque multum Gallicas lacernulas;
Zona, locello, atque enſe gaudet Gallico,
& calceis, & ſubligare Gallico,
totoque denique appatatu Gallico.
Nam & unum habet miniſtrum, eumque Gallicum:
ſed quem, licet velit, nec ipſa Gallia
tractare quiret plus (opinor) Gallice.
Stipendii nihil dat, atque id Gallice:
veſtitque tritis pannulis, & Gallice hoc:
alit cibo parvo & malo, idque Gallice:
labore multo exercet, atque hoc Gallice:

Bey ſolchen gewanderten Narren muß alles Frantzöſiſch ſeyn unnd heiſſen.

A 5 ju-

pugnisque crebro pulsat, idque Gallice:
in cœtu, & in via, & foro, & frequentia,
rixatur objurgatque, semper Gallice.
Quid? Gallice illud? imo semi-Gallice.
Sermonem enim, ni fallor, ille Gallicum
tam callet omnem, quam Latinum psittacus.
Crescit tamen, sibique nimirum placet;
verbis tribus si quid loquatur Gallicis:
aut Gallicis si quid nequit vocabulis,
conatur id verbis licet non Gallicis
sonoque saltem personare Gallico,
palato hiante, acutulo quodam sono,
& fœminæ instar garrientis molliter,
sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ;
balbutiens videlicet suaviter
pressis quibusdam literis, Galli quibus
ineptientes abstinent, nihil secus
quam vulpe gallus rupibusque navita.
Sic ergo linguam ille & Latinam Gallice,
& Gallice linguam sonat Britannicam,
& Gallice linguam refert Hispanicam,
& Gallice linguam refert Lombardicam,
& Gallice linguam sonat Germanicam;
& Gallice omnem, præter unam Gallicam.
Nam Gallicam [illegible]am sonat Britannice.
At quisquis insula satus Britannica,
sic patriam insolens fastidiet suam;
ut more simiæ laboret fingere
& æmulari Gallicas ineptias:
ex amne Gallo ego hunc opinor ebrium.
Ergo ex Britanno ut Gallus esse nititur:
Sic Dii jubete, fiat ex Gallo capus.

Tales

Tales Lalos, tales Gallos, Cybeles sacerdotio dignissimos (& isti sacerdotes quoque Galli, sed semimares atque capi erant) in media Germania videmus oppido multos: qui sicuti in Hispania equas *a vento Favonio concipere ajunt*, sed fœtu evanido: ita & illi Austro blandientium opinionum gravidi, domi serium nihil pariunt, sed ut tumidi tantum utres ventos fabularum & mendaciorum evaporant. Imo uti in vico Lutetiæ vicino echo est, quæ vocem semel acceptam tredecies & sæpius reddit: sic illi peregrinatores multiplicant visa vel audita: & non modo Indicas formicas vulpium aut luporum magnitudine; arbores tantæ proceritatis, ut sagittis superari nequeant, tantæ capacitatis, ut sub una ficu turmæ condantur equitum; Spythamæorum Pygmæorum arietum caprarumque dorsis insidentium trimestres in grues expeditiones; generationes Basiliscorum; Ægypti Pelicanos; Phœnices Arabiæ; Gryphos Scythiæ Asiaticæ; Madagascaris Rukos; Scotiæ anseres e ligno putrefacto enatos, quos Angli *Bernacles*, Scoti *Clakes* & *SolandGeese* vocant; sed & alia ex Plinio, Luciano, S. Brandano, & aliunde denarrant, quæ neque viderunt unquam, neque etiam videbunt unquam, & tamen tanquam a se visa, additis interdum dejerationibus, in circulis stulte deblaterant;

Natalis Comes Mytholog. lib. 9. c. 5. Plin. Hist. N. lib. 4. c. 22. adde & Cl. Dausqueii Com. in Sil. Ital. lib. [illegible] p. 134.

Le Pont Charenton.

Plin. Hist. N. lib. 11. c. 31. lib. 7. c. 2. Strabo Geogr. lib. 2. & 15. G. Rolenhagen in denglaubw. Lugen.

Aviculas ex vetustis & putrefactis navium carinis procreatas, testari possunt, qui navem, qua Fr. Drake orbem circumnavigavit, in Tamisis ripam subductam viderunt; cujus carina exterius ejusmodi aviculæ magno numero inanimes & inplumes adhæserunt. Quarum tamen semina non fuisse e truncis, sed ab Oceano, quem rerum parentem dixere Poëta, opinari libet. Camd. in Scotiæ Buchania. Plin. Histor. N. lib. 3. c. 1.

de nihilo magna, & de parvo maxima fingunt.

Aliter prudentes & cordati Germani peregrinantur; aliter de patria Germania sentiunt: nec iis tanti est exoticum vitrum, quanti domesticum aurum.

Atenim, jucundissimi mei cognati Principes, MAGNE frater, vosque qui ex Baronum & Nobilium ordine huic splendido consessui interestis, colloquia vestra, quibus vel mensas, vel deambulatiunculas cottidie condire soletis, præsertim, quæ de *Europa terrarum longe pulcherrima, & victoris omnium gentium populi altrice*, deque singularum Europæ provinciarum inter se comparatione & prærogativa habuistis creberrima & suavissima, sæpe mihi salivam moverunt, ea auditione repetita penitus imbibendi. Quod dum facilius a vobis impetro, quam ipse petere ausus sum; dumque huic negotio conficiundo aliquot dierum usuram mihi transcribitis propriam; næ facitis, Principes, & vos Nobilitatis ocelli, ut & ego in omnes occasiones gratitudinis declarandæ intentus studium meum tanto vobis sim probaturus luculentius.

Et sine prolixiori digressiuncula: præbeo vacuas aures: vos adfectibus vacui libere & ingenue sententias dicite; & quod felix faustumque sit, *Ex nationibus & provinciis Europæis, quæ hodie præ reliquis dignitatis palmam & laudum principatum mereatur*, edisserite.

Tu

Tu illustrissime cognate, FRANCISCE CAROLE, Dux Saxoniæ, nisi grave est, fac initium.





ORATIO FRANCISCI CAROLI, Ducis Saxoniæ, Angariæ & Westphaliæ; PRO GERMANIA.

NON solum hoc, FRIDERICE ACHILLES Dux, charissime mi cognate; sed & omne militabitur bellum. Cur enim fructuosos hosce aversarer conventus? Cur Reipub. tyrocinia negligerem? Sicuti miles per lusoria certamina se præparat pugnæ: ita nos prudentiæ civili, & rerum agendarum arenæ per frequentiam προγυμνασμάτων assuefieri oportet.

Luctan-

Seneca Controvers. lib. 9. in pr.

Luctantes, binos simul ac ternos fatigant, ut facilius singulis resistant: cursores, quod intra exiguum spatium de velocitate eorum judicetur, id sæpe in exercitatione decurrunt, quod semel decursuri sunt in certamine. Multiplicatur ex industria labor, quo condiscimus; ut levetur, quo decernimus.

Verum, priusquam Relationis tuæ aura impleantur fortius orationis vela meæ, & subvehar in altum longius, in peregrinationes aliquid habeo dicere: quas ut tu studiose laudabas, & Reipub. utilissimas existimabas esse; ita ego, uti hodierni mores & peregrinandi consuetudo ferunt, eas Chinensium exemplo, gravissimo edicto, si mei arbitrii res sit, prorsus inhiberem; aut saltem accuratissimas peregrinandi leges præscriberem. Nam cum juventuti id unice sit addiscendum, quod ad Reipub. utilitatem pertineat, & virilem ætatem ornet: absonum & ab omni prudentia alienum fuerit, id quærere extra patriam, & petere ab extraneis, qui toto vitæ genere, & pene tota imperandi & parendi ratione dissident a nobis. Vt, qui e sartoria vestem poscit Hungarus, formulam usitatam; non Americanam; aut aliam moribus improbatam poscit: sic in Repub. omne id est improbum, quicquid usus & ratio non comprobavit. Nostri vero Germani, quam inopes & egeni virtutum peregre redeant, experientia satis superque testatur. Quantus enim eorum est numerus, de quibus spes concepta erat, fore, ut aliquando

Aga-

Agamemnonis personam sustinerent: qui tamen ex Italia, aut alio voluptatum stabulo reduces, ubi perdito ætatis vere intra paucos menses aut annos sibi tristissimam vitæ hyemem accelerarunt, domi vix Thersiten agere potuerunt? Quis satis Germanus, quis satis vir domum revertitur? Scapulas contrahendo attollere; in amico salutando, pronis cervicibus & vestigiis verrentibus terram, dexteræ tibiæ illius integumentum infra genu timidissima manu libare; capillum in varios gyros frangere; ad muliebres blanditias vocem extenuare; mollicie corporis cum fœminis decertare, & immundissimis se excolere munditiis; ad numerum ire, salire, garrire: hæc peregrinatorum nostratium nunc specimina sunt. Nec miror valde, quod non sint alia. Quemadmodum enim Q. Mutius Scævola scribam pro Rege Porsena habuit & appetiit, quod ille pari fere ornatu sedens multa ageret, eumque milites vulgo adirent: ita foris non satis cauti juvenes vitia virtutum, ut meretrices honestarum matronarum, mentientia habitum præpropere amplectuntur. Et uti Paris Homericus, e prælio profugus, cum Helena se oblectat: ita illi, relictis seriis, voluptuaria sectantur. Et denique quod medici de cucurbitis, quas affigunt corpori, tradunt; non nisi pravum eas vitiosumque sanguinem educere: ita illi attrahunt ad se non nisi mala. Atque ô si attraherent tantum, nec etiam in alios dispergerent virus, & contactu nocerent! Nam unde est alicubi in Ger-

Livius lib. 2. Dec. 1.

Vide Er. Putani Comum.

Vlricus Dux VVürtembergicus dixisse fertur: Novus vestitus, introducit novos mores: novi mores, introducunt novos homines: novi homines, expellunt veteres.

Germania luxus vestiarii varietas? Vnde est, quod in contumeliam naturæ, adscita & adoptata undique pompa, quasi in simulacra migratur; quod vestium partim tomento, partim tormento, omnis membrorum gratia corrumpitur; nemine ditiorum satis ornatum se putante, nisi admirantis plebeculæ trahat oculos, & cultum ab humiliori extorqueat? Vnde diversiformes pilei pretiosi; thoraces ventricosi, aut omnino eviscerati; femoralia inflata seu follicantia; tibialia in rugas composita; pallia cucullis & manicis superbientia; collaria pavonum caudas æmulantia? Vnde stolæ fœminarum aliquando pretiosissime subtiles & perlucidulæ, quibus vix sexum tegunt; aliquando vero prodige fluentes, sinuumque multiplici nexu industrie crispatæ, & circa femora farciminibus monstrosis, vel circulis ferreis ad brachia reclinanda aut vitium uteri celandum suffultæ? Vnde capitis cirri, tutulus & adoptivæ comæ suggestus, colli vallum, linei candoris radii? Vnde unionum aurique non jam ornamenta, sed onera; unde aurium vulnera & elenchi? Vnde calcei turriti; & reliqua stultitiæ schemata, unde sunt? Docuit illa omnia peregrinatio. Vnde alicubi conviviorum apparatus, certissima patrimoniorum exitia? Vnde dapes, unde condimenta, palati irritamenta, in novorum Apiciorum culinis & mensis, fugata antiqua frugalitate? Docuit peregrinatio. Vnde alicubi libidinum gymnasia, modi Veneri litandi detestabiles, Messalinarum redivivarum greges

ges cellis tantum non pretium ſuperſcribentium? Vnde quædam, ſi Dis placet, virgines ſic mature languentes, pallentes, prurientes: dum etiam ceruſſam, purpuriſſum, melinum, & ſi quid hujuſmodi offuciarum ſpernunt; & luridum ac morticinum colorem inſano facinore adfectant; aliis pertinaci jejunio vigorem emacerantibus, aliis venam ſecantibus, aliis frugum ſemina, cuminum, carbones, calcem, cineres, terram vorantibus, acetum haurientibus, ipſamque valetudinem pallori impendentibus; ex voto pulchris, quando vultu cadavera ſunt, &

ſanguinis in facie non hæret gutta?

Docuit peregrinatio. Vnde alicubi violentia morborum nuper exortorum inexpugnabilis; Gallica lues, Anglicus ſudor, Hungarica labes, Africana lepra? Docuit peregrinatio. Quid commemorem diſcrimina alia? Quot Germani animi gratia in Italiam profecti ſunt, qui ibi animum & animam perdidêre? Quot opum augendarum cauſa in Hiſpaniam abierunt, qui Iro pauperiores domum redière? Quot pietatem in Gallias intulerunt, qui impietatem inde retulêre? Quot morum conſtantiam & ſanctitatem foras aſportaverunt, qui inde levitatis & inconſtantiæ flagitia reportavêre? Quid dicam de aliis, qui intra lares paternos expectatione primi, & quibus meliores fingi ne voto quidem poterant, foris apoſtatæ, hoſtes patriæ, Nerones & Sardanapali evaſêre? Nemo iſtiuſmodi erronum tempus male locatum ad calculum facile revocat.

Vide in hanc ſententiam Lanovium diſcurſu. 5. & Alexand. Pontamerium, in libello *de la Nobleſſe Françoiſe.*

B Nemo

Nemo in istis sordium amoribus cogitat de remedio. Quanquam dubito, an remedium morbi gravitas admittat? Asserunt quidem Medici, hominem ab epoto veneno servari, si statim in exenteratum mulum is se abdiderit, & tam diu ibi maneat involutus, donec calor nativus bestiæ penitus evanescat; tuncque in alium mulum eodem pacto ingrediatur, rursusque in alium atque alium; ac quo plures induerit mulos, eo vitæ saluti melius consulturus sit; fuisseque Principes ajunt, qui triginta vel etiam quadraginta mulorum impendio præsentissimum mortis discrimen depulerint. Sed si ex insanis illis peregrinatoribus venena, quæ foris in vitiorum patria suxerunt, essent eodem modo educenda; juberem illos in populosiores asinorum migrare patrias; cum in Germania rarior mulorum asinorumque natio paucorum curationi suffectura, aut crebriori alioquin laniena non magno temporis intervallo clitellaria ista bona gens peritura hic sit universa. Imperiales sanctiones vita & bonis multant, qui improbam monetam a commerciis exclusam in Germaniam invexerint: quæ saluberrima prorsus, ad summam Remp. pertinens cautio est. At quæ hæc portentosa est legislatorum dissimulatio sive incuria: quod severitatis sicam non etiam stringunt in illos, qui graviori peccato peregrinas vitiorum merces in patriam important; & non ut monetarii numos aliquos, sed popularium integritatem radunt, fingunt, conflant, permutant, corrumpunt?

Bart. Maranta, Methodi cog. simpliciū lib.3.c.11.

Denaisius in noviss. juris compend. cap. 192.

punt? O igitur hac quidem in re parum ſapientes Germanos illos! O igitur nimis improvidos & patres illos! qui nullo cum fructu, fructu autem? imo damno inæſtimabili, filios ſuos, carnem & ſanguinem ſuum, in Italiam, in Galliam, in Hiſpaniam; vel, ut proprie magis & Latinius loquar, in Veneris & Floræ ergaſterium, in nequitiæ & flagitiorum amphitheatrum, in metallum denique omnium ſcelerum, non mittunt, ſed relegant, ſed deportant, ſed damnant. Credite, mei collegæ; piiſſimorum majorum noſtrorum cineres, niſi illa peregrinandi licentia & hæreſis reprimatur, aut modus ad prudentiæ & boni publici regulam ſtatuatur, ultores alienigenas & barbaras tortorum legiones in capita noſtra excitabunt: quin & poſteritas noſtra, ſi qua futura eſt, hanc noſtram incogitantiam ſeriis, at ſeris, lachrymis proſequetur, mores & puritatem Germanorum priſcam undique quæſitura, inventura nuſquam. Etenim oberrandi & divagandi æſtus magis magiſque increbreſcit; & noſtrates, communi errore imprudentibus jus dictante, gregatim peregrino ſolo impluunt, non aliter quam coturnices ortygometra duce, aut cynchrama, vel lingulaca, evolant gregatim & advolant, fluvios ac maria tentant, ſed volatu defatigatæ demerguntur; ex quo fit, ut earum piſcatio utilior ſit quam piſcium Octobri menſe, ac præſertim in litoribus maris Siculi & Tyrrheni. Sunt tamen quidam, qui peregrinationes ſibi ſuſcipiendas eſſe

Chi vuol andar ſalvo per lo mondo, biſogna aver occhio di falcone, orecchio di aſino, viſo di ſcimia, bocca di porcello, ſpalle di camello, e gambe di cervo.

Bodinus in theat. naturæ l. b. 2.

putant, ut ſaltem terræ admiranda & regionum amplitudinem foris videant, quæ domi non vident. Hoſce autem pulchre refutavit pridem Rodolphus Camertium Princeps: qui cuidam amore per orbem terrarum peregrinandi capto injungens, ut Maceratam uſque proficiſceretur, tum eidem domum reverſo dicebat: *Iam vidiſti orbem terrarum univerſum, qui nihil eſt aliud, quam colles, montes, valles, planities, ſilvæ, & hujus generis alia.* Plane ſicuti pueri pilam percutiunt & repercutiunt ſterili voluptate: ita vere peregrinatores illi plagas terrarum aliquammultas inaniter errant & pererrant, regna inutiliter emetiuntur atque remetiuntur. Quid enim conducit, Cairum, Pyramides, & Mumias in Ægypto; Romam & Capitolia, atque ædem Lauretanam, portumque Anconitanum, Puteolos, Pratelinum, San-Marcanum theſaurum Venetum in Italia; flammivomum Ætnam in Sicilia; Fontiſbellaquei, San-Germani, & Luparæ palatia, San-Dionyſiaca Mauſolæa, cervam cornigeram Bleſenſem, in Gallia; in Hiſpania San-Laurentianum Eſcurialis monaſterium, San-Jacobum Compoſtellanum, Hiſpalenſem Indicorum negotiorum domum; quid alia perluſtraviſſe juvat? quid

evaſiſſe tot urbes
Argolicas, medioſque fugam tenuiſſe per hoſtes?

Et quantum ſpatii ita eſt decurſum? Quantum diſtat Cairus Compoſtella? Sane ubi capaciſſimam terræ totius intercapedinem rumino, paraſan-

Th. Zvving. in Meth. Apod. lib. 2. Furius Ceriolan. in lib. de Conciliis & de Conſiliariis hanc hiſtoriolam tradit paulo aliter.

rasangas mihi videor aliquot; ubi tabulam Geographicam, palmum; ubi vero cœlum intueor, nihil quicquam promovisse. Eudoxus vovit, & DEOS rogavit, ut sibi facultatem darent Solem proxime cernendi, ejus formam, magnitudinem, pulchritudinem contemplandi; isto spectaculi pretio, ut ille illico cremaretur. Ita hic fere fit; & nostri peregrinatores evadunt Eudoxi, qui cum vitæ jactura venantur cassam scientiam, cujus possessio punctum temporis sit mansura. O perversitatem ingenii & naturæ nostræ! Ea quæ assunt, curamus minime; quæ absunt, maxime: & nusquam minus esse volumus, quam ubi esse debemus; nusquam minus sumus, quam ubi sumus. Appetitus noster

Michael de Montaigne liv. 2. des Essais. c 12.


Æn. Silvius Epist. 19.

transvolat in medio posita, & fugientia captat.

Sic Lauretani libentius vota solvunt Jacobo Compostellano; & Compostellani malunt Mariæ Lauretanæ reddere: Thusci Spadanas aquas Leodiensium; Leodienses Thuscorum Lucenseis æstimant: magnus Cato fœminam adhuc uxorem suam negligebat; alii vero nuptam postea impense diligebat. Omnia in fasciculum colligit sapientissimus Seneca; quando ita ad Lucilium. *Quid per se prodesse peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperavit, non cupiditates refrenavit, non iras repressit, non indomitos amoris impetus fregit, nulla denique animo mala eduxit, non judicium dedit, non excussit errorem: sed ut puerum ignota mirantem, ad breve tempus rerum ali-*

Mich. de Montaig. l.2.c.15.

Epist.104.



qua novitate detinuit. Cæterum inconstantiam mentis, quæ, cum maxime ægra est, lacessit, & mobiliorem levioremque reddit ipsa jactatio. Itaque quæ petierant cupidissime loca, cupidius deserunt, & avium modo transvolant, citiusque quam venerant abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi montium formas ostendet, invisitata spatia camporum, & irriguas perennibus aquis valles, & alicujus fluminis sub observatione naturam: sive, ut Nilus æstivo incremento tumet; sive, ut Tigris eripitur ex oculis, & acto per occulta cursu integræ magnitudini redditur; sive, ut Mæander, Poetarum omnium exercitatio & ludus, implicatur crebris anfractibus, & sæpe in vicinum alveo suo admotus, antequam sibi influat flectitur: cæterum neque meliorem faciet, neque saniorem.

Nunc ad scopum, amplissime Præses, Relationi proprium tuæ, & quem huic illustri Consessui proposuisti, linguam vocemque compono; & statim in principio mentem meam nude, ut Germanum decet, explico tribus verbis; GERMANIA EVROPÆ PRINCEPS. Quod candide dico, & ne unquam mihi aliquid ex sententia, nisi hoc ex animi sententia dico. Ad cujus meæ sententiæ confirmationem, Oratoriam nullam, pigmenta nulla, nullas eloquentiæ opes, aut Suadæ thesauros desidero; nec etiam aurea veterum Oratorum flumina vacuis votis evoco, quorum vis ἐπὶ τὸ πλεῖστον in caussis dubiis & desperatis præpollebat; sed hoc magis mihi attendendum & evigilatis consiliis elaborandum

est,

est, ut ex immensa rerum pulcherrimarum & nobilissimarum copia, quam difficulter orationis modus capere queat, verissimarum & debitarum laudum vel summa tantum capita compendiose & breviter decerpam. Et quemadmodum Geographi in Orbis descriptione Nilum, Gangem, Rhenum, Rhodanum, Eridanum, Tagum, Tamisim, & fluvios alios prægrandeis (minutulorum enim non habetur ratio) tenuissimis lineolis; Romam, Constantinopolim, Olisiponam, Londinum, Lutetiam, Coloniam, Gandavum, Viennam, & alias urbes potentissimas, exiguis punctulis designant: ita & ego de maximis minima dicturus, cætera transultaturus, officio strictim defungar. Quicquid tamen dixero, minus erit.

Quid autem? Quid tenebris lucem aspergo? Quid hirsutam hyemem veris floribus frustra investio? *Quis*, ait Tacitus, *præter periculum horridi & ignoti maris, Asia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam cœlo, tristem cultu adspectuque, in universum aut silvis horridam, aut paludibus fœdam, frugiferarum arborum impatientem, pecorum quidem sed improcerorum fœcundam?* Quis gentem laudaret *argentea vasa non in alia vilitate quam quæ humo finguntur reputantem, sine urbibus agentem, somno ciboque deditam, inertem, literarum secreta ignorantem; aleam inter seria exercentem, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore con-*

Tacit de morib. German.

Cæsar. lib. 6. de bello Gall.

Plinius N. histor. lib. 7. c. 10.

Ph. Cluver. German. antiq. lib. 1. in pr.

re contendat? Quis populum prædicaret, qui Cæsare teste, *maximam laudem in eo ponit, quam latissimis circum se vastatis finibus solitudines habere; qui latrocinia extra fines cujusque civitatis juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa permittit?* Hæc & alia plura Cæsar, qui aliquoties cum Germanis conflixit: & Tacitus, qui sub Vespasiano Belgicæ Galliæ rationes administravit; dein sub ipsum Imperii Trajani initium, Imp. Nerva recens ex humanis egresso, nempe circa annum a nato cœli terrarumque Domino centesimum, librum *de moribus Germanorum* conscripsit. Vtinam vero Cæsar, & qui alii olim Cæsaris seculo extremas insuperabilis Germaniæ oras attigerunt, (interiora enim & regionis meditullium Romanus tunc non nisi captivus & servus adspexit) vel rumusculis aliquid acceptum literis mandaverunt; aut etiam Tacitus ipse, cui uni, quod nosse datur nobis patriæ ac majorum nostrorum vetustatem, ingenue & grata mente acceptum ferimus; utinam reviviscerent, & ipsimet oculata fide omnem, quanta quanta est, Germaniam jam dispicerent; tot florentissimas provincias, tot munitissimas & præclarissimas urbes, tot vicos amœnissimos, tot agros omnium frugum fertilissimos; tot fodinas auri, argenti, plumbi, ferri, & omnium metallorum ditissimas; tot denique in Martio & victore populo, scientiarum & virtutum gloria longe principe, amplissimas Regum, Archiducum, Ducum, Marchionum, Landgraviorum, Comitum, Baronum, Equi-

Equitum, familias; & quicquid in felicitatis Germanicæ theatro ſpectatorem morari & in ſtuporem conjicere poteſt, accurate conſiderarent: nullus dubito, Auditores, quin illi redivivi & orci liberti, veritatis lumine & rei novitate attoniti, in hanc ſententiam libere faſſuri ſint: *Nos Romani in multis olim in hoſtium vitia creduli, in non paucis etiam ingenii noſtri figmento injurii fuimus: ſed in pleriſque hoc omnibus ſenſibus convicti nunc teſtamur, Germaniam hodie eſſe aliam. Nos fuimus Troës; & omnis noſtra gloria in cadaveribus tumulata eſt, poſteris majorum fortia facinora otio, torpore, ſqualore, miſeria, & vitiorum cœno turpificantibus: Germani autem ſunt heroës, majorum virtute magni, & ſua maximi atque incomparabiles: ſunt fortiſsimi, ſunt juſtiſsimi, ſunt religioſiſsimi, ſunt fortunatiſsimi; ſunt, uno verbo, beati.* Quid faceret vitæ ſeculoque redonatus Virgilius, divini ingenii Poeta? Ille dignum vena & ſpiritu ætherio argumentum nactus, relictoque Auguſto ſuo, ſacratiſſimum & invictiſſimum Imperatorem noſtrum MATTHIAM, repudiata Roma Romæ magiſtram Germaniam, devoto & humilimo obſequio amplexus, opus æternum ſupra Odyſſeæ & Æneidos perfectionem moliretur; initio forſitan in hunc ſenſum facto:

Ille ego qui quondam gracili modulatus avena
carmen, & effudi laudes magnæ Vrbis in Orbem;
gratum opus Auguſtis. at nunc horrentia Martis
arma viroſq; cano: Romæ qui mœnia primi
æquavêre ſolo, ſuperatis Alpibus; amplos

& de

& de fortuna tandem duxère triumfos, &c.
Sed hæc, Auditores, ſic interpretor, ut non tam examinare, quales majores noſtri fuerint, quam inquirere debeamus; quantum nos uſque huc profecerimus, quantum ad illorum virtutes labore & vigilantia noſtra acceſſerit. Hæc enim benignitatis divinæ lex eſt, ſpargere dona in ætates, & in homines, nec in unam illam, aut hunc unum, omnia ſimul & ſemel conferre.

Hom. Iliad. δ. ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν.

Quid igitur profecimus? *Sine* DEO *olim fuimus.* Imo nunquam ſine DEO fuimus. Quanquam & ſine DEO fuimus: quia DEI non fuimus, quia ſine Chriſto fuimus; ut & ipſi Romani, atque gentiles omnes. Verum ineffabili DEI gratia, & immenſa bonitate, jam domeſtici DEI ſumus; jam in familiam & nomen Chriſti cooptati, omnia filiorumfamilias jura, honores, & privilegia omnia conſequuti ſumus: Quæ una prærogativa meretur, ut benigniſſimi & pluſquam paterni numinis omnipotentiam & clementiam per omnes ſeculorum decurſus debeamus devotiſſime venerari, atque nunquam depoſita inenarrabilis beneficii memoria perpetuo grati exclamare; *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus* DEVS *exercituum: plena eſt omnis terra gloria ejus.* Et quemadmodum multa flumina ſtatim ab ipſis fontibus tanta vi fluunt, ut naves onerarias ſubvehant; ut quidem in Gallia Ligerellus Aureliorum, in Hungaria Vagus; aut ali-

Esaiæ c. 6.

quot piſtrinenſes molas intorqueant, uti in hoc Ducatu Blavius: ſic lumen Evangelii in Germania divinitus exortum eam mox totam ſplendore ſuo complevit, radiiſque gratioſiſſimis emortua, & ex glaciali paganæ ſuperſtitionis bruma torpentia & rigentia pectora, etiam in remotiſſimis regionibus, admirabili celeritate & virtute excitavit. Inde ſecutum pietatis certamen in omnium ordinum hominibus; nemine ſe ſatis felicem & pium eſſe exiſtimante; niſi in pauperes, in ſcholarum, templorum, monaſteriorum ſubſtructiones, & in alios religioſos uſus, inſignem patrimonii partem attereret, aut etiam cederet totum. Et, qui exceſſus charitatis & devotionis fuerat; Imperatores ac Principes Germani integras provincias & ditiones nobiliſſimas Eccleſiaſtico ordini donavêre; & fecère Pontifices Regibus, Epiſcopos ipſis Ducibus potentia pares; authoritate, dignitate, & externo pompæ ſatellitio majores. Nulla profecto ex Chriſtianis natio in Romanam Eccleſiam bona elargita eſt magnificentius, ipſis Germanis: & nulla Patriæ ſuæ Eccleſias liberalius dotavit, quam Germani ſuas. Ex Abbatis unius potentia, de Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quorum ingens eſt numerus; de Præpoſitis, Abbatibus, Prælatis, & id genus, quorum non eſt numerus (nam in ſola Belgica ſupra ſex ſeptem millia [a] Veſtalium tantum ſunt; nec ſatis etiam dixi.) judicium ferte: *Vnus* [b] *Fuldenſis Abbas ſexaginta millia bellatorum Imperatori præbebat olim in hoſtem.* Verum ut in amœniſſimo

(a) Lipſ. in præfat. de Veſtalib.

(b) Ita teſtatur Lipſ. in Cent. miſc. Epiſt. 27. ad C. Vtenhovium: ſed vereor, ne error calculi numerum auxerit.

ſimo quoque arboreto præter hortulani ſpem nonnunquam ſenticetum, & in tritico lolium internaſci ſolet: ita Satanas juxta DEI domum ædiculam ſibi extruens proxime, plurimum ſuperſtitionis Religioni ſanctiſſimæ immiſcuit: & fuêre inter fortiſſimos prætorianos Chriſti milites factioſi turbones, quibus haram quam aram, noctem quam lucem, terram quam cœlum, appetere gratius; quibus contra legem, contra Moſen & Prophetas, contra vetus & novum Teſtamentum, novos novarum Religionum articulos condere & credere erat Religionis ſumma. Itaque cum Eccleſia Chriſtiana tractu ſeculorum non in putidum Augiæ, boum fimo, ſed horrendum Antichriſti monſtris oppletum ſtabulum tranſiiſſet; in quo Miſſarum, Purgatorii, Exorciſmorum, Indulgentiarum, Idololatriæ, & alia in Chriſti meritum, in Sacramenta, imo in omnes divinarum Pandectarum & Symbolorum parteis, injurioſa portenta morabantur; periculi jugulum Fidei & Religionis petentis magnitudo Herculem; non fabuloſum illum, qui geminos a Junone immiſſos angues elideret, Antæum ſuffocaret, aprum Erymanthæum cæderet, Stymphalides aves expelleret, Buſirim interficeret, Cerberum caperet, obtruncaret Nemæum leonem, Hydram opprimeret, & quicquid præterea Herculeorum laborum fingitur exantlaret; ſed novum aliquem invictum Chriſti militiæ imperatorem requirebat, qui Antichriſto εἰς πρόσωπον ire auſus omnia illa hæretica prodigia ferrea verbi

Vide Natal. Comitem Mytholog. lib. 7. c. 1. de Hercule.

verbi divini clava prosterneret, confringeret, perderet. Sed Germania una digna fuit, quæ tanto miraculo inclaresceret. Nam MARTINUS LUTHERUS Augustinianus Monachus, homo cæteroquin nulla natalium aut fortunæ gratia pollens, cum blasphemias universa Europa exundantes & infame Indulgentiarum mercimonium diutius pati non posset, ancipiti verbi divini gladio instructus, in Babylonicum imperium, quod adversus omnium temporum injurias perpetuo & sacro quodam fœdere securum sibi esse videbatur, magna vi irruit: & in Papam ipsummet impetu facto, quasi uno momento omnia regni ejus fundamenta quassavit. Et quo tempore? Isto vero tempore, quando credebatur passim; *Papam in his, quæ ab Apostolis statuta fuerant, & contra sancita in Concilio totius Ecclesiæ, dispensare posse*: quando scribebatur passim; *Papam in omnibus & per omnia posse dicere & facere, quicquid sibi placet, etiam auferendo jus suum, cui velit*; nemine adversum hiscere audente, *cur ita facis*? quando affirmabatur passim; *Papam contra jus, supra jus, & extra jus omnia posse; omnia, & super omnia esse*: quando Papa dicto & facto Principes ditionibus & provinciis libera cum potestate evertebat, subditos fidei nexu resolvebat: quando Principes adeoque Imperatores ipsi Papam adorabant, & humili officiorum cultu reverebantur. *παράδοξόν γε, οὐ γάρ; ἀληθὲς δέ.* Sic cœlestis ille Germanus Anti-Christum, antea terribilem omnibus, sola oris buccina conterruit; & parva sodalium,

Ph. Mornæus de Ecclesia, c. ult. & in Historia Papatus ad finem.

L. à Peguera, decis. 52. num. 5. & 5. Ph. Decius Cons. 588. n. 4. & 5. adde L. Hutterum in Orat. de Iliade malorum regni Pont. Rom.

dalium, infirmitatis contra potentiam, ſimplicitatis contra fraudes, humilitatis contra faſtum, contra crudelitatem patientiæ arma conjungentium, manu ſtipatus, in reſtitutione Evangelii eos fecit progreſſus; ut exiguo tempore, non pagi, non oppida, non civitates, ſed totæ provinciæ, & tota regna atque imperia, a ſede Romana defecerint; maximi Reges & Principes Diabolicum ſuperſtitionis jugum rejecerint, & ſpoliis beſtiæ onuſti libertatem palam fuerint profeſſi; etiamnum poſt partam victoriam Angelo vocem illam fortiter intendente; *Cecidit, Cecidit Babylon magna: exite de illa populus meus.* De Luthero mecum Beza, Poeta non unus ex multis:

Apocalypſ. cap. 18.

Th. Beza in Epitaphiis.

Roma orbem domuit, Romam ſibi Papa ſubegit:
viribus illa ſuis, fraudibus iſte ſuis.
Quanto iſto major Lutherus, major & illa;
illum illamque uno qui domuit calamo?
I nunc, Alcidem memorato Græcia mendax:
Lutheri ad calamum ferrea clava nihil.

Ecquod miraculum hodie in orbe terrarum, nedum in Europa, huic Lutherano par eſt? Ecquis Europæ populus ſupremi & divini beneficii fructum non percepit? Ecquis hominum erit ſolvendo? Ecquis igitur inter Europæos in principatu Germanis deferendo poteſt eſſe tardus?

Et quid profecimus amplius, Auditores? *Sine literis fuimus.* At hodie, Auditores mei, qui ſumus? Abſit jactantia; Literatiſſimi ſumus, eruditiſſimi ſumus, doctiſſimi ſumus: jam

& pue-

& pueri nasum Rhinocerotis habent. Mart. lib. 1. Epigram.

Nec longinqua est argumentorum venatio. Veritatis enim tanta est vis, ut J. Bodino, quem alias ut hostem & inimicum Germanorum a testimonii dictione jure repellamus, vel invito calamum digitis impegerit, & in hæc verba scribenda duxerit manum: *Nullum illustrius est, quam Germanorum exemplum: qui cum a feritate belluarum non procul abessent; cum in paludibus ac silvis ferarum more vagarentur; cum inveterato quodam odio semper a literis abhorruissent; nunc tantum profecerunt, ut humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, religione Hebræis, Philosophia Græcis, Geometria Ægyptiis, Arithmetica Phœnicibus, Astrologia Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur.* Quid P. Jovius, & ipse erga Germanos cæterum non bene affectus? *Literæ* (ait) *non Latinæ modo, sed Græcæ & Hebraicæ in Germanorum terras fatali commigratione transierunt. Neque enim contenti illi sua vetere militiæ laude, qua Martium decus, Romanis gentium victoribus ereptum, stabili disciplinæ severitate feliciter tuentur; ipsa etiam pacis ornamenta, literas optimasque artes, decoquenti Græciæ, ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abstulerunt.* Et quidem Macchiavellus suæ ætatis Italos urbane increpabat, quod cum ingeniosi admodum sibi viderentur; attamen Germanos accirent ad metiendos fines agrorum. Ita Joannes Regiomontanus (ob decimæ sphæræ, inclusas diurna rotatione rapientis, inventum, ab Italis Thaleti, Eudoxo, Calippo,

Bodin. in Meth. Hist. & de Rep. lib.5.c.1.

Iovius in Elog. doct. viror. ad fin.

Bodin. in Meth. Hist. cap.5.

Iovius in elogio Regiom.

po, ipſique Ptolemæo prælatus.) Romam a Pontifice vocatus eſt; ut annum ex vetuſta intercalatione faſtis minime reſpondentem ad ſtatas ex curſu lunæ Paſchales ceremonias revocaret. Incredibile autem eſt, quam Scholæ in Germania, præſertim poſt Concilium Conſtantienſe, pullulaverint: cum ibi plures prope nunc numerentur Academiæ, quam in reliqua Europa univerſa. Nam ut ſcholas majorum gentium (ut ſic dicam) attingam tantum; in quas confluunt ex Europa omni bonarum literarum Studioſi; hodieque florent ac vigent Viennenſis, Heidelbergenſis, Baſileenſis, Pragenſis, Lipſienſis, Roſtochienſis, Erfordiana, Francofordiana, Wittebergenſis, Jenenſis, Ingolſtadienſis, Marpurgenſis, Moguntinenſis, Colonienſis, Trevirenſis, Regiomontana, Gripſwaldenſis, Friburgenſis, Lovanienſis, Helmſtadienſis, Wirtzburgenſis, Dillingana, Gieſſenſis, Leidenſis, Franeckerana, Grazenſis, Altorfina, Argentinenſis, Rintelenſis; &, quæ neutiquam poſtrema eſt, Tubingenſis. In hiſce & aliis pluribus ſcientiarum omnium ſecreta recluduntur, & præmia bene meritis conceduntur: & tam honori maximo eſt civi Germano, bene nato, Athenas illas vidiſſe; quam rubori & opprobrio maximo, illas non vidiſſe. Atque ut amor literarum nihil remitteret, ſed magis dignitatum pabulo aleretur; Imp. Lotharius Saxo, cum ſcholæ ab Imp. Carolo M. Germano excitatæ barbarorum illuvie devaſtatæ eſſent, non ſitum & ſqualorem ſolummodo diſpulit; ſed & ſtudia

Lipſ. in Lovanio lib. 3. cap. 1.

ſtudia inſtauravit, cathedras & publica ſuggeſta præſertim in Italia reſtituit, jure Juſtinianeo, quod cum tineis ἄσπονδον gerebat bellum, in libertatem, lucem, & exiſtimationem reducto; pariterque conſuetudine titulorum Scholaſticorum, ſolennibus Magiſtrorum & Doctorum creandorum ceremoniis cohoneſtata. Qua honorum eſca illecti bonæ mentis & famæ candidati, tanta diligentia & contentione in ſtadio Academico decurrebant poſtea; ut in ſola Witteberga *intra centum annos, a Philoſophico Collegio duntaxat, lauru Magiſterii quater mille quadringenti & triginta quinque Studioſi donati ſint.* Et cognoſcite, mei Auditores, fervorem atque inexplebile diſcendi deſiderium Germanicæ noſtræ Nobilitatis. In primis literaturæ in Germania noſtra renaſcentis incunabulis, in Fuldenſi cœnobio ſexcenti nobiliſſimorum Equitum filii, Sturino Abbate cum aliis triginta Doctoribus artes & linguas ibidem tradente, uno eodemque anno ingenii exercitiis incubuêre. Quid Nobiles tantum memoro? Etiam Barones & Comites, etiam Principes, dulciſſimo literarum Nectare in ipſarum amorem rapti, *Magiſtri* aut *Doctoris* titulos non minori ſtudio & aſſiduitate aucupabantur, quam ſi cum Jaſone aureum vellus ad Colchos capturi eſſent. *Ioannes Dux Megalopolitanus* ipſos XX annos Lutetiæ ſtudiorum gratia commoratus, non ante, niſi publice S. Theologiæ Doctor renunciaretur, ad ditionum ſuarum gubernacula reverti voluit. *Hermannus Haſſiæ Princeps*, in

Heig. parte. 2. qu. 7. n. 49. 50. q. 8. n. 44. & parte. 2. qu. 11. n. 47. 48. 49 &c.

VV. Franciꝰ in Orat.

H. Kirchnerus in Orat. de magnatibus Doctoribus &c.

Academia Pragensi, summa Cæsaris Caroli IV & Bohemiæ regni Procerum congratulatione, Magister artium factus est. *Richwinus Lotharingiæ Dux & Episcopus Argentinensis* Magisterii gradum assumpsit, & inter ornamenta duxit. *Albertus Comes Hohenbergensis* Decretorum Doctor; & *Eberhardus Baro Starenbergius*, Theologiæ Doctor; ingenio infulas meruêre: ille Frisingensem, Episcopalem; hic Salisburgensem, Archiepiscopalem. Sed Geldriæ Ducum exemplum admirabile est. *Arnoldus & Wilhelmus*, fratres erant: quorum ille literatus, iste illiteratus: ille in gratia Regum & Pauli Pontificis, iste ob ruditatem neglectus. Quam ignominiam ne hæreditariam cum patrimonio in liberos transmitteret Wilhelmus, filios suos in Academiam Lutetianam missos, inde redire noluit prius, quam publicis Academiæ testimoniis probati Magistri artium liberalium evasissent. Aliquot centurias Principum, Episcoporum, & Archiepiscoporum, qui *Doctoris, Magistri*, aut *Licentiati* titulos acceperunt, jam producerem; nisi ad alia properaret oratio. Baccalaureum tamen unum atque alterum e Magnatibus videte. *Albertus IV Dux Bavariæ, Ingolstadianæ* Academiæ autor, artium studia eo dignatus est honore, ut non tantum ipse adolescens primi gradus laurum Lutetiæ sumpserit, verum etiam insignia, quæ Baccalaureos ab aliis Ordinibus distinguunt, publice per plateas gestaverit. *Sigismundus Baro Herberstenius*, cujus historiam Moschoviticam lectu dignis-

M. Crusius Ann. Suev. part. 3. l. 4. c. 14 H. Megiserus Annal. Carint. lib. 9. c. 58.

Ar. à Raiger in qu. an Doctoratus Nobilitatem dedecoret.

digniſſimam judicant eruditi; inter omnes dignitates & honores tum variis legationibus, tum aliis expeditionibus muneribus & laboribus partos, primas detulit titulo Baccalaurei: quia illum non generis & Principum blandimentis, ſed ſolis ingenii viribus in Academia Viennenſi ſibi proprie comparaſſet. At quis, Auditores, in tanto literariæ gloriæ ſplendore Germaniam jam dicere illiteratam auſit, niſi impudenter effrons? Quis vero tantæ felicitatis originem ac fontem ſcrutari cunctetur, niſi improbe lividus? Et quis Imperatorum exemplum aliis legem, & ex Aula in omnes Imperii provincias Muſarum amorem ſparſum fuiſſe diffiteatur, niſi ſtolide fatuus? Quid enim *Carolus Magnus* noſtras? Noſtras enim; &, fruſtra pugnantibus Gallis, Germanus, & ex Germanis eſt: de quo Sigebertus natione Gallus ita: *Carolus non ſolùm patria lingua, ſed etiam peregrinis linguis eruditus, barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum bella & actus canebantur, ſcripſit & memoriæ mandavit. inchoavit etiam Grammaticam patrio ſermone: menſibus anni juxta propriam, id eſt, Theutonicam linguam, vocabula impoſuit: ventos etiam duodecim propriis nominibus appellavit, cum antea quatuor tantum cardinales venti nominarentur.* Ille Carolus, literarum amantiſſimus, Lutetiæ examinibus Studioſorum ſæpe intererat; eos ipſemet tentabat; memores officii & frugi bonæ a reliquis ſegregabat; plebeios diligentia laudabiles honorum ſpe confirmabat; Nobilibus ignavis, niſi

Sigebert. in Chron. ad A. C. 794. I. de Serres in Carolo. Fel. Faber in Hiſtor. Suev. lib. 1. c. 7. H. Arn. de Transl. Imp. n. 33. C. Lehman Chr. Spira lib. 2. c. 45. P. Heigius part. 1. qu. 5. n. 26. St. Forcat. in Polon. Fel. W. Gruning. in qu. an Doctoratus Nobilem deceat?

nisi resipiscerent, ordinis imminutionem comminabatur. Quid *Otto Secundus*? Ille quoque felicissimo Martis & Artis conjugio maximus, hoc ex re literaria tulit beneficium; ut Romanorum & Beneventanorum fugacium culpa in Italia a Græcis victus, & in fuga a nautis interceptus, quia se militem gregarium simulabat, & eadem felicitate linguam Græcam, qua suam loquebatur, lytro persoluto incolumis nec agnitus evaserit; posteritati cogitandum relinquens, quantæ sit utilitatis, Principem esse doctum & linguarum gnarum. Quid *Fridericus Secundus*? Ille bonis literis excultus, & literatorum familiaritate semper usus; Germanice insuper, Latine, Græce, Italice, Gallice, & Saracenice doctus; præcipuam paravit inde famam, quod Aristotelis opera ex Græco & Arabico in Latinum transferri sermonem, & eadem Bononiensi Academiæ dono missa publice legi curaverit. Quid *Carolus Quartus*? Ille vere Aquilas Imperii in Musarum hortis jucundissime pascebat, purpuram & diadema cathedræ inter subsellia scholastica sæpe submittebat, prolixas Professorum atque Magistrorum disputationes Augustalibus epulis & dapibus delicatiores, & suaviores, & utiliores æstimabat; necquicquam murmurantibus Aulicis. Quid *Carolus Quintus*? Ille individuus Thucydidis (autor iste mirifice probus res quidem nec multas nec magnas nimis scripsit, sed palmam fortasse præripit omnibus, qui multas & magnas) etiam in castris amicus, amicus quoque

Nauclerus vol. 2. generat. 33. Crus. An Suev. p. 2. lib. 5. c. 2.

Petr. de Vin. lib. 3. Ep. 67. Leand. Italiæ descr.

Camerar. Med Hist. cent. 3. c. 67.

Lips. in not. ad lib. 1. Pol. c. 9.

P. Appiani, Humelii, & aliorum Mathematicorum, Doctor sane non erat, magnitudine statim Imperii tener adhuc a studiis abductus; attamen reverentiam literarum, ubi ubi poterat, constantissime propagavit, & Doctores atque doctos sincerissime dilexit: qui aliquando, ô humilitatem in fastigio! Lovanii Rectori Academico loco cessit & latus texit: qui aliquando Vlissingæ ventos navigationi idoneos expectans, in multam noctem cum Georgio Sigismundo Seldio locutus, interea familia omni sive dormiente, sive alibi divagante, & nemine ad tinnuli æris signum apparente, ipse Carolus Doctori Seldio quantumvis recusanti lychnum prætulit, eumque per gradus deduxit; *Hoc tibi monimentum*, inquiens, *Cæsaris illius Caroli habeto, Seldi, tot exercitibus & excubiis quondam stipati; quem nunc solum a familia etiam desertum vides; & cui tot annos serviisti, is tibi nunc etiam serviit, & tibi lumen prætulit.* Quid *Maximilianus II.* Europæ linguarum; quid *Rudolphus II.* Matheseos, peritissimi? Nunquam nostra Germania fuit doctior; nunquam eruditorum in omnibus ordinibus messis fuit copiosior. Et ut iterum ex summatibus viris & Germaniæ proceribus paucos nominem; non ita pridem *Georgium Anhaltinum Principem* Germania mirata est, & optimi Principis, & sanctissimi Pastoris munere fungentem; in cubiculo templum, academiam, & curiam habentem: & hodie ex eadem stirpe magnanimum heroa, illum Martis & Musarum amasium, illum prudentissimum juxta

Treutler. in Orat. funeb. Wilhelmi Hass. Landgr.

Lipsius in Lovanio lib. 3. c. 4.

D. Chytræus in Orat. funeb. Caroli V.

El. Reisner. in stirpe Ascania.

& fortissimum *Principem Christianum* admiramur. *Henricus Iulius Brunsuicensium Dux* potentissimus, avunculus meus, ingenium & doctrinam in numerato habet: quicquid aliis præstat longa cogitatio, illi dat prima animi intentio. *Mauritio* autem *Hassia Landgravio*, quem exteri inter Principes omnes, qui hoc tempore vivunt, ingenii opibus & excellentia doctrinarum habent parem? Pater ejus *Wilhelmus*, aquila Astronomorum fuit, & velut alter Atlas, qui cœlum humeris quasi suis sustinebat. Sed filius *Mauritius*, literarum helluo & gurges est, πανσοφίαν & scientiarum orbem animo complexus: Musicus est: Poeta est: Orator est: Philosophus est: Jurisconsultus est: Theologus est: & quis non? Princeps immoderati adversum se imperii, & in omnia paratus. Nunquam verbi inopia subsistit; sed velocissimo cursu ac facilimo ad omnes res beata confluit oratio; & quo dicit, eodem scribit impetu: non illi de verbis in consilium venire necesse est. Vtrinque, & voce & stylo rerum potitur. Sed quis sit modus in illa ingeniorum multitudine? Si enim jam ex cæteris doctorum Germanorum Aristarchis, veteribus ac novis; quos gratius sit audivisse, quam olim apud Romanos vidisse Consulem triumphantem; & quidem ex Theologorum ordine (in Facultatum ordines ex communi scholarum consuetudine, Auditores, Germanos Doctores nostros, pro singulorum tamen professione præcipua, etiam hic dispono sciens

H. Treutler. in Orat. funeb. Wilhelmi Hass. Landgr.

pru-

prudens: cum alias plerosque eorum, quippe plerarumque arcana Facultatum rara felicitate perscrutatos, honorificis plurium quoque ordinum literariorum titulis judicem longe dignissimos) Si, inquam, ex Theologis, nihil hic sectarum scissurarumve divortia moratus, cum Virtuti & Doctrinæ, ubicunque gentium invenitur, tribuendum sit præconium; præter illum supra laudatum, & nunquam laudandum satis, MARTINVM LVTHERVM, jam nunc laudem & *Hadrianum VI. Papam, I. Taulerum, I. Geilerum, C. Sumerhart, I. Brentium, I. Wesselum, I. Coclaum, I. Staupicium, Ph. Melanchthonem, Schnepfios, Osiandros, H. Zwinglium, A. Bodenstein Carolostadium, I. Oecolampadium, G. Cassandrum, M. Bucerum, Gryneos, P. Fagium, M. Frechtum, I. Wigandum, H. Bullingerum, I. Mathesium, Bidembachios, M. Chemnitium, B. Menzerum, I. Winckelmannum, I. Gretserum, M. Becanum, A. Tannerum, Z. Vrsinum, M. Flacium Illyricum, I. Andreæ, AEg. Hunnium, I. Arndt, S. Gerlachium, Rungios, D. Paræum, W. Musculum, L. Hutterum, L. Lesium, A. Contzen, H. Rosweidum, S. Gesnerum, N. Selneccerum, D. Chytræum, I. Simlerum, L. Bacmeisterum, G. Mylium, C. Dietericum, I. Reihingum, G. Stengelium, H. Drexelium, I. Bidermannum, F. Balduinum, I. G. Sigwardum, I. Schröderum, M. Schaferum, B. Meisnerum, I. Gerardum, I. Tarnovium, I. Pappum, C. Pelargum, Lyseros, A. Scultetum, Heilbrunneros, I. Schmidium, M. Nicolai*, & optimum καὶ μάλιστα θεοδίδακτον *Hafenrefferum* nostrum

strum: Si itidem ex Politicis ac JCtis *G. Heimburgium, H. Gœden, V. Zasium, Viglium Zuichemum, Everardos, I. A. Widmanstadium, A. Masium, G. Haloandrum, G. Mudæum, H. Schurfium, I. Oldendorpium, Pistores, S. Schardium, I. Damhauderium, Wesenbecios, I. Fichardum, I. Sichardum, I. Schneidewin, N. Cisnerum, I. Mynsingerum, A. Gailium, B. Wurmserum, M. Clingium, M. Colerum, C. Heresbachium, I. Dauthium, M. Teuberum, F. Baronem Schenckium, G. A. Enenckelium Baronem, P. Peckium, I. Borcholten, H. Rosenthalium, L. Schraderum, F. Pruckmannum, P. Denaisium, G. Obrechtum, M. Wackerium, S. Fabrum, M. Freherum, Eb. a Weihe, E. Cothmannum, H. Gisanium, H. Vultejum, I. Gœddæum, A. Heringum, R. Rulandum, A. Knichen, I. Wamesium, M. Lycklema, I. Harprechtum, H. Bocerum, C. Besoldum, P. Heigium, H. Grotium, M. Goldastum, C. Gewoldum, F. Hortlederum, C. Forstnerum, D. Arumæum, Bachovios, Forsteros, Reusneros, R. Sixtinum, A. Raigerum, A. Dinnerum, P. Friderum, C. Ritershusium, I. G. Godelmannum, I. Alemannum, P. M. Webnerum, P. Cypræum, S. Tœlmannum, C. Herdesianum, H. Arnisæum*: Si porro ex Medicis *A. Vesalium, L. Fuchsium, G. Copum, I. Velsium, T. Erastum, I. Cratonem, H. Iunium, I. Guinterium, I. Langium, V. Cordum, H. Tragum, C. Clusium, E. Vorstium, M. Guilandinum, R. Dodonæum, I. Vierum, T. Zwingerum, I. Scheckium, A. Planerum, I. Heurnium, C. Peucerum, I. Pistorium, I. Bauhinum, G. Horstium, D. Sennertum, M. Sebizium, E. Stupanum, P. Theophrastum*:

ſtum: Si deinde ex Philoſophis, Philologis, Hiſtoricis, & Poetis, *Albertum*, illum *Magnum*, (profunda rerum omnium divinarum & humanarum contemplatione, ac curioſa latentium reconditarumque in natura poteſtatum indagine hoc conſecutum, ut veræ magiæ miniſterio, inferiora ſuperiorum dotibus copulando, artemque ad naturæ commercium flectendo, ſtupenda ſæpe miracula ediderit) *R. Agricolam*, *I. Trithemium*, *I. Reichlinum* ἀλεξιβάρβαρον, *I. Nauclerum*, *B. Pirckheimerum*, *Eraſmum Roterodamum*, (cujus eloquentiam totius Galliæ opibus præferebat *C. Longolius*.) *B. Rhenanum*, *V. Huttenum*, *C. Celten*, (primum in Germania Friderici IV. Imp. Auguſti manibus Poetica lauru coronatum) *A. Cranzium*, *Camerarios*, *I. Aventinum*, *I. Cuſpinianum*, *W. Lazium*, *L. Surium*, *N. Clenardum*, *Goclenios*, *G. Agricolam*, (illum in rei metallicæ cognitione præſtantiorem antiquis omnibus.) *I. Sleidanum*, *H. Buſchium*, *I. Carionem*, *C. Bruſchium*, *H. Wolfium*, *C. Geſnerum*, *I. Sturmium*, *H. Eobanum*, *G. Sabinum*, *P. Lotichium*, *H. Glareanum*, *H. Golzium*, *I. Lipſium*, *M. Welſerum*, *I. Druſium*, *I. Buxtorfium*, *I. Douſam*, *I. G. Herwartum*, *C. Vtenhovium*, *C. Dauſquejum*, *D. Heinſium*, *V. Emmium*, *I. Rutgerſium*, *A. Gorlæum*, *A. Schottum*, *I. Caſelium*, *M. Cruſium*, *I. Gruterum*, *E. Puteanum*, *Voßios*, *E. Reidanum*, *D. Eremitam*, *A. Miræum*, *D. Baudium*, *B. Vulcanium*, *R. Reineccium*, *I. Leunclavium*, (cui legationis, a Rudolpho II. Cæſare ad Oſmanicam Portam miſſæ occaſione ve-

P. Scalich. de Magia nat. Trithem. in Chron. Hirſaug. ad An. 1280.

lib. 5. Ep. ad I. Lucam.

ram Turcicorum Annalium, atque adeo recentis Orientalis historiæ, quam luculentis scriptis illustravit, cognitionem debemus.) *E. Meteranum, F. Silburgium, G. Xylandrum, I. Bernartium, I. Gulielmium, I. Typotium, M. Raderum, D. Hœschelium, S. Vinandum Pighium, C. Barlæum, M. Berneggerum, I. Meursium, G. Canterum, V. Acidalium, I. Isac. Pontanum, H. Megiserum, S. Neugebauerum, C. Lehmannum, M. Piccartum, C. Scioppium, F. Taubmannum, H. Kirchnerum, I. Kirchmannum, N. Frischlinum, Siberos, P. Melissum, I. Micyllum, I. Stigelium, P. Bertium, M. Iunium, B. Keckermannum, C. Dornavium, G. Calaminum, E. Schmidium, I. B. Hebenstreitum, G. Gutkium*: Et, si speciatim ex Mathematicis (qua quidem disciplina Germani præcellunt tantopere, ut malignis ineptisque eorum censoribus, si judicium recte atque ordine facere velint, ad Ovidium eundum sit prius, ut transformentur, novosque animos induant admirandarum subtilitatum, operationum, καὶ εὑρημάτων capaces.) si, inquam, dilaudem *I. Müllerum*, illum paulo ante honorifice memoratum, & a cognomine in Franconia oppido *Regiomontanum* dictum, secundum Ptolemæum omnium, qui nobilissimas has artes tractarunt, doctissimum, (quem G. Trapezuntii, ut creditur, filii, qui Germanum ab Innocentio VIII ad corrigendum Kalendarii errorem Romam evocatum, quippe Græcis multo superiorem doctrina, cum ferre non possint, veneno extinxêre.) si collaudem item ipsius Regiomontani

Thuan. H. lib. 76. & 89.

tani doctorem Georgium Purbachium, qui primus astrorum scientiam post prisca secula in Christiano orbe renovavit; si I. Stôflerum, N. Copernicum, Tychonem Brahe, (qui summus vir non solum omnia, quæ corradere poterat ex feudis & beneficiis, quæ ab inclyto Danorum Rege Friderico, Braheæ gentis atque Astronomicarum contemplationum amantissimo, per habuit ampla, sed & ex proprio peculio centum Talerorum millia, & eo amplius in cœlestia illa studia impendit.) si *M. Mæstlinum*, *I. Kepplerum*, *W. Schickardum*, *S. Stevinum*, *C. Clavium*, (quem tanti faciebat Ios. Scaliger, ut maluerit corrigi ab illo, quam ab alio laudari.) *I. Stadium*, *E. Reinholdum*, *I. Schonerum*, *Appianum utrumque*, *Gemmam Frisium*, *B. Reisacherum*, *B. Waltherum*, *S. Munsterum*, *G. Mercatorem*, *A. Ortelium*, *C. Peutingerum*, *I. Vadianum*, *G. I. Rhæticum*; *C. Dasypodium*, *C. Longomontanum*, *R. Snellium*, *B. Pitiscum*, *C. Rothmannum*, *I. Prætorium*, *I. Wernerum*, *H. Metium*, *P. Fabricium*, *P. Merulam*, *P. Cluverium*: Si denique ex Musicis, (ne ignoremus, Germanos quoque Musices restauratores esse.) *Orlandum Lassum*, *I. de Wert*, *L. Daserum*, *L. Lechnerum*, *B. Hotoul*, *P. de Monte*, *F. Sale*, *G. Aichingerum*, *I. L. Haslerum*, *I. Eckardum*, *N. Zangium*, *I. Regnardum*, *I. Reinerum*, *C. Demantium*, *T. Walliserum*: At Deum immortalem! quantum doctorum Germanorum exercitum nusquam desinentem/adhuc prospicio? & quantillum dixi? Profecto, Auditores, paulo plus, quam nihil. Adeo dis-

L. Guicciard in Belg.

dissemiata & sparsa late est divina & beatissimæ ingeniorum Germaniæ ubertas. Quin & ibi hodie literæ nidificant, ubi alias minime solitæ. Jam enim & mercatorum officinæ bibliothecas ambiunt; & mercatores cum Musis mansuetioribus ineunt societatem. Atque ut illi aurum gemmasque lanariis saccis aut vinariis vasis nonnunquam includunt, & transvehunt itinerum periculis declinandis: ita quoque ex iisdem bene multi sunt artium bonarum mystæ vocabulo mercatorum; hoc ipso invidiæ immunes & laudandi, quod rem ipsam habent coluntque, laudis & titulorum securi. Ergo nos Germani in literaria Repub. nulli secundi, & cum pace aliorum populorum dixerim, omnium primi sumus.

Gang. Riv. in præf. ad Principem Lit. l. Lipsl.

Venimus ad summum fortunæ; pingimus atque psallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.

Horat. lib. 2. Ep. 1.

Eant vero calumniarum artifices, mendaciorum institores; perfricent os, & si quæ pudoris supersunt reliquiæ in Vtopiam eas relegent; & denuo maledice eructent & despuant illud: *Germanorum ingenium in manu positum est.* Siccine, nugivendi, cum veritate cerebrum omne abjecistis, ut Theologiam, Politicam, Jurisprudentiam, Medendi peritiam, Historicam, Mathematicam, & universam pulcerrimæ Philosophiæ contemplationem; quibus omnibus Germanos præstare non nescitis, & maxime in Mathematum disciplinis præ illis pueros & infantes & nullos vos esse probe scitis; in extremis digitis

Bodin. in M. Hist. c. 5. & de Rep. lib. 5. cap. 1.

collo-

collocare non ſitis veriti? Dediſcite depudere miſeri; & diſcite, Germanorum hodie non hominum, ſed Semideorum, Religionis, Virtutum, & Scientiarum ſancta nomine eſſe.

At vero, illuſtriſſimi Principes, Auditores cæteri humaniſſimi, quia adeo ingenioſas habemus manus, vel adverſariorum confeſſione; agitedum, in hoc Germaniæ miraculum oculos mecum curſim vibrate. Italos ſine controverſia vincimus: qui non ſolum ipſi *gentes nobis omnes in architectura cedere aſſeverant*; ſed & ex patria noſtra avorum adhuc memoria *architectos, pictores, ſtatuarios, ſculptores, & perarguta manus artifices, ac item aquileges, ſeptempedarioſque menſores petierunt.* Et Galli manus dant; qui teſtantur, omne genus ſuppellectilis & inſtrumentorum a Germanis *tam artificioſe, tam affabre fieri, ut ea cæteri populi mirentur, imitari non poßint.* Omnes celebriorum urbium tabernæ atque officinæ hujus rei documenta dant cottidie; quæ vota hominum prævertunt, & novitate atque indole ſua ſi non numos, ſaltem extorquent a prætereuntibus applauſum & admirationis murmur. Norimbergenſium certe induſtria non eſt horna: jamdudum exteris creditum fuit, illorum opera non de grege opificum, ſed plane egregia eſſe. Sicuti Auguſtanorum quoque aurifabri, bractearii, cælatores, annularii, textores, quorum omnium in nulla Europæ urbe eſt compar numerus, in Orientem & Occidentem uſque ſolidam nec intermorituram ſuarum artium laudem

Æn. Silv. Ep. 170. P. Iov. in Elog. doct. Vir. ad fin.

Bodin. in M. H. cap. 5.

Vlr. Hutten. in Ep. ad Pirckheim.

dem protulerunt. Sed quod de Norimbergensibus, quod de Augustanis; de omnibus urbibus Germaniæ pro cujuslibet conditione intelligi velim. Vbivis fervent opificia: nisi quod alia oppida in uno, alia in alio magis occupantur. Videre enim est Friburgi Brisgoviæ expoliri chrystalla, & inde pocula, capulos, & alia miræ subtilitatis opera elaborari: videre est Essendii sclopetorum; Vlmæ autem pannorum, quos Barchet & Golsch vocant, incredibilem copiam quotannis parari. Ita aliam civitatem orichalcarii, aliam chartarii, aliam stannarii, aut quadrigarii, aut ahenarii, aut tormentorum fusores, aut plumbarii, aut serarii, aut cultrarii, aut falcifices; aliam fullones, tinctores, textores; aliam coriarii, restiones, ephippiarii; aliam plaustrarii, scriniarii, fabri lignarii, cæmentarii, statuarii, vitriarii, figuli; aliam alii nobilitant. Et qui gestit compendio manuarias acuminis Germanici artes intueri, is Saxonicum Dresdæ, Würtembergicum Stutgardiæ, Bavaricum Monachii, ceimiliarchium videndi veniam impetret; comprehendet uno intuitu, cui plane perspiciendo non satis erit annus; & oculos admirabili rerum mirandarum, nec alibi visarum delectu lassabit, non satiabit. Et quod de Superiori Germania nostra memoramus; in eo Inferior, sive Belgium, haudquaquam est inferior: *quam opificibus supra cunctas orbis provincias abundare*, Thuanus scribit. Annales habent, Anno M. CCC. XXX. Lovanii tantum, tantam textorum multitudinem

Hist. l. 46.

fuis-

fuisse; ut ad tria, imo quatuor millia textrinorum in urbe essent: quolibet textrino non minus triginta aut quadraginta homines exigente, qui lanam præpararent, qui carminarent, qui nerent, fullonicam aliasque tales operas exercerent. Sicque ex solo illo genere ad centum sexaginta millia in una urbe degere aliquando oportuit. Et quæ gloria panno Britannico Londinensi hodie tribuitur; eam possidet beneficio Lovaniensium & aliorum Belgarum lanificum; qui pannificii colonias in Britanniam intulerunt, Anglosque artificium, antea agriculturæ & pecuariæ solum deditos, docuerunt: nuper etiam, cum in Belgio nil nisi excidium gentis spiraret truculentus Albanus, profugis & extorribus Belgis aliquot insulæ urbes infrequentes antea & pene desolatas, Norvicum præcipue, Colcestriam, Maidstonam, Sandvicum, Hamptonum, & alias instaurantibus; qui tunc quoque artem conficiendi levidensas, quas *Bayes & Sayes* vocant, & id genus linea & lanea varia textura primi Anglis monstrabant. Textoria autem Belgarum novis inventionibus semper se ipsa surgit ornatior & pretiosior: dubiis tamen rerum æstimatoribus, plusne in lanificio, an vero in linificio illi præstent. Nam in hocce Batavorum solertia est singularis: qui linearum telarum toto orbe celeberrimarum subtilitate Arachnæos labores & Palladias manus provocant; earum candore nivem, tenuitate sindonem, & byssum pretio peræquante. Nec minus tamen telarum opificium Camera-

Lips. in Lovanio lib. 2. c. 2. 5. 11.

G. Cambd. in Annal. Ang. ad An. 1567. Thuan. Hist. lib. 46.

Thuan. H. lib. 50.

meraci illuſtre, & fere ſupra fidem eſt opulentum. Nam ratione diligenter inita, compertum eſt a rerum harum peritis; quotannis LX clɔ telas in ea civitate confici, quæ æquato pretio, ſingulis XL florenis æſtimatis, ad viceſies quater centena millia florenorum excurrunt. Textiles item picturas Flandrorum, maxime Aloſtenſium & Oudenardorum, Regum & Principum pompa jamdudum auri ponderibus antepoſuit: cum fere nullum palatium ſit, quod ex illa Belgica acupictoria officina non inſtruatur. Scio veteres varia in veſte mirabiliter luſiſſe. Cui enim ignotæ ſunt Iſtrianæ pexæ? cui Phryxianæ togæ? cui Attalicæ auro intextæ? cui Babylonicæ Martiali laudatæ eleganti verſu?

lib. 8. epigram. 28.

Non ego prætulerim Babylonica picta, ſuperbe texta, Semiramia quæ variantur acu.

Sed vetus illa pulchritudo cum Belgica comparata, in agris & ſilvis nata videatur. Superat res ipſa fidem: adeo in immenſum crevit Acupictoriæ ſpendor. Nullus hic color abeſt: cogita, quem voles. Ac ſi exemplum poſcis; nulli pavones tam varia venuſtatis veſtiuntur pluma, quam Belgicæ noſtræ tapetia: ita multicoloria, diſcoloria, verſicoloria videas; totieſque prope mutanda, quoties movenda; ac in omni flexu reflexuque alium atque alium colorem oſtentantia: ut ambigas, ludatne aliquis error in re ſeria firmaque. Sic in reliqua arte Pictoria omni, nemo facile alium populum Belgis compoſuerit: e quibus primam laudem obtinent Quintini, Flo-

C. Scriban. in Ant. c. 15.

C. Scriban. in Ant. c. 12.

Florii, Bruegelii, Clevii, Brilii, Cockii, Congneti, Mabusæi, Mostardi, Mori, Schoorelii, Ærtsii, Hemskerkii, Pourbusii, Barensii, Winghii, Hofnaglii, Cocxii; & cum multis aliis *Ioannes Eickius*, qui, quomodo coloribus oleum sit miscendum, primus invenit: tametsi non desunt, qui hanc gloriam tribuunt Antonello Mamertino. Ad summam tamen Pictoriæ gloriam, quantum ego hic judicare possum, conscendit *Albertus Dürer*, Norimbergensis; qui Italorum invidiam ingenio compescens ipsos adegit & ad veritatis confessionem, & ad falsi commentum: cum Dürero quidem herbam porrigerent; sed ut opera sua facerent vendibiliora, fraudulenta Dureriani nominis inscriptione ea proponerent. Veniant jam, qui unquam manuum dexteritate immortalitatem sibi peperere: veniant pictores, Apelles, Xeuxis, Protogenes, Parrhasius, Aristides Thebanus: veniant architecti, Ctesiphon Gnosius, qui templum Ephesinæ Dianæ construxit; Dinocrates, qui Alexandriam Ægypti; Philo, qui Pyreum Atheniensium: veniant sculptores, Leochares, Alcamenes, Bryaxis, Pythis, Scopas: veniant statuarii, Polycletus, Praxiteles, Ctesias, Lysippus: veniant artifices opifices alii quicunque: invenient in utraque Germania magistros, sub quorum disciplina artium tyrocinia iterasse reputabunt omnis suæ felicitatis caput: sed rapientur omnino extra sese, ubi Solem & Lunam miraculorum, illa duo illustrissima inventionum Germanicarum sydera, illa duo maxima manuum humana-

G. Mercator in Atl.

Pflaum. in M. Ital.

Hutten ad B. Pirckh. M Adam. in vita Dureri.

rum, imo ingenii prodigia intuebuntur. Quid hoc eſt? An novus aliquis Albertus, aut Magnus ille redivivus, ſtatuam ad vivi hominis imaginem conſtruxit, quæ libramentis quibuſdam rotiſque intra latentibus, & linguam quadam machinarum diſciplina peritiſſime moventibus, verba quædam articulate pronunciet? Qualem ſtatuam cum aliquando Thomas Aquinas (ab Alberto miſſus in cubiculum, ubi illa latebat) inopinato clara voce loquentem audiret, vehementer perterrefactus, fuſte eam confregit: qua re ſtatim intellecta, *Pol*, inquit Albertus, *triginta annorum opus uno momento contriviſti.* Aut, an novus aliquis Regiomontanus aquilam fecit ligneam, quæ ante Imperatorem Norimbergam ingreſſurum in aera ſubvolet, atque præcedat uſque ad portam? Tenuia hæc ſunt, Auditores, & veluti nebuloſæ ſtellulæ in ſereniſſimo undecunque emicantium & fulgentium aſtrorum cœlo. Sed illa longe maxima ſunt: BOMBARDÆ, & TYPOGRAPHIA: illæ Martis, & hæc Artis, propria: digna unis Germanis inventoribus: ut qui armorum & literarum gloriam obtinerent, iidem quoque armorum & literarum gloriam plus aliis gentibus adaugerent. Bombardarum equidem & muralium tormentorum vis per eſt terribilis; non ſolum, quod flammas & flammeos globos evomunt, ingenti fragore detonant, fulgurant, fulminant; ſed & quod pro ſifonis modulo hoſtem intra centum, trecentos, mille paſſus, & amplius conſiſtentem, eminus feriunt, & te-

13. Wake in Rege Plat.

Ram. præf. ad l. 2. obſ. M. Bartas au. 6. jour. de la creat. Salmut ad G. Pancirol. N. rep. c. 19.

& telum fronti ejus, pectori, aut quocunque tandem dirigitur, certe & cum interitu impingunt; quod arces fortissimas, muros crassissimos diverberant & dejiciunt. Et quam nihili sint hodie Balearidum fundæ, catapultæ, balistæ, scorpiones, arietes, & reliquæ antiqui moris machinæ? Vna bombarda colubrina aut quassatoria majus infertur damnum, quam mille materibus, mille tragulis. Etiam fulmen & tonitru ipsum sono superat ictus bombardarius: quod observatione longa comprobatum Ostendana nupera obsidio totum triennium, & fere in dies singulos fecit indubium; cum Lovanii mugitus machinarum fulminalium matutinis horis facile exaudieretur. *Pace tua dicam, Iuppiter,* inquit Scaliger pater; *fulmina nostra sunt terribiliora tuis: age, coge nubes, ut tonare queas: nos etiam te tranquillo iratum regnum tuum faciemus.* Atque hujus miraculi inventor fuit *Berchtoldus Schwarzius*, Franciscanus, Philosophus. Sed alterum, *Typographiam*, Monguntiaci invenit *Iohannes Guttenbergius*, vir Equestri dignitate: aut, si Wimphelingum audimus, Guttenbergius Typographiam invenit Atgentinæ, in patria, & inde discedens illam Moguntiæ feliciter consummavit: *quod unum cum omnibus omnium veterum inventis certare facile potest.* Nimium certe natura rerum sibi permisit, cum illum Germanum Guttenbergium gigneret; & omnem munificentiam superavit, cum rationem excudendorum librorum nobis aperiret; ut Philippus Beroaldus,

Bodin. in M. H. c. 7.

In Orat de Vien. obs.

Avent. Anal. l. 7. P. Verg. derer. inv. lib. 2. c. 7.

Serar. Mog. rer. l. 1. c 38.

In epit. rer. Germ, c. 65.

Bodin. in M. H c. 7.

Nauclerus Vol. 2. generat. 49.

Italus; ille, qui eruditissimis commentariis Apuleji *Asinum aureum* instruxit & exornavit; tantis Germaniæ meritis ad gratitudinis confessionem impulsus exclamaverit:

O Germania muneris repertrix,
quo nil utilius dedit vetustas,
libros scribere quæ doces premendo!

I. Mercer. Opin. lib. 1. c. 12. Cusp. in Tacito.

Vah quanti labores erant devorandi olim in authoribus exscribendis, & a vetustatis injuria conservandis! Quantum operæ adhibuerat Imp. Tacitus, ut gentilis sui Taciti historias ab interitu vindicaret! Et licet illas in omnibus Bibliothecis reponi, & singulis annis decies describi curarit; satis tamen non caverat, quin fere fieret, quod timuerat: ac periisset scriptor aureus, nisi Corbeiense monasterium in Westphalia custodiam suscepisset, & post tot seculorum silentium loquendi libertatem Tacito restituisset.

H. Kirchm. in Orat. de Stud. Hist.

Tantos vero exscribendi labores nimium quantum exasperabat incuria librariorum: de quorum negligentia & fraude semper conquesti sunt olim literarum mystæ. Equidem Cicero testatur, suo tempore libros Latinos adeo mendose scribi solitos, ut nesciret, quo se verteret. Inde factum est, ut Christiani autores putarint, librarios esse adjurandos, ut cautiores fierent. Sanctus enim Irenæus, fine operis, per Christi nomen diemque tremendi judicii adjurat transcriptorem; ut postquam descripserit, conferat & diligenter emendet ad exemplar. Cæterum Typographia tempori cuncta abligurienti, & sub mor-

Cicero ad Attic. lib. 3. ep. 52.

Vide Euseb. in H. Eccles. Fr. Juret. ad Symmach. l. 1. Ep. 18.

mortalitatis jugum trahenti frenum injecit: illaque vere est *ars memoriæ*, & *mors oblivionis*, & *ingeniorum asylum*. Hisce enim elogiis divinum illud inventum jure ornare possumus, nequaquam eo facto ultra justæ laudationis modum progressi; quemadmodum olim Philon Medicus, qui alexipharmaca sua *Deorum manus* appellabat; & hodie Medici facere solent, qui ingenti jactatione compositiones suas vocant *manus Christi*, *Apostolicon*, *gratia Dei*, *antidotum Paulinum*, & id genus superstitiose inditis vocabulis. Quamobrem *Ioanni Frobenio*, & *Ioanni Oporino*, qui Basileæ; *Christophoro Plantino*, qui Antuerpiæ; *Aldo Manutio*, qui Venetiis; *Robertis & Henrico Stephanis*, qui Lutetiæ & Genevæ; & aliis Typographis; qui nulli parcentes sumptui rem literariam diligentia sua promoverunt, editis summa characterum elegantia innumeris veterum ac recentium monumentis; *plus debet Christianus orbis, quam cuiquam fortissimorum belli ducum ob propagatos fineis patriæ debuit unquam*. Et de Aldo Manutio venuste Beza:

Hutten. de morb. Gall. cap. 6.

Thuan. H. l. 59. de Manutiana familia honorificentissime.

Thuan. H. l. 25.

Bezæ adde N. Leonicenum de morb. Gall. ubi in Aldi laudē præclare.

Didonis cecinit rogum disertus
Maro: Pompeii rogum Lucanus:
& diserte adeo hoc uterque fecit;
ut nunc vivere judicetur illa,
nec jam mortuus hic putetur esse:
imo sunt redivivi & hic, & illa.
Ergo credere fas erit Poetas
Divos; utpote qui loquendo possint
vitam reddere mortuis: quod ipsis

est Divis proprium & peculiare.
Quod si credere fas Deos Poetas;
vitam reddere quod queant sublatam:
quanto est justius aequiusque, quaeso,
Aldum Manutium DEUM vocare;
ipsis qui potuit suo labore
vitam reddere mortuis Poetis?

Quando igitur Typographia mortuos in vitam revocat, & propterea Diva est: quid aliud Germani nisi Dii, qui illam genuerunt? Hæc, Auditores, sunt duo illa maxima Germaniæ miracula; quæ nos fecimus optima, quia toti Orbi communia; & iisdem omnibus viam ad pacem publicam, viam ad virtutum & doctrinarum mysteria, ad Religionem, ad cœlum, ad Christum ipsum Salvatorem nostrum communivimus. Tribuunt nobis Itali, & vere, etiam machinarum, rotulis tempora & syderum cursus recursusque distinguentium inventionem: *I Tedeschi,* inquiunt, *sono stati inventori della Stampa, dell' Artigliaria, & dell' Horologio a ruota, cose nobilissime:* quod ut laudum nostrarum non est exigua accessio; ita silentio illud minime præterire volui. Cujus ergo nationis, Auditores mei, inventum est bombarda? Nostræ Germanicæ. Quis memoriæ statuit æternitatem typis æneis? Nos Germani. Quis horologiorum rotulas docuit? Nos Germani. Nos Germani, Auditores, *bombarda Iovis iram imitati sumus: tempus ipsum librorum perpetuitate superavimus: horologiis temporum comites, rotarum circumactiones, effecimus.*

Boter. in Relat. Europ. p. 1. l. 1. de Germ.

Iul. Scalig. exercit. 99.

Quid

Quid vero profecimus amplius, Auditores? *Sine urbibus fuimus.* Sed hodie non sumus: hodie alias regiones antecellimus. Vnus Ducatus Würtembergicus continet urbes *sexaginta*, & quod excedit. Vna Hollandia, exiguo ambitu Comitatus, *triginta tres* urbes comprehendit. Ex turri Goricomensi, in regione planissima, prospectus est in *viginti urbes duas* facilimus. Ita Vltrajectum inter *quinquaginta* sedet urbes: quarum quæ absunt longissime, unius diei itinere distant. Quin pleraque Germania urbibus referta est, vicinitate ita fere conjunctis, ut altera alteram quasi manu ducere videatur. Omnes pene natura loci, & operibus firmissimæ; ædificiorum structuris, templorum molibus, fontium deliciis, viarum nitore, & omni elegantia ornatissimæ, cultissimæ, pulcherrimæ. Quid enim Christiani Orbis clave Vienna, quid Harlemo (quæ & ipsa mater Typographiæ salutari vult, Hadriano Junio inventionis laudem *Laurentio Ioannis*, cognomine *æditu*, Harlemensi civi tribuente) quid Amstelodamo, Gouda, Argentorato, Brunsuico, Ingolstadio, Dresda, Lubeca, Hamburgo, Brema, Magdeburgo, Antuerpia, munitius? Quid Augusta, Monachio, Lipsia, Breslavia, Græcio, Saltzburgo, Lunæburgo, Basilea, Tiguro, Berna, Norimberga, Lugduno, & Cassiteridum insularum (Hispanis *Azores* dicuntur) inventricibus Brugis, magnificentius, purius, & spectabilius? Quid Lovanio, Gandavo, Praga, Erfordia, Colonia, capacius? De quibus omnibus,

Ens de bello Gallo Belg. tom. 1. lib. 1.

bus, & aliis multo pluribus, quorum catalogus nimis foret longus, dici potest, quod in Vienna Austriæ laudatur, ut *quæ sint civium domus, ea Principum palatia esse videantur.* Asserit Strabo, Græcos vinci a Romanis puritate urbium: Boterus Italus autem scribit, Romanos longe vinci a Germanis. *hora i Tedeschi avanzano di gran lunga i Romani.* Et quod encomium aliquando serenissimus Archidux Carolus, Imp. Ferd. I. filius, pater Ferdinandi, (quem FERDINANDUM, avo cognominem & parem, incredibili Augustalium virtutum conspiratione, & secundissimo fortunæ tantis successibus applaudentis flatu, ad supremum humanæ gloriæ fastigium felicissime grassari hodie videmus) in honorem Florentiæ proferebat; *eam civitatem tantum diebus festis & solennibus monstrari debere*; uti scilicet pretiosæ vestes in magna pompa & festivitate solum indui solent: id nos rectius usurpabimus de civitatibus Germanorum. Antuerpiam inspicite. Locus quis? ad flumen pulcherrimum, pulcherrima planities; & in hac juxta illud pulcherrima urbium, quas Europa, Africa, Asia, videt: structura, ordine, symmetria, mœnibus, ædificiis, viis, universa elegantia, non est quæ illam superet, imo æquet. singula si spectentur, aliæ forsitan excedent: sed omnia corporis, ut sic dicam, membra junctim qui exploraverit, suffragium judicio meo dabit. Quanta fuerit, *cum supra omnia Orbis emporia nuper fuit*, docet Germani sanguinis germen, Julius Cæsar Scaliger isto Epigrammate, quod fecit de Antuerpia:

Æn. Silv. Epist. 165. Bonf. rer. Vng. dec. 4. lib 5.

Boter. Relat. p. 1. lib. 1 de Germ.

Lipsius in præf. ad S. P.Q.A.

Thuan. H. lib 6.

Oppi-

Oppida quot spectant oculo me torva sinistro:
tot nos invidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenum est, operosa Lutetia, Roma
ingens, res Venetûm vasta, Tolosa potens.
Omnimodæ merces, artes priscæque novæque;
quorum insunt aliis singula, cuncta mihi.

Si nunc urbium singularia καὶ ἀξιομνημόνευτα conquirere; & magnitudinem templi Vlmensis in Suevia; pulchritudinem Freidenstadiensis in Würtembergia; Monachiensis Jesuitici magnificentiam in Bavaria; Grüningensis in Episcopatu Halberstadensi nitorem: si Augustanorum augustissimos fontes, & machinas aquarum tractorias; Spirensium montem oliveti; Dresdensium equile, & armamentarium; Ratisponensium pontem; Stutgardiæ suburbicarium Ducale prætorium, & hortos omnium deliciarum sedem; si turrim Argentinensem, (cujus altitudo est pedum geometricorum 574.) Viennensem, Landshutensem, Antuerpiensem, sese altius e terra attollentes, quam turris Babylonica; si item multa millia singularium alia, quæ spectatores ita titillant, ut quo videant sæpius, eo recedant illibentius, & quæ totos *Deliciarum libros* hodie conficiunt, investigare vellemus: ubi, charissimi mei, ubi & quando tandem desinendum esset? Fr. Guilliman. in Ep. Arg. c. 9.

Atqui *in regione terris informi, cœlo aspera, cultu adspectuque tristi, in universum sylvis horrida, paludibus fœda, frugiferarum arborum impatiente, sine agriculturæ honore, sine vinetorum coronis, sine pecorum gloria, sine auro & argento, & sine ferri copia,* Tacit. de moribus Germ. Mela lib. 3. c. 3.

copia, etiam sine commercio; & latrones, & aleatores, & pauperes, & tantum non crucis candidati fuimus. Vereor, Auditores, ne prisci Romani fuerint auditionum faciles in Germaniæ opprobrium, inania rumusculorum interdum aucupati, atque solertia alere soliti. Describunt nobis bestiarum, & lucifugarum serpentum, sterilitate & omni infelicitate damnata cubilia; non domicilia hominum. Non tamen hic repugnabo acriter illud affirmantibus; dummodo & id cogitent; non omnes antiquorum narratiunculas esse Evangelia, aut Fidei articulos. Quid enim de Zona torrida tradiderunt veteres? Quam fecerunt illam torrentem & ustulantem omnia? quàm vastam desertamque, commercii & omnis humanitatis impatientem? Et tamen adeo temperatam experiuntur nostrates Belgæ, Hispani, Galli, Angli; ut neque vestem ob æstum deponere, neque ob frigus sumere cogantur: nisi quod Josephus Acosta in Indiam navigans, cum sub Æquatore versaretur, sole in Arietem mense Martio ingresso, eas frigoris sensit morsiunculas, ut ab apricatione calorem mutuari habuerit necesse. Palam insuper est, longe maximum mediæ Zonæ tractum, præsertim in utrisque Indiis, populorum frequentia mirifice excultum esse; sicque divinissimo oraculo apud Prophetam Esaiam constare fidem; *Deum scilicet non in vanum creavisse terram, sed formasse eam, ut habitaretur.* Quid Philosophorum Poetarumque eximii, Socrates apud Platonem, Aristoteles, Cicero, Albertus Magnus,

Arist. Meteor. lib. 2. c. 5. Plin. H. N. lib. 2. c. 68. Thuan. H. lib. 11. Busbeq. Turc. Ep. 1. Ios. Acosta in Ind. nat. H. lib. 2. cap. 9. Ch. Besold. de nat. populor. c. 8.

Es. cap. 45. v. 18.

Vlysses Aldrovandus Ornithol. lib. 19. c. 1.

gnus, H. Cardanus; Homerus, Callimachus, Æschylus, Theocritus, Antipater, Euripides, Oppianus, Lucretius, Virgilius, Seneca, Ovidius, Propertius, Martialis, Statius; hosque imitati cæteri admodum omnes; quid prodiderunt illi de suavissimis Cygnorum Musicis concentibus? Quot seculis creditum; quod

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
cantator cygnus funeris ipse sui?

Mart. in Xen.

Sed communem istum ab ultima usque antiquitate per opinionum traduces propagatum errorem, meridies veritatis refellit experientia: quæ dictat, cygnos quidem anserinum quid strepere subinde, clangore tamen vehementer aspero ac tam horride rauco, ut sint, qui contendant, corvinum illud *cras cras* cygnea voce suavius esse, adeoque corvos cum cygnis collatos vel ad Sirenum melodiam accedere: ac proinde ego quoque cum Julio Cæsare Scaligero non H. Cardanum modo, sed etiam Antonium Musam Brasavolum, & Federicum Pendalium, clarissimos Philosophos, qui suaviter cantantes cygnos audivisse se asserebant, ad Luciani tribunal, apud quem aliquid novi dicant, nihil verear statuere; Paulum Melissum autem qui & ipse Cygneæ primum, dein in Anglia ad Tamisim dulcissimas olorum harmonias avidis auribus excepisse se denarrabat, excusem tanquam Poetam; quod genus hominum in bicipiti Parnasso inter amplexus Musarum nimis frequenter somniat vigilans, sensibus visus auditusque interea penitus quiescen-

Lucianus in Electro. Plin. H. N. lib. 10. c. 23. Ælian. Var. H. lib. 1. c. 9. Iul. Scal. ad Card. ex. 232. Vl. Aldrov. d. l. Dausqu. in Sil. lib. 11. F. Tilemanus de H. del. Rollenhag. in den warhafften Lugen. c. 22. M. Adam, in vita Meliss.

quiescentibus; quemadmodum fere urogalli, dum gallinas voce alliciunt invitantque, nihil interim vident audiuntque, ne quidem fulgura tonitruaque sclopetorum, ab insidiantibus aucupibus displosorum. Quid vero antiquas istas ineptias exequor? cum his etiam temporibus reperiantur Itali, Hispani, Galli, qui de Germanis non aliter differunt, atque si Germania Vtopiæ provincia censeretur. Witteberga, Electorale Saxoniæ oppidum, Natali Comiti est *urbs prope inexpugnabilis, in planitie plana nudaque sita, quadrata forma, cujus pars extensior fluvium habet conjunctum, qua potest vel procul accedentes conspicere, &c.* In hac descriptione quot verba, tot fabulas enunciat Historicus. Quin Joan Boemus, Aubanus, Germanus, & ipse de Germanis nonnunquam tam inscite tricatur; ut eum nugas condere, non gentis mores narrare voluisse, putem. Quid si & Tacitus aliquando dormitarit? quem Budæus *scriptorum omnium sceleratissimum*, Tertullianus *mendacissimum*, Orosius *adulatorem* appellavit. Hæc vero censoria nomina nimis acerba non probo: & cum Lipsio potius Tacitum inter Latinos scriptores prudentia & judicio facio primum: cujus equidem historia est veluti hortus & seminarium præceptorum, quæ moribus & affectibus emendandis, tanquam sapientiæ gemmas narrationibus suis ingeniose inserit: dico tamen illum erroris manifestum, quod Judæos ab Ida Cretensium monte deduxit. Ita omni malo Punico granum inest putidum.

Lib. 1. Hist.

Bodin. in Meth. Hist. c. 4.

Lipsius in not. ad lib. 1. Polit. c. 9.

Tacit. lib. 5. hist.

Ve-

Verum facite ita esse: fuerimus infelicissimi omnium, & fuerit Germania ipsa barbaries. Quid profecimus? Aperite fenestras: circumspicite, Auditores. Vbi sunt illæ fœdæ paludes? Vbi est Hercynia ista sylva; *cujus latitudo IX dierum iter expedito patuit; & cujus initium nemo, cum dierum iter LX processerit, dicere potuit?* An ruderibus suis humata disparuit? Sylvas quidem habet Germania, sed ad necessitatis & utilitatis modum; quem focus, & opificia, & mercatura circumscribunt. Imo in Frisia occidentali & tractu proximo lignorum inopia est; si inopia dici potest, quam admirabilis cespitum e palustri terra effossorum, & ad solem torrefactorum copia, incredibili fœnore compensat. Nam loca etiam uliginosa, alias frumenti haud feracia, Germanorum labor ad Reip. commodum attemperat: cum abrasa superficie unctuosas tessellas eximunt, & siccant; quæ ignem & facile concipiunt, & diu servant, præbentque carbones multo quam quodvis lignum ardentiores. Cætera terrarum omnia cultissima & fertilissima sunt. Quid enim ad felicitatem huic nobilissimo Würtembergiæ Ducatui deest? Sumen est. Quid Alsatia, tota ditio Rhenensis, quid Belgium est? Hortus est. Quid Westphalia, Hassia, Saxonia omnis, Bavaria, Silesia, Thuringia, quid Misnia est? Horreum est. Quid Franconia, Helvetia, quid Tirolis est? Cella penuaria est. Quid Styria, quid Austria est? Paradisus est. Quid universa Germania est? Cornu copiæ est.

Cæsar de bello Gall. lib. 6.

Törff.

C. Ens hist. Belg. tom. 1. lib. 1. in Frisia.

Illius

Illius immensæ ruperunt horrea messes.

Certe solum istud agricolarum labores magnâ mercede frumentorum, frugum, & fructuum omnis generis liberaliter remuneratur: non tantum quando pingue est; uti in Austria, ubi vili & strigoso equo ager sulcari potest; sed etiam, quando est arenosum & macrum. Nam in Campania Brabantiæ, & aliis quibusdam locis aridis, coloni terræ corium latiori vomere in bracteas abradunt, easque artificiose congestas subjecto igne redigunt in cineres; quibus in excoriatos illos agros inspersis, siticulosas arenas ita lætificant, ut supra quam credi potest triticum profundant. Paucæ in Germania nostra provinciæ inveniuntur, quibus domi non suppetat tritici affatim: si quæ tamen ob populorum frequentiam indigeant, vicini subvehunt abunde. Sic in Hollandia; quæ supra modum fœcunda, sed parvula est; frumenti non satis crescit pro tanta & stupenda hominum multitudine: nihilominus in Hollandia frumentum e reliqua Germania est copiosissimum. Quemadmodum & aliæ res eo comulatissime importantur; dante mari, quod terra negavit: ut non immerito inter *miranda* numeraverit Josephus Scaliger, qui sic ad Dousam:

Heinf. in laudat. fun. Dousæ.

Ignorata tuæ referam miracula terræ,
Dousa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanicium hic lassat textrina Minerva:
lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestra:

nulla

nulla fabris tamen hac ligna ministrat humus.
Horrea triticea rumpunt hic frugis acervi:
pascuus hic tamen est, non Cerealis ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis:
quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe seges, est rarissima lini:
linifici tamen est copia major ubi?
Hic mediis habitamus aquis: quis credere possit?
& tamen hic nullæ, Dousa, bibuntur aquæ.

Germaniam autem frumentorum esse divitem, esuriens Hispania magno suo commodo quotannis experitur: nec etiam Italia diffitebitur. Cum enim ante hos XXII annos illam universam, & præsertim urbem Romam dira fames pressisset adeo; ut Judæis, meretricibus, & hominum purgamentis cæteris ejectis, in singula capita octo tantum panis unciæ cottidie distribuerentur, decreto ad id facto; quod antequam jussu Pontificis promulgaretur, populum exarmari necesse erat: Holsatia tunc, Dania, & Hanseaticæ Vandalorum civitates, atque Belgium, Italis in communi totius provinciæ necessitate suppetias prompte tulerunt, multis navibus annona oneratis, & circumnavigata Gallia & Hispania, per angustias freti Herculei in Mare Mediterraneum & Ligusticum, & in ipsos Italiæ portus, magna cum gratulatione pauperum deductis; Pontifice cursorem, qui nuntium adventantium Germanorum primus attulerat, mille ducatorum honorario donante. Verum de fertilitate Germaniæ quis conjecturam capiat ex ditione Bernatium in

An. C. 1591.

Ianson. in Merc. Gallo B. tom. 1. lib. 4.

Cuſpin. in Auſt. Bonf. rer. Vng. dec. 4. l. 4.

Helvetiis; quæ licet neque Alſatiæ, neque Würtembergiæ, neque Auſtriæ, *quæ jam olim exterorum calculo ſine pari fuit*, frumentorum proventu comparari poſſit; tamen agro Mediolanenſi, qui totius Italiæ longe feraciſſimus eſt, æquatur; ipſiſmet dicentibus Italis; *che Berna & il Berneſe, vale Milano & il Milaneſe.*

Boter. Relat. Europ. part. 1. l. 1.

Nec *vinis* indigenis in Germania, iiſque generoſis deſtituimur; quæ in Angliam, in Poloniam, Moſchoviam, & in Septentrionis regna longe lateque exportantur. Quod enim Rhenenſi eſt delicatus? quod Neccarico ſubtilius? quod Franconico fortius? quod Auſtriaco ſuavius? & ſi magis ſpecialia libare juvat: quod Pfetersheimio, quod Wangemio, quod Traminio dulcius? quod Wipachico nobilius? quod Baccharenſi Principum menſis dignius? O Bacharam Bacchi aram! O charam!

H. Stephan. in laud. Bacchar. *Auguſtus delectabatur* Rhætico; *Tiberius* Siſaro: *Carolus IV.* Baccharenſi; *Maximilianus I.* Buchbergenſi. Cruſ.

Hæc mihi pocula ſint; contemnam Gallia quotquot,
Græcia quotquot habet, quæcunque dat Itala tellus.
Nec ſitiam varios, mihi quos lautiſſima Roma
ſæpe miniſtravit, latices: me judice quamvis
Romanæ Bacchi ſint maxima gloria menſæ.
Nam varia ob varios paſſim celebrantur honores
vina, ſibi propriam poſcentia ſingula laudem:
at tua cunctorum cumulata videmus honore,
cunctorumque ſimul titulos laudeſque mereri.
Bacchi *igitur merito tribuit tibi nomen ab* ara,
Bacchara, *quicunque eſt primus tibi nominis autor.*

Cum vini bonitate quoque certat copia: quæ, neſcio

nescio, an alibi sit major. Si quis autem est, qui gravate mihi assentiat, is velim Herbipolim, urbem antiquitus celebri Dianæ fano, nunc vero Episcopali sede clarissimam, abeat; & in montes vitibus vestitos, quibus illa circumvallata est, excurrat; spondeo, illum in dubium vocaturum; qui fieri possit, ut tot vasa atque dolia, vino colligendo & asservando parata, urbs una capiat: Aut divertat is in proximam Stutgardiam; & inter perpetuos vitiferorum collium anfractus paulisper deambulet; vel in editissimum adscendat locum, & periculum faciat, an vinearum tractum universum possit oculis emetiri: scio, credet ille, non procul omnino a vero aberrare Stutgardianorum hyperbolen, jactantium; *sibi plus vini, quam aquarum esse:* & si rationes subduxerit, comperiet, ut hodie rerum sunt pretia, si vineæ Stutgardianæ omnes de integro statuminibus impedandæ essent, *centum millia aureorum*, & forsitan adhuc amplius, in eam unam rem insumptum iri: Aut etiam secundo Danubio in Austriam ligneo festinet equo, atque e monte Cæsio prospectum agri Viennensis circumcirca petat, observetque, quantum vinearum cultura hodie promoveat? Nam ante CLX annos, quo tempore urbis felicitas in summo tamen non fuit, Æneas Sylvius in hæc verba scripsit de Vienna: *Incredibile videri potest, quot per dies singulos in civitatem victualia ingeruntur. Ovorum atque cancrorum multæ quadrigæ adveniunt: pistus panis, carnes, pisces, volatilia, sine numero afferuntur:*

S'on ne cuilloit de Stutgard le raisin, la ville iroit se noyer dans le vin; *dicunt Galli.*

Epist. 165.

ubi advesperascit, nihil venale ex his invenies. Vindemia hic ad quadraginta dies protenditur: nullo non die trecenti currus onusti vino bis terque inferuntur: ducentos & mille equos in dies ad opus vindemiarum exercet. Cella vinaria adeo profunda & spatiosa sunt, ut sub terra non minus, quam supra terram ædificiorum apud Wienam esse feratur. Contingit etiam aliquando, vindemiam apud nos ita abundare, ut nobilissimi liquoris æstimatio fere sit nulla. Nam in Suevia An. C. 1432. & 1483. & sequenti, vinum non ignobile ea fuit vilitate; ut vas plenum pro vase vacuo daretur; multum, quod condi non poterat, effunderetur, aut calci ad ædificandum macerandæ adhiberetur. De prisco, & post aquæ lactisque usum antiquissimo; quippe quem etiam ante terrarum inundationem primi seculi mortales habuisse videntur, si vini usum primus invenisse recte creditur Noachus; de peculiari, inquam, Germaniæ & totius Septentrionis potu, *Cerevisia*, sive hordeacio vino, quod Rostochii præcipue, Brunsuici, Hanoveræ, (quo loci a *Broihana* quodam nomen habet, hoc disticho laudata,

Grandia si fierint toto convivia cælo,
Broihanam Superis Iupiter ipse daret.)

Zervestæ, Torgæ, Einbeccæ, Breslaviæ, Dantisci, Delphis, Elburgi, Roterodami, Wesopi, Paderbornæ, & ubi non? coquitur optimo vino conferendum: itidem de *Medone*, Creticum vinum dulcedine sua vincente: quid attinet multa dicere? Nisi quod Italis perfectiorem gustum mentem-

Vienna. ἀναγρ. En vina.

Cruf. Ann. Suev. p.3.l. 6.c.16.l 8.c. 17.& 19.

Cluver. in Germ. Ant. lib. 1. c. 17. qui vidit *biram Dantiscanā* annor. LX. mirandæ nigredinis spissitudinisq;: quæ tamen, post tantam vetustatem, non in sitis, sed in morborum remediis habetur.

temque saniorem precamur; *qui cerevisiam capitali odio & sic persequuntur, ut eam a suis doliis & cellis vinariis gravi indicta pœna proscripserint.* Quid de *Croco* Austriæ, quo nullum invenitur fragrantius? Quid de Moraviæ *Thure* & *Myrrha*, non quidem ex arbore desudante, ut alibi, lecta, sed fossili? & quod miraculo est, Wenceslaus Berka, Baro Bohemus, dum in agro suo Sterenbergico fundamenta piscinarii aggeris molitur, integrum hominis corpus invenit, quod totum Myrrha erat. Quid de *Glycyrriza* Franconiæ; de *Rubia* Silesiæ ac Selandiæ; de Thuringiæ *Glasto*? Quid de *Arborum* opulentia? Quid de pomariorum hortorumque ad invidiam amænorum & præstantium opibus? Singula singulas orationes postulant. In *Pecuaria* autem, quam cœlum solumque nobis est benignum? quam proclive in commoda nostra est & promptum? Carnes omnis generis ferinas & domesticas, & saporis exquisiti, habemus abunde: nec spinis argenteis dentes fodiendo, ac si quid reliquiarum hæsisset, ludimus famem: sed mundis dapibus pellimus. *Quid laudatius Germania pabulis?* ait Plinius. Et quid laudatius Germaniæ armentis? ajunt hodie scriptores fere omnes. In Geldriam magna vis boum e Dania usque, ad pascuorum saginam mittitur quotannis. Hollandiæ, tam lætæ vaccarum parenti nutricique, ex hac una re quanti proventus? cum compertum sit, aliquibus partibus vaccas singulas vernis atque æstivis mensibus XLIV lactis heminas quotidie in mulctralia fundere; ac præter-

I. Menoch. lib. 4. præs. 152. n. 11.

I. Dubrav. H. Bojan. lib. 4.

In Selandiæ & Hollandiæ agris oves ter quaterque singulos annos (non sine admiratione) fætare vidimus, & interdū tergeminos, & quatergem. parere: *att. Bod. de Rep. l. 5. c. 1.*

rea Joannes Benningus, Curiæ Hollandicæ Consiliarius, certa observatione & minime fallente calculo ostenderit, Assendelphi & quatuor vicinis pagis tantum lactis uno anno e vaccis emulgeri, quantum devehatur ex Germania Rhenensis vini Dordracum; ubi tamen percelebre emporium sive *stapula est*. Vnde & tanta Hollandici butyri caseique præter cæteros optimi copia est; ut ex eo, quod ad exteras regiones effertur, *decies centena aureorum millia annua* cogi Lud. Guicciardinus testetur. quæ utique summa, preciis nostro tempore immane quantum ob pecuniarum auri argentique incrementum auctis, jam multo major sit, rario dictat. Helvetia quoque

Virg. in Ecl.2.

Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans?

Dan. Eremita in descr. Helvet. adde & cæteros Helvetiograph.

Etsi enim huic Germaniæ laciniæ vel maxime incumbant editissimæ Alpes; in quibus frigus alicubi habitat ferme perpetuum, nivesque etiam æstivæ, rigore aeris inter contiguitates horrentium præcipitiorum in tantum nonnunquam exasperato, ut ad defectum terræ mortuorum corpora glacie condantur: nihilominus tamen hæc ipsa cœli solique inclementia compluribus indulgentis naturæ lenimentis liberaliter pensatur, & potissimum ex eo, quod in cacuminibus & convallibus summorum montium incredibilis vis boum, immensæ supra fidem magnitudinis, alatur; unde in Italiam infinita aguntur armenta. Quid multa? In buceris & lactariis divitiis (bona venia dixerim inalpinarum montanarumque gen-

gentium omnium,) Helvetii obtinent regnum. Sic Bavaria, quæ numerosissimos *suum* greges suppeditat aliis regionibus, quantum lucri facit? Quantum numorum ex eodem mercimonio corradit Westphalia? Quas Principum extraneorum mensas *pernæ Westphalicæ* (quæ a Gallis *Moguntinenses, les jambes de Mayence*, vocantur perperam) non intrant? cibus tàm divinus, ut famen apud saturos inveniat vel in epuli calce. *Equis* item Germanicis, quibus non tantum in domesticis laboribus, sed & inprimis in bello gloria summa est, ut inhiant Galli? Et quis animosius cataphractum militem ferat Frisio? Quid expectari non possit a Carstiis, Pomeranis, Hassis, Bohemis, & vicinis Steinlachianis? Et quot celebres passim equorum mercatus sunt in Germania? Francofurti solum, nundinarum tempore, quanta multitudo vel uno die videtur in spatiosissimo hippodromo? Quanti est, vel unum ex Holsatiæ Principibus, illustrissimum tuum, *cognate Ioachime Erneste*, Parentem, mille & amplius insignes equas propaginum causa alere?

Vide Ph. Camerar. in M. H. Cent. 2. cap. 91. & 92.

Sed ubi sunt hodie *fœdæ paludes* Taciti? Rarissima apud nos aquarum fœditas: imo maxima pulchritudo, commoditas, utilitas, & salubritas est. Non exspatiabor in maria: non expiscabor lacus. Non etiam Pomeraniæ, Prussiæ, Livoniæque litora adibo, *Succinum* lecturus: quod tamen præcipua & copia & nobilitate (nobilissimum autem est, quod candidum) in ea Prussiæ regione, quæ vulgo incolis dicitur die Sudaw/

Cluver. A. Germ. l. 3. c. 44.

Regiomontio contermina, invenitur: adeo, ut illud, quod ad Hispaniæ, Britanniæ, aliarumque terrarum litora olim legebatur, quodque etiam nunc legitur, semper æstimatum fuerit pravum, vile, nulliusque pretii; omnisque fama & præstantia omni ævo uni soli *Prussiaco succino* (quod hodieque Turci summopere expetunt, eoque Persæ sua conclavia, Musea, & sacraria ornare solent.) manserit; atque etiam Tacitus & Theodoricus Rex, *solos omnium hominum Æstios id legere*, recte pronunciaverit. Ast quæ alia regio nobis par est, *Fluminum* nobilitate? Noster est Danubius, omnium Europæ fluviorum Rex,

Aug. Busb. Turc. Ep. 3

qui centum populos, & magnas alluit urbes;

noster est Rhenus, noster Albis; nostri sunt Nicer, Mœnus, Mosa, Mosella, Scaldis, Amasius, Visurgis, Suevus, Viadrus, Vistula, Dravus, Savus, Athesis, Licus, Oenus, Trauna, Anisus, Ilcius unionum ferax; & qui

fluit Isara Iaspide multo,
Isara, qui Slesiis quanquam sit montibus ortus,
gemmiferam tamen amne vehens prædator arenam
Bojemum limphis ditat furacibus Albim;

N. Henel. in Slesiog. c. 2.

& multo plures alii fluvii, quos supervacaneum sit recitare, nostri sunt: qui omnes & mercium, commeatuum, aliarumque rerum, sine magno impensarum damno inserviunt subvectionibus; locaque, quæ alluunt, omni bonorum affluentia collocupletant; & varietate piscium admirabilem ac multitudine quæstuosissimum piscatum red-

Piscationis annuus proventus in Belg. Guicciardino supputante, vicies centenis aureorum millib. æstimatur. C. Ens. in H. Belg. l. 1.

reddunt. De Trauna ſcribit Silvius: *Habet Trauna miri ſaporis piſces; neſcio an alius feracior ſit fluvius: nuſquam terram aut arenam juxta hoc flumen effodies, quin aqua intercreſcente mox piſces invenias.* Jovio quodam opus ſit; qui ſalmones, ſalares, huſones, fundulos, percas, lucios, thymallos, truttas, & mille piſcium delicatorum genera deſcribat: quos ſi Praga condierit, nemo, niſi inſulſiſſimi ſit guſtus, negabit, & piſces eſſe ſuaviſſimos, & culinam Pragenſem hac in re erudire orbem poſſe. Sed quid de *cancris* fluviatilibus? Æſopo olim nepotum omnium gurgiti maximo, tam ſuaves ac jucundi fuere, ut ab urbe Roma in Iſtriam navigaverit, ubi eorum copiam naſci audierat: ſed cum in Iſtriam veniſſet, & multo grandiores ac meliores in Africa gigni intellexiſſet, repente portu ſolvit, & Africam petiit, ut grandioribus cancris ſe exaturaret. At ſi Æſopus reſciſcere potuiſſet, Auſtriæ aliquot amnes prægrandibus cancris ſcatere; totam vero Marchiam Brandenburgenſem prodigioſe & abundantiſſime plenam eſſe: momento temporis, procul dubio, vale dixiſſet Africæ, & in Germaniam noſtram advolaſſet. Sunt & inter aquarum dotes non ultimæ, cum *Salinæ*; quarum virtus & opes Luneburgi, Halæ Saxonum, Halæ Tirolenſium, Halæ Suevorum, Halæ Bojorum, Halæ Auſtriorum, & alibi, ſunt inexhauſtæ: tum *Fontes ſalubres*, qui ſunt valetudinis afflictæ perfugium; ad quos ex remotis terræ plagis primæ quoque dignitatis viri fœminæque confluunt: vereque ſunt iſti

Epiſt.170.

Bodin. in theat.N.I.1.

isti officinæ, in quibus natura ipsa medicinam facit, & artis suæ majestatem infinitis miraculis ex adversum Hippocratis & Æsculapii placita quot diebus confirmat: vixque est ulla Germaniæ provincia, cui provida & benefica illa parens ejusmodi fontium & balneorum canalibus non prospexerit; & quibusdam sic cumulate, ut hæç Würtembergia sola plures ostendere, quam foris tota regna ostentare queant. Cumque rerum naturalium mystæ doceant, singularem illam aquarum in pellendis morbis efficaciam a metallicis saporibus eas imbuentibus conciliari; non importune fecerimus, si interiores patriæ sinus & reconditas penetralium divitias per transennam quasi inspiciamus. Si enim qui in Galliis peregrinantur, S. Dionysii thesaurum; qui Venetiis versantur, gazam S. Marci (quæ vicies centenis aureorum millibus æstimatur) perlustrare plerumque ambitiose satagunt: cur nos a domesticis gazophylaciis, quibus Gallicus ille Dionysius & Italicus ille Marcus collati e Codri familia esse videantur, oculos fastidiose avertamus? E terræ autem visceribus non tantum eruimus marmora diversa, (ut in Ducatu Limpurgensi, ac Comitatu Namurcensi) candidi, nigri, rubri & variegati coloris; e quibus mensarum tabulæ, instar speculi relucentes, magnificarum ædium camini, columnarum coronides, bases, scapi, pluraque talia artificiose adornantur; & alia saxa lapidesque, & gemmas omnis generis, pretii, & usus varii; carbones lapideos admirandos, qui superinfusa

P. Camerar. Medit. H. cent. 1. c. 64.

L. Guicciard. & C. Ens.

aqua

aqua accenduntur, oleo autem extinguuntur; verum etiam effodimus aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, ferrum, & quicquid ad metalla referri poteſt. Fodinæ viſuntur hinc inde celeberrimæ in Saxonia, Bohemia, Sileſia, Auſtria, Styria, Alſatia, Belgio: & nulla provincia eſt metalli ſterilis. *Aurum* quidem licet natura non ſemper trimodio & toto horreo admetiatur: tamen metalla reliqua eo largitur uberius. *Argentum* enim fere omne Gallia, Hiſpania, & Italia, habuit ex Germania; ante novi orbis inventionem. Tamque illud eſt copioſum; ut totæ maſſæ prægrandes ex nonnullis fodinis eruantur. Et quidem una in Snebergi *Georgio* effoſſa eſt tantæ magnitudinis, ut illius videndæ gratia *Albertus bellicoſus* Dux Saxoniæ in ipſam *Georgium* deſcenderit, cumque is & ejus corporis ſtipatores maſ- (G. Agricola de nat. foſſ. l. 1.) ſam illam in menſæ uſum adhibuiſſent, dixerit; *Imperator Fridericus* (erat tunc ejus nominis IV.) *potens & dives eſt, hodie tamen ejuſmodi menſam non habet.* Ita alia inſignis maſſa patrum memoria reperta eſt in valle Joachimica, in capite fodinarum venæ, quæ & *Stella* & *Suicera* dicitur, pondo decem talentorum Atticorum. Quin argenti ea paſſim reperitur abundantia, ut noſtrum ſeculum poſſit dici argenteum; cum quod olim Equeſtri ordini erat factu difficilimum, hodie vel paulo lautiores ruſtici, potiſſimum in hoc Ducatu, argenteis & inauratis poculis aliiſque utenſilibus menſas & mundum ornent: quæ in pecuniariam æſtimationem redacta, quot aureorum,

aureo-

aureorum autem? imo tonnarum myriadibus summa circumscribetur? Vt etiam inde non leve ducatur argumentum; quare prædia, & quæcunque alia bona, hodie tam grandi pretio emantur vendantur, præquam olim æstimata fuerunt. Nam olim Episcopus Passaviensis Alber-
An. C. 1367. tus vendiderat Vlrico & Henrico fratribus Comitibus Schaumburgensibus Eferdingam, superioris Austriæ oppidum, cum omni jurisdictione & jure, quater mille libris numulorum Viennensium; hoc est, ut noster loquendi mos est, *quatuor florenorum millibus*; singulis florenis quindecim baciûm: at hodie illius oppidi pretium ad centum millia & eo amplius surget. Totum hoc
An. C. 1301. hoc est, 5857. flor. 4. solid. oppidum Tubinga olim venierat *octies mille & ducentis libellis obolorum*: at hodie prædia sunt in territorio Tubingensi, qui majoris sunt. Olim
An. C. 1408. Balinga a Friderico Comite Zollerensi *viginti duobus millibus florenorum* ad Würtembergiam pervenit: hodie privatorum ædes inveniuntur non paucæ, Augustæ Vindelicorum, Norimbergæ, & Viennæ, quæ triginta, quadraginta, & amplius florenorum millibus taxantur. Copia, inquam,
Bodin. de Rep. l. 6. c. 2. & adv. Malestr. argenti, pretia rerum exaggerat: & ipsius vilitas, omnium rerum invehit caritatem. Etiam ipsi Helvetii jam argentum noverunt. Nam illo tempore, quo cum *Carolo Pugnace* Duce Burgundiæ bellum gesserant, tanta premebantur inopia, ut ipsorummet legati ad Carolum de pace missi inter alia demonstraverint; pluris debere æstimari calcaria & equorum frena in exercitu Carolino,

quam omnem eam pecuniam, quæ ex ipſorum agris cogi poſſet: & cum ſuperbum hoſtem pacis nomen faſtidientem poſtea prope Granſonium viciſſent ac fugaſſent, præda opima & regia omnino potiti; ignari tamen, quantas opes & divitias conſecuti eſſent; pecuniam captam non numerabant, ſed pileis dividebant; tabernaculum etiam Caroli longe pulcherrimum & exquiſitiſſimum in multa fruſta diſcindebant; patinas argenteas nonnulli, cum ſtanneas eſſe putarent, viliſſimo pretio vendebant; adamantem item Caroli toto orbe celeberrimum, cui erant appenſi aliquot uniones, quidam, ubi reperiſſet, in pyxidem reponens, mox ſub currum abjiciebat; paulo poſt reverſus recipiebat, & ſacrifico cuidam vendebat aureo numo; iſque deinde a ſui oppidi magiſtratu, cui miſerat, accipiebat aureos duos. Verum Helvetii ea occaſione de auro argentoque communem hominum opinionem apprehendere cœpêre; & ea dexteritate progreſſi ſunt, ut facti pecunioſiſſimi argentarios nunc juſte & utiliter argentum verſandi & collocandi modum docere poſſint; nec raro ab illis tanquam bonæ fortunæ depoſitariis Galli & alii populi in maximis neceſſitatibus ingentes pecuniarum ſummas impetrarint. Quod autem de argenti reditibus dixi; idem & de *plumbo*, *ſtanno*, *ferro*, & reliqua omni metallica opulentia intelligendum eſt: quæ non minori fœnore labores impenſaſque foſſorum & patronorum hactenus beavêre. Audite, quid Imp. Maximilianus I. invictiſ-

An.C. 1476.

Cruſ. Ann. Suev. p. 3. l. 7. c. 12.

P. Comin. comm. l. 7.

victissimi Domini Imperatoris nostri MATTHIÆ abavus, de Comitatu Tirolensi, metallis fœta provincia, judicaverit: & idem judicate de aliis locis metallorum fertilibus: *illam* scilicet *rudem & agrestem rustici tunicam, multis quidem plicis & rugis horridam ac deformem; valde nihilominus bonam, calidam, ac commodam esse.* E montium enim illius Comitatus scriniis hauriuntur permagni auri, argenti, metallorumque omnis generis optimorum thesauri: cacumina silvis ferarumque multitudine plena sunt; colles & clivi frugibus ac vineis; valles fluminum ac fontium aquis irriguæ, armentis & pecoribus refertæ sunt; quæ pabulo non minus, quam lacus & stagna inter montes spaciosissima variis & nobilissimis piscibus abundant; ut ita Tirolis non solum Ducatui, verum etiam Regno divitiis possit æquiparari. Audite vero etiam quid Germaniæ nostræ Plinius, Georgius Agricola, de Germaniæ metallis scripserit: *Nostris temporibus*, ait, *Germania præter cæteras Europæ regiones magnam metallorum copiam effundit. Etenim auri ramenta defert Albis, Edera, & multi rivi. idem effoditur in Vestophalis Corbachi: in Francis, Steineheidæ: in Lygiis Reichesteini, & Zucchemanteli; in Carpato monte. Argentum vero eruitur in Saxonia Cellerfeldi, & in finitimis locis: in Misena Fribergi, Mariebergi, Annebergi, Snebergi: in Boemia, in valle Ioachimica, Cottebergi, & in multis aliis locis. Argento autem vivo in Boemia fœcundum est Schonbachum, item Beraunum. At æris copiam suppeditat Meli-*

St. Pigh. in Herc. Prod.

Boter. in Relat.

G. Agr de vet. & nov. metall. l. 1. Contra nugatur R. Herpin. in Apolog. pro I. Bod. Rep.

Melibocus & Carpatus. Plumbi candidi fertile est in Misena Aldebergum & Irberesdorffum : in Boemia Slacchevaldum: sed plumbi nigri mons Ramelus ad Goselariam in Saxonia : cinerei in Misena Sneberggum. Ferrum autem innumeri loci dant, sed optimum in Sorlandis Segena: in Francis, Sulcebachum: in Misenis, Gishubelum & Lavesteinium. In hac omnium fortunæ bonorum affluentia, jubebat charitas aliquid, imo quicquid domi non erat usui & necessitati sublevandæ, foris in proximos & egenos auxilii populos elargiri: sed jussum prævenit Germanorum promptitudo; quæ

nil negat, & sese vel non poscentibus offert. Claudian.

Olim, dum barbari tamen adhuc dicebamur, *quemcunque mortalium arcere tecto nefas* putabamus; *pro fortuna quoque advenam apparatis epulis excipiente, nemine notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, discernente.* Nondum degeneravimus, populares mei: virtutem illam, charitatis dexteram, retinuimus; & haud dubie portio ejus est non aspernabilis hodie mos iste, peregrinos vino & lautiis honorandi, qui non exiguis sumptibus absolvitur. Sed & extra hæc lautia animus Germanorum multo lautissimus vel ipsam provocat munificentiam. Ille Tacit. de morib. G. Cæs. com. 6. Diodor. l. 5.

nunquam divitias nigrantibus abdit in antris,
nec tenebris condemnat opes; sed largior imbre
assolet innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo
usque videre licet populis nudare penates,
assiduos intrare inopes, remeare beatos. Claudian.

Ne

Ne tamen omnia dando, & nihil accipiendo, imprudenter in egestatem præcipitaret patria; honesta populo permissa est *Mercatura*: ut quicunque infra Nobilitatis gradus essent, libere res domi superfluas alio efferrent; & inde utiles domum referrent. Quod rei cum publicæ tum privatæ lucro cessit maximo: civibus etiam bene multis privatorum conditionem ita feliciter supergressis, ut ad magnatum fortunas pervenerint. Vt autem nulla non Germaniæ civitas mercaturæ vacat: sic Inferiores Germani hac laude Superiores superant plurimum: cum viri pariter & fæminæ, senes & juvenes ibi negotientur, in eamque rem plures singuli linguas addiscant; & insuper ipse regionis lectus se accommodet commercio totius orbis. Quod vel navium multitudo planum facit dubitantibus: siquidem quotannis in *Hollandia* solum, millenas circiter naves construi ajunt oceano sulcando aptas; quarum singularum nuda fabrica & materia, sine armamentis, binis constet aureorum scutatorum millibus. ut a vero non abeant, qui credunt, Ordines Belgii confœderatos, si in continente nullo bello implicentur, majorem navium classem in mare educere posse, quam Principem alium in Christiano Orbe quemquam: cum Daniæ Rex ob injuriam legato suo illatam uno eodemque tempore sexcentas naves Hollandicas per Cimbricum fretum navigantes detinuerit; quæ omnes ex eodem portu, Flevi scilicet ostio, fuerant profectæ; præter eas, quæ ex eodem & aliis locis in Angliam, Scotiam,

Casp. Ens in H. Belg. l. 1.

P. Math. in hist. Henrici IV. G.R. l. 6. narr. 3.

tiam, Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, Norvegiam, Italiam, Ægyptum, Turciam, veteris denique & novi orbis insulas solverut. *Amstelodamum*, quod hodie florentissimum Europæ est emporium, tot unico sæpe die ex diversis oris & regionibus adpellunt vela; quot annus integer dies complectitur. Sed præstat in laudem Amstelodami audire cultissimum poetam C. Barlæum: I. Is. Pontan. in H. Amstelodam. l.2.c.19.

Vrbs spatiosa, potens opibus, tectisque superba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.
Civibus aucta novis nunquam stat finibus iisdem,
Latius expansis mœnibus hospes abit.
Invertas, fit tota nemus. quo condita fundo est,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit solertia cura,
Vel natura suo parturit alma sinu,
Illa dabit: totoque parans commercia mundo
Nunc emere, & totam vendere semet amat.
Has adfert, has trudit opes: sic lucra parantur:
Quid valeat fraus, sors, ars, mare, terra, docet.
Moschus, Arabs, Persa, Maurus, Iudæus, uterque
Quod ferat huc, rususque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumq; hæc ipsa pererrat,
Non urbs fixa loco, sed vagus orbis erit.

Qualis fuit *Antuerpia*, antequam Martis intemperiem passa est? Vno ibi mense plura & majora inter mercatores tractabantur negotia, quam Venetiis duobus annis. Et qui studiosius quævis rerum admiranda in memoriæ codices referre solent, observarunt; in illa temporum felicitate, *Boter. in Relat.*

cum

cum ditiores totius pene Europæ mercatores cum ſuis opibus in hanc urbem confluerent, eam aliquando *trecentas e ſola Hiſpania familias*, pleraſque potentes incoluiſſe: ibidem tunc ſingulis diebus bis, ſtatis horis antemeridianis & pomeridianis, in celeberrimo urbis compito, quod *medium Ianum* quidam non immerito, alii *Burſam* dixerunt, ſupra *quinque hominum millia* negotiationibus Orbis terrarum expediundis conventus egiſſe: item ſæpe ibi in Scaldi flumine *bis mille & quingentas naves* mercatorias in anchoris ſtetiſſe; & quotidie *quingentas* minimum adnavigaſſe, aut enavigaſſe, variis mercibus onuſtas; multoties unico maris æſtu *quadringentas* appuliſſe: vix diem inſuper abiiſſe, quæ non *ducentos* viderit *currus* vectoribus gravidos; non annumeratis plauſtris Germanicis, Hanſaticis, Lotharingicis, Gallicis, quæ una ſeptimana *millia* adæquabant; nec etiam in iſtum numerum venientibus carris ruſticis commeatum copioſe deportantibus, qui una ſeptimana *decem millia* ſuperabant: denique in perennibus hiſce commerciorum viciſſitudinibus & jugi exercitio, ſingulis annis, in rerum emptiones ac venditiones *quingentos argenti milliones*, auri nimirum *centum triginta tres*, & quod excedit, erogatos fuiſſe: extra tamen cambia & recambia (ſic enim hodie loquimur: & utimur ſermone tanquam numo, cui publica forma dat pretium) ſive campſualem pecuniam, illam reciprocam & tanquam adlabentis relabentiſque oceani æſtu adfluentem refluentemque ſtata acceſſione & fuga;

C. Scriban. in originib. Antuerp. c. 1.

Rationib. ſc. ad valorem Belgicæ monetæ ſubductis.

dum

dum per universum orbem inambulat fenerario itu redituque; quam nulli prope numeri capiant, nulla Arithmetica expleat. Vnde cum urbs hæc Anno Christi 1576. ab Hispanis immaniter & avare direpta esset, pecunia tantum collecta & extorta (omnem tamen non potuere nancisci; multis parvo se redimentibus, qui ter centum florenorum millia & plus in arcis custodiebant) ad *vicies centena millia coronatorum* æstimata fuit; in ea summa minime comprehensis gemmis & pretiosis cimeliis, aureis vasis & argenteis; nec etiam incendii damno, quod non fuit minoris: milite interea incertum relinquente, majorene licentia pecuniam corraderet, an jam partam dilapidaret. Mox enim in ipsa Bursa mensæ in aleæ lusum publice collatæ sunt, in quibus plerique ex gregariis etiam militibus uno die adversa alea ad *decem coronatorum millia* perdiderunt. Consultiores cum periculosum ducerent, prædam extra urbem deferre; pugionum & ensium manubria, alii galeas ac loricas ex auro solido confici, & sandaracha infucari curabant, ne colore dignoscerentur: qua in re tamen aurificum astu decepti sunt; qui, cupri & æris media parte auro admista, direptionis partem ab ignaris prędonibus callide reciperarunt. Nec tamen sic abiit pecuniaria negotiatio ex ista urbe: sed & in ipsis mediis Martis furoribus ad miraculum floruit postea. Vidimus annis superioribus, paulo ante pactas inducias, e privati nobilis negotiatoris manu, ingenti ausu, vix solidis diebus viginti, in militaria stipendia supra

Meteran. in H.Belg.l 6. & Thuan. H.lib.61.

Ita scribit Scriban. in Antu.c.9.

F septin-

septingenta aureorum millia fuisse expensa: vidimus deinde ab eadem manu, mense uno, *auri millionem unum*: ab eadem denique, mensibus non tribus integris, portentoso conatu, *auri milliones duos*, & super hæc, *aureorum septingenta millia*. Inter humani animi prodigia ducit Plinius æs alienum Milonis illius, qui P. Clodium occidit. At quid sestertiûm septingenties (tantum debebat Milo) ad *auri milliones sex*, quos privati duo Antuerpiæ privato debebant nomine; sed quibus Rex ipse plura longe debuit? Sed missis Antuerpiæ opibus, aurique tonnis ac millionibus, relinquamus Belgii mercaturam; & aliquem mercatum sive panegyrin in Superiori Germania consideremus. Præter cætera loca autem maxima celebrantur frequentia Linzium, Freistadium, & Crembsa in Austria; Lipsia in Misnia, Bozenum in Tiroli, Zurzachum in Helvetia, Argentina in Alsatia, Nordlinga in Suevia, Francofordia in Br. Marchia, Numburgum in Thuringia, Græcium in Stiria, & plurima oppida alia. At *Francofurtum*, quod ad Mœnum sedet, omnium totius orbis nundinarum est caput: ubi quis merces non solum quascunque requisierit, sed plerasque etiam, de quibus ne cogitaverit quidem, & de quibus nec ipse nec alii multi quicquam fando audierint, expositas videbit: idque cum tanta in unoquoque genere copia, ut non e multis civitatibus, sed ex orbis universi regionibus coactas congregatasque fuisse crediturus sit.

Nat. H. lib. 36. cap. 15.

H. Steph. in encomio nund. Francof.

Tot tibi nostra dabit pulchras Francfordia merces:

Hac

Hæc habet, ut dicas, quicquid in Orbe fuit.
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos,
Æquore quot pisces, fronde teguntur aves,
Quot cœlum stellas; tot habet Francfordia merces;
Mercuriusque suo prostat in emporio.
Seu caperis nostram peregre advenientibus urbem;
Ante oculos veniet merx numerosa tuos:
Sive petis merces patrias, tibi mille placebunt;
Cogêris voti nescius esse tui.

Quid vero Auditores? Num *Latrocinia* non turbant commercia? Num itinerantibus mercatoribus prædonum tendiculæ timentur nullæ? Olim fieri poterat in illa bellicosa & Martiali mundi ætate, cum jus in viribus omnes gentes haberent, ut nec majores nostri forte fuerint ubique innocui. sicuti & *Cimbros* Gallica lingua latrones dici, Sextus Pompejus memoriæ mandavit; ea videlicet significatione, qua *AEgyptius* superstitiosum, *Chaldæus* astrologum, *Sibarita* delicatum denotat. Et quidem illa priscorum latrocinia, quæ juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ causa instituebantur, a communi hominum existimatione eam honestatis sumpserant speciem, ut ii, qui ducem sequi detrectarent, in desertorum ac proditorum (patria lingua, Verrhäter vnd Schelmen) numero ducerentur, omniumque rerum iis postea fides abrogaretur. Atque hanc audaciam sive animositatem æque olim usurpabant Ægyptii, Scythæ, Assyrii, Medi, Persæ, Græci, Romanique, cum in exteras gentes imperia constituerent; ut propterea etiam Magnus Ale-

Cæsar Com. lib. 6.

Cluverius Germ. Ant. lib. 1. c. 10. & 46.

xander populusque Romanus ipse *latrones* passim apud scriptores audiant. Verum hodie in Germania nostra, mera regnat innocentia: *Probitas & Gravitas*, proborum & gravium virorum testimonio, *nobis est nativa, non semper in Gallorum gente* (nec etiam apud alias) *reperienda*. Et quemadmodum Eberhardus I Dux Würtembergiæ (qui cum Hierosolyma peteret adhuc investis, sed redux referret barbam, & postea præter ætatis suæ morem aleret, *Barbati* nomen accepit.) non tam familiæ tuæ, *Friderice Achilles cognate*, quam seculi sui lumen; illud inter meritorum & laudum summa ponebat, quod in media æstate ruri possit securus cubare in gremio cujuslibet civium suorum, & suaviter quiescere: ita idem nunc licet in Germania omni; quæ tota securitatis est portus; magistratibus in id strenue operam collocantibus: ut & Philippus Hassiæ Landgravius inter notas boni Principis retulerit, *viarum securitatem*. Tantum autem illi Germanorum nativæ probitati semper tributum est, ut maximi quique Imperatores, Reges, ac Principes, sese vitamque suam eorum custodiæ crediderint. Huncque honorem exhibuerat pugnacissimæ & fidelissimæ genti Augustus, Tiberius, aliique ad Galbam usque; *qui cohortem Germanorum*, ait Suetonius, *a Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam, dissolvit*. Sed receperunt eos postea reliqui Imperatores. Etiam Herodes Judææ Rex nostram gentem in satellitio habuit. Quæ laus & ad-

Lips. in Epist.

Crus. Ann. Suev. p. 3. lib. 7. c. 14.

W. ab Erenberg. de oneribus subd. c. 6. n. 37.

Lips. ad Tacit. lib. 13. Ann. n. 50. Suet. in Galba. c. 12.

& adhuc [illegible] niarum, Gallicarum, [illegible] magno Duce H[illegible] Principibus, [illegible] rum tutelæ [illegible] jure possimus non [illegible] theatro, sed in omnium [illegible] consessu cum legatis [illegible] *talium armis, aut fide, aut* [illegible] dem jactura nulla [illegible] tulerint. Vnde & in [illegible] ne prisci patres, cum [illegible] bus, in quas luderent, [illegible] jactu de libertate & de [illegible] victi voluntariam servitutem [illegible] vis juniores, quamvis [illegible] venire passi sunt: *Fidem* [illegible] Servitus tamen illa [illegible] crudelis; veluti imp[illegible] in homines: cum Germ[illegible] vum, ac vinculis & [illegible] frumenti tantum [illegible] stis, ut colono [illegible] parente. Sed ille [illegible] vitus ipsa, [illegible]

Verum [illegible] quasi [illegible] tes [illegible] stos & [illegible] imus, [illegible] quid [illegible] ciria; [illegible]

P. Rodulphius Seraph. Relig l.1.p.63. est veluti illustre speculum, sed quod solo anhelitu infici ac maculari potest; ubi terrarum est integrior? ubi gentium incontaminatior? *Intra annum vigesimum fœminæ notitiam habuisse in turpißimis habent rebus*; de Germanis scripsit Cæsar. *Sera juvenum Venus, eoque inexhausta pubertas; nec virgines festinantur: viri singulis uxoribus contenti sunt: paucißima in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens*; uti & *publicatæ pudicitiæ nulla venia*: de iisdem scripsit Tacitus. Nec alii mores sunt hodierni: quibus *nostra maxime omnium nationum honestatem conjugiorum juxta* DEI *præceptum colit*: scribit Thuanus.

Cæsar de bell. Gal.6.

Tac de morib. Germ.

Hist. lib 17. ad fin.

Horat. l 4. carm. ode 5.

Nullis polluitur casta domus stupris;
mos & lex maculosum edomuit nefas:
laudantur simili prole puerperæ
culpam pœna premit comes.

Venusque illicita tam est exosa: ut nothis non tantum viam literarios ad honores alicubi, sed & in opificiis exercendis libertatem, qua legitime nati fruuntur, plerisque in locis intercludat. Proinde optimus quisque impudicitiæ vindex est acerrimus. A quo crimine *Maria* Regina Hungariæ, Imp. Caroli V soror, antiqui moris & gravitatis fœmina, supraq; sexum fortissima, tantopere adhorrebat; ut nunquam a Cæsare exorari potuerit, ut cuidam ex primaria nobilitate juveni, fratri percharo, qui unam ex domesticis ipsius virginibus corruperat, culpam condonaret; palam interminata, sicubi illum nancisceretur vel in fratris comitatu, fore, ut extremo

Thuan. H. lib.21.

mo

mo supplicio adficeretur. Neque descivit heroina a proavo *Carolo pugnace*, Belgii Principe: qui sine adspectu & adfectu in quempiam Zeelandici oppidi præfectum memorabili exemplo animadverterat. Iste præfectus fœminam corpore & moribus scitam, sed animo meliorem deperibat; tentabat omnia, quæ solent & possunt amantes; frustra tamen. Dein ex desperatione ad scelus properans, maritum amatæ fœminæ proditionis insimulat, & vinctum in carcerem compingit: ac mulieri virum caste amanti, & pro liberatione illius impigre omnia agenti, innuit; mariti vitam in amoris fructu verti; simulque ad talia trepidanti, rubenti & pallenti, vim adhibet, & potitur. Voti compos, nihilominus maritum in carcere damnari, damnatum capite plecti, atque cadaver in arcam ligneam includi curat, mox sepeliendum; imo conjugem ex pacto maritum recipere sperantem, & nihil suspicantem, abire & tollere jubet. Quæ tristi spectaculo perculsa super cadaver se abjicit, diuq; lamentata, consilium viamque ultioni exquirit. Venit in Aulam querula, & rem ordine Principi denarrat: qui præfecto vocato, interrogato, perplexe multa loquente, tandem confitente, & gratiam implorante, etiam mulieri, ut injuriam solatio aliquo corrigeret, se in matrimonium offerente; illi primum abnuenti, postea aliorum suggestionibus annuenti, novum maritum copulat; etiam persuasum, ut supremis tabulis, si prior sine liberis moriatur, conjugem hæredem ex as-

Lips. in Mon. Polit. l. 2. c. 8.

ſe ſtatim inſtituerit. Quibus peractis, fœmina jam animo ſuo factum eſſe ſatis teſtante, Carolus nondum ſibi ſatisfactum eſſe declarat; & illa ablegata, præfectum in illum ipſum carcerem duci, in quo maritus cæſus, & pariter cæſum in arcam ligneam ſive capulum deponi imperat. Tunc mulierem ignaram eo mittit: quæ inopinato iterum caſu conterrita, duobus maritis, eodem fere tempore, eodem certe ſupplicio amiſſis, mox in morbum incidit & fato obiit: hoc ſolum alteris nuptiis lucrata, ut liberos ex priore conjugio divites relinqueret nova hæreditate. Sic pudori & caſtitati conſulitur, Auditores: ſic ſtimuli & pruritus vagæ libidinis in Germania retunduntur. Addi quoque meretur Mariæ avus, Imp. Maximilianus I, qui inter alias dotes fuit corpore pulcherrimus; ſed ita verecundus a conſpectu aut contactu, ut nemo vir aut fœmina nudum eum viderit aut retectum. Subducebat ſe furtim, aquam ſumpturus; ad lectum iturus, nec cubicularium quidem ad exuendum, deponendum, collocandumque ſe admittebat: adeo ut nulla virgo magis teneri pudoris fuiſſe videatur. Cavit teſtamento inſuper, femoralia mortuo ſibi induci: ut & tunc cura pudoris eſſet, cum jam non eſſet. Atenim illibatæ fidei conjugialis quam illuſtria nobis ſuppetunt monumenta in vicinia? Winſpergum Wurtembergiæ etiamnum calet amore uxorum in maritos. Cum namque Cæſar Conradus III in illo oppido Guelphonem Bavarum obſediſſet, fœmi-

Cuſpin. in Maximil. I. Lipſ. in Mon Pol. l. 2. c. 17. Montaig. l. 2. des Eſ. c. 3.

na-

narum precibus hoc dedit, ut inviolatæ abirent, ſed hac lege, ne quicquam ſecum, præter quod humeris poſſent, auferrent. quæ fide majore dicam, an pietate, relictis aliis rebus omnibus, dulciſſimum onus, maritos tergis, puerulos brachiis, omnibus inſigne & admirabilis charitatis ſtrategema commiſeratione & applauſu proſequentibus, foras bajulant; ſicque victorem Imperatorem, qui de mundo tantum muliebri cogitaverat, ipſum vincunt, lacrimis nobile facinus comprobantem; & maritis vitam atque libertatem, quam perdituri fuiſſent, generoſe conſervant. O exemplum inuſitatæ apud alias gentes virtutis, & omni ſeculo memorabile! O adfectus cœlo digni! Nec mirum; ſi Laurentius Medices, is qui *Literarum parens* uſurpatur, ex dulciſſimæ illius hiſtoriæ recitatione valetudinem amiſſam, quam a Medicis non poterat, recuperaverit. Saltu trajiciamus in alium probitatis ramum, qui eſt *Modeſtia*: non illa, qua inſolita animi magnitudine Imp. Carolus V (poſt Diocletianum, Anaſtaſium II, Theodoſium III, Iſacium Comnenum, Michaelem Rangaben, Michaelem Ducæ F, Nicephorum Botoniaten, Manuelem Comnenum, Joannem Cantacuzenum, Lotharium Ludovici Pii F, pleroſque invitos) ſe imperio & omnibus provinciis abdicavit; XII miniſtris, & uno equo, quo propter imbecillitatem veheretur, contentus: aut qua Imp. Fripericus IV, Ladislao Rege Pragæ mortuo, non vota tantum Bohemorum, qui Regnum,

Trithem. in Chr. Hirſ. ad An. 1140. Naucl. vol. 2. gen. 38. Cruſ. An. Suev. p. 2. l. 10. c. 3.

Bodin. M. H. in pr.

Thuan. H. l. 16.

Cuſp. in Frid.

F 5 verum

verum etiam Moravorum, qui Marchionatum offerebant, modesta excusatione frustratus est: aut qua Fridericus, Elector Saxoniæ, Imperii dignitatem recusavit, suoque Carolum V designavit suffragio: aut qua Joannes Gropperus Cardinalitiam purpuram repudiavit: Sed illa Modestia, quæ est in cultu; quem uti non contemnunt probi Germani omnem; ita ejus apparatu virtutes non metiuntur, minus mentiuntur. Sicuti enim nani diffundunt se laxiori veste, pedum digitis natant, ansati ambulant, ut grandes & corpulenti videantur: ita bonæ mentis exules, quales sunt Thrasones, histriones, funambuli, mangones, fatui, & id genus; in transmarini luxus, & externæ pompæ splendore dementiæ latibulum quærunt, virtutumque fingunt, quam non habent. Imp. Carolus Quintus, in omnibus maximus; in cultu tamen modicus, vel potius tenuis fuit: quod notaruut Itali, & mirati aut calumniati sunt in solenni ejus ingressu Mediolanum. Cives enim omnia magnificentissime instruxerant; plateas aulæis, tabulis, frondibus, & sese quisque vestibus exornaverant; ut nihil augustius & opulentius in ornamenta triumfalis pompæ excogitari præstarive potuerit: sed ille & Imperator, & non semel Rex ac Princeps, in atra penula & vili pileolo spectari voluit; cum fœminarum & plebis curiosa vanitas pictam ex auro trabeam, & fulgentem gemmis in Cæsaris capite coronam exspectaret. Rudolphus I ejusdem sanguinis, in illa tenuitate Carolo adhuc major fuit:

Sleid. de St. Relig. l. 1.

Thuan. H. l. 15.

Jov. Hist. l. 40 & Lips. in Mon. Pol. l. 2 c. 15.

fuit: qui ab Ottocaro, potente Bohemiæ Rege, cujus ille olim curiæ Magister fuerat, homagium accepturus, indutus erat veste grisea, sive cinerea; cumque monitus esset, pararet se cultu ornatiore & Imperatorio, talem tantumque Regem, auro, argento, gemmis, serico radiantem, admissurus; ille renidens, *Imo Rex Bohemiæ*, inquit, *griseam meam vestem sæpe derisit: nunc ipsum vestis mea grisea deridebit.* Quod & factum. Nam licet Ottocarus sub papilione fidem præstaret; deprecatus ignominiam, ne publice genibus ejus advolutus conspiceretur, cujus servitio & ministeriali opera olim usus fuerat: tamen solutili tentorio opportune remisso, & in partes distracto, ille non sine ludibrio supplex Imperatorem adorare visus est. Ottocaro luxu pares Græci; quos Germani, vanitatis illius contemptores, Imp. Henrici VI legati, acerbe insectati sunt. Res est digna relatu. Ille miserat ad Alexium Angelum, Principem Byzantinum, magnam pecuniæ vim tributi nomine petitum. Alexius ut opes suas & potentiam ostenderet, & oculos exterorum veneratione aut metu præstringeret, omnes suos quam ornatissimos comparere jubet, auratos gemmatosque: ipse autem a capite ad calcem nil nisi splendor & nitor. Tum Græculi Germanos affari, cubitis tangere, & digitis præire; ut Imperatoris vestem & gemmas adspicerent; quibus ille, ut floridum aliquod pratum, aut Alcinoi hortus, varie nitebat; *En*, ajebant, *vel in media hyeme veris opes & gratias usurpate, & oculos*

Albert. Arg. in Chro. Cusp. in Rud. Laz. Gen. Aust. l. 1. c. 11. Lips. in Mon. Pol. l. 2. c. 15. Ger. de Roo, An. Aust. l. 1.

Cruf. Annal. p. 2. l. 12. c. 4. Lips. in Mon. Pol. lib. 2. c. 15. uterque ex Nic. Choniate, l. 1.

los & pascite atque hilarate. Quid ad hæc nostri Germani? *Nobis*, inquiunt, *admirationi non sunt ista vestra muliebria spectacula: atque adeo tempus jam est, ut his sepositis ferro aurum commutetis. Si Imperator Alexius postulata neget, necessitas ei imponetur pugnandi cum viris ejusmodi; qui non gemmis, ut prata floribus resplendeant; neque vestibus variegatis, ut pavones, glorientur; sed qui veri Martis alumni flammas nitoremque ex oculis in acie jaciant, ac sudorem margaritis splendidiorem totos dies stillent.* Exitus hic fuit: ut Henricus, qui pendi sibi quotannis *quinquaginta centenarios auri* poposcerat, legatione Alexii mitigatus *sedecim auri talentis* acquieverit. Et tunc primum ab Alexio tributum, quod *Alamanicum* appellabatur, institutum est. Quæ res molestiæ plena cum tumultum minaretur, Alexius sacra donaria e templis auferre conabatur: quod ubi successu caruit, sepulchris Imperatorum effossis ornamenta eorum abstulit, ne Magno quidem Constantino parsurus, nisi intercessum fuisset. Sic ad septuaginta centenarios argenti, & non nihil auri, confecit: sed Henricus, antequam pecunia mitteretur, in vivis esse desiit. Ast quo provehor? Quo Germanicarum virtutum me flumen rapit? Singulas si exequar,

I.Meurs. in Gloss. Græcob.

ante diem clauso componet vesper olympo.

Virg. lib. 1. Æn.

Attamen tacere non possum Imperialem & Regiam gentis nostræ virtutem, FORTITUDINEM; qua salus Christiani orbis per tot secula stetit inconcussa: quamvis dicere gestientem verba

ba amplitudini & majestati paria deficiant. Et, quæ infelicitatis non levis est accessio; res majorum nostrorum fortiter olim gestæ fere caruerunt scriptoribus: cum illi non stylum, sed pilum; non pennam, sed bipennem, versarent: exteri autem sua tantum mirarentur & extollerent, Germanorum incuriosi. Ita in hisce talibus etiam ludit & illudit sive fatum, sive fortuna; ut quidam meritis, quidam fama sint magni. Tacit Ann. lib. 2.

Vixêre fortes ante Agamemnona Horat. l. 4. od. 9.
multi; sed omnes illacrymabiles
urgentur, ignotique longa
nocte: carent quia vate sacro.

Nisus & Euryalus non attigissent nostram ætatem, nisi immortalibus Maronis carminibus vitæ fuissent redditi: Vlysses Homero, Mecœnas Horatio, Lucilius Senecæ id debent; quod nomina illorum indeleta atque indelebilia videat posteritas in actis memoriæ. Ea re Scythæ & Gothi aliquando literas omnes ac monumenta veterum a stirpe convellere conati sunt: quod acerbe ferrent, Græcorum ac Latinorum Bibliothecas & parietes rerum a se gestarum magnitudine repleri; reliquis populis omnibus, tametsi res quoque magnas ac memorabiles gessissent, vel turpiter omissis, vel etiam atroci verborum contumelia notatis. Verum quas hinc inde in hostium archivis deprehendimus tenuissimas licet fortium & illustrium factorum, a majoribus nostris patratorum, stricturas, illæ hoc facile M. Freher. l 1. de glor. c. 3. s. 11. Bodin. in Meth. H. c. 4.

le evincunt; majores nostros tantas res gessisse quantas audere vix hominum; perficere nullorum, nisi Germanorum fuerit! ut præ illorum præliis, Alexandri Magni bella, murium ac ranarum fuisse videantur. Non advocabo illos ultimarum antiquitatum Reges, Tuisconem, Mannum, Ingævonem, Istævonem, Hermionem, Marsum, Gambrivium, Suevum, Vandalum, & alios; spectate mihi, Auditores mei, gentem nostram totam, & nomen ipsum examinate. Germani sumus; hoc est; viri bellaces, & toti viri: apud quos *scutum reliquisse, enorme flagitium; Principi virtute vinci, turpe; turpe comitatui, virtutem Principis non adæquare: infame vero in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est*: qui Gallis ita terribiles; ut quoties isti de transgressu vel adventu transRhenanæ nationis audirent, ingeminarent trepidi, *adventare Germanos*. Nam Gallia Germanis patuit semper; Gallis vix contra mutire ausis. Cumque hi vererentur; ne aliquando ipsis sit omnino domo emigrandum, aliud domicilium, aliæque sedes remotæ a Germanis petendæ: Julium Cæsarem totius fere Galliæ legati, principes civitatum, convenere; *ut sibi secreto, in occulto, de sua omniumque salute cum eo agere liceret.* Ea re concessa; *sese omnes flentes Cæsari ad pedes projecere: non minus se id contendere & laborare, ne ea, quæ dixissent, enunciarentur, quam uti ea, quæ vellent, impetrarent; propterea, quod, si enun-*

Tacit. de M. Germ. Crus. Ann. Suev. p. 1. l. 1 c. 1. Mynsing. in pr. Instit. n. 7. & 13.

Tacit. de M. Germ.

Lips. ad Tacit. de M. Germ. n. 9.

Cæsar. l. 1. de bello G.

enunciatum esset, summum in cruciatum se venturos viderent. Loquebatur pro omnibus Divitiacus Æduus: qui ubi finiit; *omnes, qui aderant, magno fletu auxilium a Cæsare petere cœperunt.* Animadvertit Cæsar; unos ex omnibus *Sequanos* nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent; *sed tristes capite demisso terram intueri. ejus rei quæ causa esset miratus, ex ipsis quæsivit. nihil Sequani respondere, sed in eadem tristitia taciti permanere. cum ab iis sæpius quæreret, neque ullam omnino vocem exprimere posset; idem Divitiacus Æduus respondit; hoc esse miseriorem & graviorem fortunam Sequanorum, quam reliquorum; quod soli ne in occulto quidem queri, nec auxilium implorare auderent, absentemque Ariovistum* (is erat Suevorum Rex) *velut si coram adesset, horrerent.* O mulieres Gallos! O Germanos semideos & heroes! At Cæsar rebus cognitis, verbisque Gallorum animis confirmatis, pollicitus est, sibi eam rem curæ futuram. Quamobrem ad Ariovistum misit legatos, qui ab eo postularent, ut aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret; velle se se de Repub. & summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariovistus respondit: *Si quid ipsi a Cæsare opus esset, se se ad eum venturum fuisse; si quid ille a se velit, illum ad se venire oportere.* Et Cæsari iterum legatos mittenti, atque Gallorum injurias non necturum denuncianti, denuo Ariovistus referri jussit: *Si ipse populo Romano non præscriberet, quemadmodum suo jure uteretur; non oportere se a populo Romano in suo jure impediri: Æduos*

Welcher im Krieg mit unglück hat Der fang es mit dẽ Teutschen an.

duos sibi stipendiarios esse factos. Cum vellet, congrederetur; intellecturum, quid invicti Germani, exercitatissimi in armis, qui intra annos quatuordecim tectum non subissent, virtute possent. Ita utrinque bellum: sed non sine vehementi & periculosa Cæsarianorum commotione. Etenim cum illi percontarentur, & ex Gallis, ac mercatoribus intelligerent; *ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute, atque exercitatione in armis esse, quibuscum sæpenumero congressi eorum ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuerint*; tantus subito timor omnem occupavit exercitum: ut multi discedendi veniam, alio aliam proficiscendi causam meditante, a Cæsare peterent; nonnulli pudore adducti, ut timoris vitarent suspicionem, remanerent quidem, sed neque vultum fingere, neque interdum lacrymas tenere possent; alii abditi in tabernaculis aut suum fatum quererentur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserarentur; *vulgo totis castris testamenta obsignarentur.* Atque sic Gallos, sic Romanos tunc conterruerat Suevorum virtus: in quorum gloriam & illud ferebatur; *Suevis ne DEOS quidem immortales pares esse posse; reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.* Galli equidem *paulatim assuefacti superari, multisque victi præliis, ne se quidem ipsi cum Germanis virtute comparabant*: & Rhemorum legati, Iccius & Antebrogius, apud Cæsarem testantur; *plerosque Belgas, qui omnium Gallorum sunt fortissimi, esse ortos a Germanis, Rhenumque transductos*

Cæs. l. 4. de bel. G.

Cæs. l. 6. de bel. G.

Cæs. l. 1. & 2. de bel. G.

ductos propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolerent expulisse; solosque esse, qui patrum memoria, omni Gallia vexata, Teutones Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuissent. Hinc *Treveri, quorum inter Gallos* (uti Cæsar Gallias tum arbitratu suo definiverat: cujus tamen circumscriptionem ac divisionem castigavit postea Augustus) *virtutis opinio est singularis, & Nervii, circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi fuerunt: tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine & inertia Gallorum separarentur.* Nam falluntur illi, qui credunt, Belgium non meliori jure Germaniæ nomine censeri, quam Asia, in qua Scythæ tanto tempore rerum potiti sunt, Scythia esset: falluntur illi. Præter enim, quod antiquitus etiam *Cisrhenana Germania* bonis autoribus fuerit cognita; in qua domicilia sedesque suas collocaverant Tribochi, Nemetes, Vangiones, Treveri, Tungri, Vbii, Sunici, Nervii, Sueconi, Bethasii, Menapii, Gugerni, Toxandri, Batavi, Caninefates: quod insuper Imp. Trajanus Germaniæ (profecto non nostræ Transrhenanæ, sed Belgicæ) præsedisse a Panegyrista laudatur: quod item tot seculorum consuetudine magna pars Belgarum dicuntur *inferiores Germani*; quod loquuntur Germanice: quod Imperio, ditione, & Burgundico circulo Germanorum continentur, & ipsimet Germani eum *magnam* suam *patriam* vocant: quis omnium regionum fines semper eosdem fuisse, esse, aut fore affirmabit? Sicut enim urbes terminos habent incrementi & decremen-

Ios Scalig. in Not. G.

Cæs lib. 2. de bel. G. Tac de M. Germ.

Vti Thuanus, H. l. 40.

Dio lib. 53.

Cluverius Ger. A. l. 2. c. 37.

Plin. & Lips. in. Comm.

ti ambulatorios; nunc mœnia panduntur latius, jam contrahuntur angustius: aut uti flumina non semper æquabili alveo innatant; nonnunquam decentius, aliquando fluunt superbius: sic & regionum sua sunt fata, quæ finium regundorum judicium exercent, statuuntque ex occasionibus modum: & ferme quot novi reges, tot mutationes provinciarum & nova nomina oriuntur. Non igitur Rhenus, Danubius, & Vistula, *Germaniam, omnium Europæ provinciarum maximam,* claudunt; sed per medios fere Germanorum delabuntur agros: cum extra illos Belgium, Helvetia, Rhætia, Alpes, Styria, Carinthia, Carniola, Austria, magna Sarmatiæ pars, Dania, Suedia, Norwegia, Finnia, & aliæ potentissimæ & patentissimæ regiones in linguam, potestatem, & nomen Germanorum jam olim commigrarint. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Quid si autem Galliam non modo Germanorum captivam; o quoties! sed & *Germanos Gallorum patres* fuisse doceamus? In Galliam vacuam populos *quosdam ab insulis extimis & tractibus trans-Rhenanis, crebritate bellorum & alluvione fervidi maris sedibus suis expulsos*; ait Ammianus Marcellinus. At ubi terrarum sunt illi tractus trans-Rhenani, nisi in Germania? Et res veri est similima. Cum enim non uno eodemque tempore Orbis colonias populorum acceperit; sitque planum, antiquissimas gentium profectiones terra & pedibus, non mari & classe, susceptas esse; fatendum est, eas regiones prius cultas fuisse, quæ Armeniæ montibus sunt propiores, & adi-

Thuan. H. lib. 56.

Goldast. in 10. ult. C. præf. ad Stat. R. Cranz. l. 1. Dan. Cluver. Germ. A. l. 1. c. 11.

Am. Marcel. l. 15.

M. Welser. rer Boic. l. 1.

& aditu faciliores: ut ita Asia minor & Græcia ante Italiam; Pannoniæ & Germania ante Galliam, Belgicam, Britannias, & Hispaniam, hominibus frequentari cœperint. Et hac ratione in universum æstimanti, Germanos vel multitudinis minuendæ causâ, vel ulteriora visendi studio, in Gallias & Britannias vicinas gentis suæ examina effudisse, credibile est. De Belgis supra probavi: de *Britannis* non frustra conjicio; *rutilas Caledoniam habitantium comas, magnos artus, Germanicam originem asseverare.* Cui accedit sermonis cognatio, de qua Tacitus: *dextro Suevici maris litore Æstyorum gentes alluuntur; quibus ritus habitusq; Suevorum, lingua Britannicæ propior.* Quanquam vere dici potest, antiquitus eandem Germanis, Illyriis, Hispanis, Gallis, & Britannis fuisse linguam, dialectis tantummodo varie discrepantem: quod viri doctissimi dudum demonstraverunt. Si vero quidam pertinacius opinentur, *Gallos*, & inprimis *Belgas, vicinum Britanniæ solum occupasse*; per nos quidem licet, abundent suo sensu; sed interim illud Cæsarianum animo recoquant, *plerosque Belgas esse ortos a Germanis*; & una credant, Germanos si non patres, tamen Britannorum *avos* esse. Pergamus vincere Gallias & Britannias. Non autem immorabor cum *Gothis* in Gallia Narbonensi; cui subjugatæ nomen dedêre *Gothiæ*: (unde quoque prodiit appellatio *Languedoc*, quasi *Langue de Goth*; tametsi alii differentias idiotismi Francici in illis appellationibus, *Langue d'ouy* & *Langue d'oc*, satis ridicule venentur.) nec cum pro-

Tac. in vita Agric.

de M. Germ. Cluver. G. A. lib. 1 c. 5. & I. Pontanus in Gloss. prisc. & de Tolosa.

Tacit. in Ag. Cæsar. l. 5. de bel. G. Cambd. 1 Brit. de elg.

E Pasquier des Rech. de la Fr. l. 1. c. 13 I. de Serres in pr. H. Gall. Io. Scaliger de hod. Franc. linguis. Merula Cosmog. p. 2. l. 3. c. 17.

propagine Gothica-Vandalica, *Burgundionibus*, in regnum ipsorum Burgundicum; in quod compegerant virtute sua Burgundiæ Ducatum & Comitatum, civitatem Lugdunensem, Delfinatum, Sabaudiam, & Provinciam; exspatiabor: *Francos*, *Francos* nostros sequamur; gentem omnium, quotquot magna illa atque vasta Germania tulit, generosissimam & florentissimam, excidio Romani Imperii natam; illos, inquam, acerrimos libertatis propugnatores: qui cum ex pluribus Germaniæ populis pro Reipub. & patriæ gloria in unum corpus & novum FRANCORUM nomen, quo universi in posterum adpellarentur, coivissent feliciter, & jam inclaruissent sub Imperatoribus Valeriano & Gallieno; illo a Persis capto, isto Imperium per ignaviam & luxum fœdante; audenter & magna spe in Galliam primo, ac deinde in Hispaniam irruperunt, vastato direptoque Tarraconensium oppido; ubi pars eorum navigia nacti, in Africam penetravère. Inde illi perpetua belli materia Romanis, victores sæpissime, superati quidem nonnunquam; sed victi nunquam. Inprimis Imperatoris Probi ævo paucorum ex illis captivorum memoranda eluxit audacia; qui post acceptas a victore Principe sedes, defectione facta, magnam navium prædatoriarum copiam usque a Ponti faucibus corripuerunt: quibus Græciæ Asiæque oram universam depopulati; Syracusas, navalibus victoriis inclytas, magna clade edita ceperunt: atque postea plerisque Libyæ litoribus non impune adpulsi, tandemque reje-

Cluver. G. A. lib. 3. c. 2. Pasqu. des Rech. de la Fr. l. 1. c. 13.

Dousa fil. in Batavia.

Id. Dousa ex Zos. & Panegyrico. Fr. Hotom. in Franco-G. cap. 4.

rejecti a copiis, quæ Carthagine veniebant, Gaditanti freti angustias perruperunt; ac sine ullo suorum detrimento in patriam reversi sunt. Sed nihil intentatum relinquente illorum fortitudine; cum Gothi Vandalos & Suevos, Franci Gothos ex Galliis per Pyrenæos montes in Hispanias exturbarent, & Vandali iterum a Gothis ex Hispania ejecti in Africam transirent, ibique Carthagine capta totam provinciam Romanis adimerent; *Franci* interim in Gallia novam Franciæ Occidentalis monarchiam condunt; & Gallos novo adoptandi modo, nomini, potestati, & imperio Francorum inferunt, perpetuoque mancipant; sine ulla spe metuve emancipationis: simul omnibus ejus ætatis Principibus reverentia Francicæ virtutis injecta. Nam ut flumen, quod pluviarum largitate intumuit, qua data porta ruit, & sternit aquarum voluminibus, quicquid obstaculum esset allaturum: ita Franci victoriarum cursu omnes antiquos transgressi limites tanto pavore induebant Europam; ut etiam Valentinianus Augustus commune periculum fuerit testatus vulgato proverbio isto: τὸν Φράγκον φίλον ἔχοις, γείτονα οὐκ ἔχοις: *Francum amicum habe, aut non vicinum.* Quapropter indignabatur Rex Francorum Theudibertus factum Justiniani, passim se *Francicum* dicentis; cum is nec subegisset Franciam, nec domuisset Francos. Quanquam cognomina isthæc parta de victis gentibus transibant olim inque successores. Quemadmodum & *Germanici* nomen inter titulos Imperii erat,

I. de Serres in pr. H.G. Merula Cosmogr. p. 2. l. 3. c. 16. H. Com. a Neuenar. de Fr. orig. & sedib.

Cambd. in Ann. Angl. ad An. 1619. Gorop. l. 1. Franc. A. Gent. disp. Macc. c. 5.

Lips. ad l. 1. Annal. Tac. & in Paneg. Plin.

G 3 co-

eoque usi omnes, qui Germanicum Cæsarem sanguine vel adoptione contingerent; ut Cajus, Claudius, Nero, Vitellius, Domitianus, Trajanus; omnesque, qui in sve Principatus; ut etiam filium sinu retinens Vitellius *Germanicum* dixerit. Qui mos, Romanæ superbiæ alumnus, ut evanuit; sic gloria Francorum nostrorum, ut flamma in altum, supra omnia laudum famæ alis evolavit; hoc consecuta, ut jam Caroli Magni ævo universa Gallia, omnisque Germania, quæ a Rheno ad Illyricum usque pertinet, *Francia* dicta fuerit; atque Asiatici Europæos hodie universim, & Turci Christianæ cultores Religionis vocent *Francos*; Abissini autem Africani nos *Alfrangues*, Christianorumque regionem nuncupent *Frankiam*. Sic ergo, mei Germani, Fortitudine nostra *bis sumus patres Gallorum*. Imo eadem etiam *sumus bis patres Britannorum*. Nam *Saxones*, quos a Sacis præstantissimo Asiæ populo ortum traxisse perperam opinantur viri eruditissimi, *animi magnitudine, corporis viribus, laborum tolerantia Germanorum fortissimi habiti*, ut Zosimus; *Romanis maxime formidati, quia repentini*, ut Marcellinus; *virtute & agilitate terribiles*, ut Diaconus, affirmant; circa Annum CHR. CCCCL a Britannis contra Pictorum Scotorumque incursiones, rapinas & violentiam, quas diutius sustinere non poterant, in auxilium accersiti, e Germania in insulam trajecerunt; & eandem post multas casuum vicissitudines in potestatem redactam Anglico Imperio honestaverunt. Britannia tamen

G Viterb p. 17. Lehman Sp Chron. l. 2. c. 2. Merula Cosm. p. 2 l. 1 c. 4 Leunclav. in Onoma. Turc & H. Mus. Turc. lib. 1.

Cluv. Ger. A. l. 1. c. 3.

Cambd. in Brit de Anglo-S.

men demum circiter annum ſalutis Iↄ ccc. X. dicta fuit *Anglia*; cum anteã ab adventu Saxonum, obliterato fere Britanniæ nomine, *Tranſmarina Saxonia* vocaretur. Atque adhuc Angli, qui ſe ſua lingua Engliſchman nominant, a Cambro-Britannis, Hibernis, & ſilveſtribus Scotis Saſſen dicuntur: & de avita Saxonum virtute ipſa Anglorum lingua; ipſa provinciarum Saxonica in *Cantium*, *Southſexiam*, *Eaſt-Angliam*, *Weſt-ſexiam*, *Northumbriam*, *Eaſt-ſexiam*, & *Merciam*, diſtributio; atque ipſa nomina oppidorum recentiora, quæ plerunque deſinunt in Burrow / Berry / Ham / Sted / Ford / Thorp / Wich; & Germanicis terminationibus, Burg / Berg / Heim / Statt / Furt / Dorpe / Wic / reſpondent, clariſſime atteſtantur. Quid *Scoti* & *Hiberni*? Nonne & illi quoq; noſtra ſunt ſoboles? Illi quidem ante Conſtantinum Magnum ſedes in Britannia ſuas non poſuerunt: ut gerræ ſint, quod Buchananus ſcribit, Scotorum nomen & regnum plurimis ante Chriſtum natum ſeculis floruiſſe. Tranſmiſerunt autem ex Hibernia in Britanniam. Nam & Iſidorus Hiberniam a Scotorum gente *Scotiam* vocat; Scotoſque Hiberniam coluiſſe, Oroſius, Beda, & Eginardus, ſunt teſtes omni exceptione majores. Atque Scotorum nomen, tam Hibernis quam Scotis commune, a vicinis ſuis & progenitoribus Scythis traxerunt: ſicuti & ipſi Hibernorum Hiſtorici Nemethum Scytham, & longo poſt tempore Delam e Nemethi progenie, id eſt, e Scythica, inter primos Hiberniæ habitatores conume-

Bonifacius Ep. Mog. in Ep. ad Zachariam PP.

Cambd. in Brit. de nomine Britanniæ.

in hiſt. Scotor.

Cambd. in Britan. de Scotis.

numerant. Quod enim Scoti majores ſuos ex Hiſpania in Hiberniam, & inde in Scotiam digreſſos eſſe jactantius contendunt; in eo ſuaviter & ἀνιστορήτως errant; non attendentes, Scythas in Hiſpania olim fuiſſe; ibi Scythicum in Cantabris promontorium Hiberniæ proximum notum, & Concanos Cantabriæ gentem e Maſſagetis, qui ſunt Scythæ, procreatos; Suſanam quoque urbem, inter Lucenſios Hiſpaniæ poſitam, ab iiſdem Scythis conſtructam; & ex Lucenſiis atque Concanis, qui inter Cantabros erant vicini, Lucenos & Ganganos in illa Hiberniæ ora, quæ Hiſpaniam proſpectat, progenitos eſſe. Si quis autem roget, quinam illi Scythæ fuerint, qui in Hiſpaniam devenerint: quid aliud reſpondebimus, niſi Germanos fuiſſe? Germanos enim

Nat H. l. 3. c 3 jampridem in Hiſpaniam pervaſiſſe, tum ex Plinio, qui *Oretanos Hiſpaniæ Germanos cognominat*,

In Conſ. ad Helv c. 6. tum ex Seneca Hiſpanorum ſapientiſſimo conſtat: *Pyrenæus*, ait Philoſophus, *Germanorum tranſitus non inhibuit: per invia, per incognita verſavit ſe humana levitas.* Germanos etiam Scythas dictos

Strabo l. 1. & 11 Plin. N H. 4 c. 12. Cluver. Ger A. l. 1. c. 2. fuiſſe, non ſolum ex Ephoro & Strabone clarum eſt, qui gentes ad Arctum omnes *Scythas* vocarunt; ſed & ex Plinio, qui *Scytharum nomen uſquequaque tranſire in Sarmatas atque Germanos tradit.* Quod ſi vero Hiberni Scotique illos Lucenſios & Concanos Germanorum nepotes pro

P. Oroſius l. 7. c 22. I. Vaſæus in Chr. Hiſp. patribus ſuis agnoſcere renuant: in quo tandem niſi patrum numero numerabunt illos *Germanos ulteriores*, illos Francos, *qui* Gallieno imperante, *ab-*

abrasa potiti sunt Hispania; & inde ex Gallæcia per Constantinum Magnum pulsi in Hiberniam demigrarunt? Cumque Franci iidem fuerint, aut Francis vicini, qui Cauci & Menapii prius dicti erant; qua ratione affirmantibus, Caucos & Menapios, quos in Hibernia statuunt Geographi, ab illis nostratibus satos fuisse, refragabuntur? Assiduus, Auditores, majorum nostrorum fuit discursus: non una comprehendi & circumscribi Germania virtus & multitudo Germanorum potuit: quotidie in orbe aliquid mutavit: novas semper colonias, ad exonerandas vires emisit: nova imperiorum fundamenta jecit: nova gentium nomina, exstinctis prioribus, aut in accessionem imbecillioribus conversis, imposuit. Germania enim & hac prærogativa supra omnes alias orbis regiones, etiam supra ipsam Scanziam insulam, (quam tamen fabulis obnoxius Jornandes *officinam gentium* & *vaginam nationum* appellat) est admirabilis: quod summa & fere incredibili populos pariat fœcunditate. Illustris, me-Christe, gloria; tantoque illustrior, quanto prima DEI benedictio illa, *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam*, apud Germanos effulsit uberior; tanto sanctior, quanto multitudo imaginum DEI ibi est grandior; tanto denique major, quanto gens nostra tot gentium, Cimbrorum, Suevorum, Gothorum, Langobardorum, Francorum, Saxonum, Normannorum, Herulorum, Gepidarum, Anglorum, Vandalorum, Danorum, Hunnorum, & aliorum mul-

Iornand de reb. Get.

Veteran. de jur. liber. l. 7. §. 3. ff. de bon. dam.

torum, in orbem terrarum distributione, orbis imperio est dignior. Et quemadmodum jure Romano numerosa proles tribuebat honores, & ab oneribus vacationes: cum e re Reipublicæ *maximeque sit necessarium, imperium hominum adjectione ampliari*, ut Paulus; *repleri liberis civitatem*, ut Pomponius; & *legem utilem Reipub. subolis scilicet procreandæ causa latam, adjuvari interpretatione*, uti Terentius Clemens; Jurisconsulti eminentissimi, eleganter loquuntur: adeoque Senatus Romanus, cum Neroni ex Poppæa filia nata esset, templum Fœcunditati decernebat: Sic Germani nullis satis augustis privilegiis, nullis satis magnificis templis, honorari possunt; cum illi publicæ fœcunditatis magistri, an potius communes orbis patres? non tantum suam Rempublicam, sed & complurimas alias liberis repleverint & corroboraverint. Nam *ubicunque vicit Germanus, ibi habitat*. Neque nos in insolite prodigiosa mulierum fertilitate laudem illam publicæ fœcunditatis fundamus. *Margareta* Florentii IV Comitis Hollandiæ filia, & Hermanni Comitis Hennebergiæ uxor, annos quadraginta duos circiter nata, A. CHR. cIↃ. cc. LXXVI. ipso die Parasceves, hora nona antemeridiana, *trecentos sexaginta quinque enixa est liberos*; qui a Guidone Suffraganeo Trajectensi in pelvi simul jacentes sacro fonte abluti, masculis *Ioannis*, fœmellis *Elisabethæ* nomine indito, omnes uno eodemque die cum matre fat[illegible]ncesserunt. Ita alia *Margareta* Comitis [illegible] uxor, tricesimo

l. 1. ff. Solut. matr. l. 64. ff. de cond. & dem.

Tacit. lib. 15. Annal.

Had. Iun. in Batavia, c. 10 P. Scriv. in Batavia illustrata.

mo ſeptimo anno poſt, totidem infantes maturo partu edidiſſe fertur. Sed talia, inquam, prodigia ad communem naturæ ordinem, quem in propagatione generis humani inter Germanos ſervat, non referimus: cum vel exemplorum raritas, & momentanea infantium fere prius denatorum quam natorum vita; ſiquidem idem dies erat natalis, & fatalis; id jubeat. Fortitudo Germanorum fortiorem, & diuturniorem poſtulat ſobolem, communi tamen omnium fœcunditate ſuffultam. Et conſiderate mecum, mei collegæ, & vos cæteri Auditores, illam Tubingæ vicinam arcem Æntringam, quam ſerenitate aeris ad deambulationes invitante ſæpius aſpicimus: in ea ante ducentos annos concorditer & amanter vixêre viri Nobiles quinque, cum uxoribus; & *centum liberos*, ſpe omnes, re pleroſque magnos, procreavere: nempe Joannes ab Halfingen ex Nippenburgenſi uxore genuit XX, Rudolphus ab Ehingen ex Truchſeſia XIX, Marquardus ab Halfingen ex Vrſula Bubenhofia itidem XIX, Georgius porro Halfingius ex conjuge Kabina XXI, Hugo denique a Giltlingen ex ſua totidem. Conſiderate & *Dalburgiam* illam, genere nobilem, quæ in ſexto gradu deſcendente poſteros vidit; unde nati & hi verſus:

Cruſ. Annal. Su. p. 3. l. 8. c. 2.

(1) Mater ait (2) natæ; dic (3) natæ, filia (4) nata
Vt moneat, (5) natæ plangere (6) filiolam.

Ein Mutter zu ihrer Tochter ſprach /
Sag deiner Tochter / ihr Tochter Gemach
Erſchall / daß ihr Tochter rein

Cam. Cent. 8. M. H. c. 66. Majol. in dieb. Can. Piccartus in Obſ. H. Pol. dec. 11. c. 3.

Kleins

Kleins Kindlein in der Wiegen wein.

Considerate vero mecum & *Babonem* Comitem Abenspergium, Babonis Schirorum Principis filium; qui ex duabus uxoribus XXXII filios, atque VIII filias tulit, bene educavit, & superstites reliquit: qui aliquando ab Imp. Henrico II venatum secum cum paucis ire jussus, & occasionem nactus, qua familiam suam tanto Principi commendaret, omnes filios, jam tum puberes, scitos admodum & elegantes, ad venationem instruit, & ita cum omni filiorum turma ad Imperatorem procedit; cui multitudinem admiranti, & pro paucis, qui debuerant, tot equites, qui non debuerant, adesse obmurmuranti, Babo respondet: *Cum uno equidem duntaxat famulo, sanctißime Cæsar, præsto sum; reliqui sunt tui, Principum optime, famuli, filii mei; quos tuæ majestati exhibeo, committo; quodq; bonum, faustumq; felixq; sit, talem electorum juvenum & fratrum cohortem, in pace decus, in bello præsidium, dono do: ut ingenuam decet sobolem, maxima cura tibi educavi: adolescentes solertes sunt: spero, te dignos, & utiles Reip. fore.* Gratissimum munus tale juvenum fratrum examen Augusto fuit, singulos adolescentum benigne appellanti, dextra & osculo excipienti, filios nuncupanti, & postea præfecturis & prædiis ditanti: ex quibus præcipuam Nobilitatem Nariscorum, Vindelicorum, Noricorum, Charionum, Bojorum, Francorum, & Rhenensium, genus trahere boni autores volunt. At quid fœcunditatem

Avent. An. Bojor.

tatem publicam ex familiis tantum dijudico? Totas civitates, & provincias mecum, Auditores, inſpicite. Quæ regio, quæ ditio non eſt plena urbibus & pagis? quæ urbes pagive non ſunt oppleti domibus? quæ domus refertæ non ſunt familiis numeroſiſſimis? Quo tempore primum Hiſpani cum Philippo II Rege ſuo in Flandriam venerunt, pagorum populique frequentiam demirati judicabant, totum Comitatum perpetuam & πολυάνθρωπον urbem eſſe. Sed hoc judicium & ſingulæ Germanorum provinciæ ſibi, non invitis Hiſpanis, adſcribere poſſint: ut Boterus viri boni officium fecerit, errorem a ſe commiſſum publice caſtigando; quo Germaniæ, tametſi anguſtiſſime circumſcriptæ, *centies centena hominum millia* tantum tribuerat; & ita altero tanto majorem hominum numerum poſtea Germaniæ annumeraverit: rectius tamen, & vero ſimilius ſcripturus, ſi tertio tanto ampliorem numerum feciſſet. *Veggo*, ait, *che quella ampliſſima provincia paſſa dicianove millioni d'anime, ſenza comprendervi i regni di Denemarca & di Boemia.* Quamobrem licet ex Germania vel ducenta militum millia (uti nullum magni momenti bellum in Europa ſine Germanis jam a multis ſeculis confectum eſt, robore exercituum plerunque in Germanis militibus, firmitateque earum legionum conſiſtente) foras emittantur; domi nihilominus illa viribus ſuis tuta eſt, nec publice hominum infrequentia ſentitur. Decumanus quidam fluctus, Auditores, ex Bri-

in Relat. p. 2. l. 1. & 2.

P. Victor. in f. orat. Max. I I. Imp.

Britannico mari me in Germaniam rejecerat: iterum tamen *Normanni* noſtri inde me retrahunt: illi Normanni noſtri bellicoſiſſimi, non obſequiis, ſed armis ſemper magni; & præſtantiſſimi Ducatus in Gallia, & nobiliſſimorum regnorum in Anglia Siciliaque conditores. Namque Caroli Magni temporibus per Friſiam, Belgicam, Angliam, Hiberniam, & Galliam licenter vagati, & nominis ſui terrore iſtis populis tam profunde impreſſo, ut ad averruncandum eorum vim publicis Eccleſiarum ſupplicationibus & hoc fuerit additum; *A furore Normannorum libera nos Domine:* poſteaque Carolis, *Calvo, Craſſo, & Simplice*, multis magnisque damnis adflictis, non faciebant vincendi in Gallia finem, donec totam Neuſtriam, ab illis *Normanniam* dictam, ſubêgere; Carolo Simplice denique coacto, ut Rolloni eorum Principi, e ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepto, filiam elocaverit, & dotis titulo Normanniam conceſſerit. Quam rem vetus manuſcriptus codex monaſterii Andegavenſis ſic non illepide recitat: *Carolus Stultus dedit Normanniam Rolloni cum filia Giſla: hic non eſt dignatus pedem Caroli oſculari: cumq; comites illum admonerent, pedem Regis acceptione tanti beneficii oſcularetur, lingua Anglica reſpondet;* Neſe by God; *quod interpretantur, non per* DEUM: *Rex vero & ſui illum deridentes, & ſermonem ejus corrupte referentes, illum vocaverunt* BIGOD: *unde Normanni adhuc vocantur* BIGODI. Ex hujus Rollonis poſteris Gulielmus *Conquæſtor*,

Camb. In Britan. de Normannis. Eſt. Paſquier, des Rech. de la Fr. liv. 2. cap. 12.

quæstor, cum EdWardus Sanctus, cognomento *Confessor*, Rex Angliæ, e Saxonica stirpe ultimus, in cœlestem patriam cum summo suorum desiderio emigrasset; defuncti ille promissis, adoptione, & affinitate fretus, contra Haraldum diadema & imperium Angliæ perfide arripientem signa convertit: quo victo & interfecto, Londinum advolat, magnaque lætitia & festis acclamationibus exceptus & Rex salutatus, inde regnum & sanctioribus legibus, & nova hæredum prosapia ornavit firmavitque. Tancredus autem, qui fuit a Rollone quintus, liberis dives, opibus pauper, cum sibi & filiis, quos habebat XII, opimiorem fortunam sub alieno cœlo parare constituisset, circa Sergii IV Rom. Pontificis tempora in Italiam, quam tum Berengarius Hunnique vexabant, intravit & stipendia fecit. Eratque in patre & fratribus, omnique eorum comitatu, ea majestas, ea corporis proceritas, virium ac sapientiæ magnitudo; ut, qui eos ignorabat, non ex uno parente, sed ex toto terrarum orbe selectos, nec ad militandum, sed ad regnandum genitos judicaret. Atque illius Tancredi posteritas, ejectis e Sicilia Saracenis, non paucos annos regnum tenuit, & in terra quoque Sancta res maximas magna cum laude gessit: cui Siculi hodieque, *quod in solo patrio sunt, quod liberi vivunt, quod Christiani sunt*, ingenue acceptum ferunt. Rogerus Hovedenus de Normannis præclare: *Audax Francia Normannorum militiam experta delituit; ferox Anglia captiva succubuit;*

Fazell. [illegible] decad. [illegible] de reb. Sic.

Cambd. in Brit. de Normann.

buit, dives Apulia ſortita refloruit; Hieroſolyma famoſa, & inſignis Antiochia, ſe utraque ſuppoſuit. Vereor, Auditores, ne a priſcis noſtris Germanis diſceſſerim longius: ad quos niſi regrediar, ingratus ſim: de quibus Romani, & hoſtis quidem, teſtimonium hoc contemnendum non eſt: *Sexcenteſimum & quadrageſimum*, ait, *annum urbs noſtra agebat; cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coſs. Ex quo ſi ad alterum Imperatoris Trajani Conſulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. Tam diu Germania vincitur. Medio tam longi ævi ſpatio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliæve; ne Parthi quidem ſæpius admonuêre. Quippe regno Arsacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam cædem Craſſi, amiſſo & ipſe Pacoro, infra Ventidium dejectus oriens objecerit? At Germani Carbone & Caſſio, & Scauro Aurelio, & Servilio Cepione, M. quoque Manlio, fuſis vel captis, quinque ſimul Conſulareis exercitus populo Romano; Varum, treſque cum eo legiones etiam Cæſari abſtulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Druſus ac Nero & Germanicus in ſuis eos ſedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæſaris minæ in ludibrium verſæ. Inde otium, donec occaſione diſcordiæ noſtræ & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavêre: ac rurſus pulſi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi ſunt.* At vero hæc omnia cum Germanis bella tunc gerebat populus Romanus, cum non Vrbis modo, ſed to-

Tacit. de Morib. G.

totius admodum Orbis esset arbiter; cum potentia sua fortunam complexus, quas nationes funditus exscindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur, suam jurisdictionem esse e summo Capitolio intonaret. Et tamen in illa tremenda summi & maximi Imperii amplitudine plus erat, aut Germanorum Rhenum transmisisse, aut casulam aliquam rusticam ibi exussisse, aut Herciniæ oras attigisse; quam alibi reges cepisse, regna occupavisse, & provincias aliquot Imperio adjecisse. Caligula, quia *conchas*, tanquam *spolia Oceani Capitolio Palatioque debita*, in litore Batavico legerat; id materia decreti fuit triumfi maximi, & quantus nunquam alius ante fuit: ad quem is procerissimum quemque Gallorum, &, ut ipse dicebat, ἀξιοθριαμβευτον, ac nonnullos ex Principibus legit ac seposuit ad pompam: coegitque non tantum rutilare & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. O fucatum & mendacissimum hominum vanissimi triumfum! Caligulane de Germanis triumfaret; quos ille ita metuebat, ut eorum rebellione audita, adventuque in Italiam nunciato, mox *fugam, & subsidia fugæ, classes appararit*; *uno solatio acquiescens, transmarinas certe sibi superfuturas provincias, si victores Alpium juga, ut Cimbri, vel etiam Vrbem, ut Senones quondam, occuparent?* Caligula melior Augustus,

Seneca l. 1. de Clem. c. 1.

Sueton. in Calig. c. 46. &c.

Suet. ibid. c. 51.

H tan-

tantoque melior, quanto malus distat ab optimo; ille Augustus, qui tam prospero fortunæ cursu per omnes felicitatis humanæ gradus grassatus est, ut successoribus Imperatoribus inter publica vota acclamatum fuerit; *Felicior Augusto*: attamen ille bonæ fortunæ filius *graves ignominias cladesque, duas omnino, nec alibi quam in Germania accepit: Lollianam & Varianam. Sed Lollianam majoris infamiæ, quam detrimenti; Varianam pene exitiabilem, tribus legionibus cum duce legatisque & auxiliis omnibus cæsis. Hac nunciata excubias per Vrbem indixit, ne quis tumultus existeret, & præsidibus provinciarum propagavit imperium, ut a peritis & assuetis socii continerentur. Vovit & magnos ludos Iovi Opt. Max. si Rempub. in meliorem statum vertisset: quod factum Cimbrico Marsicoque bello erat. Adeoque consternatus scribitur, ut per continuos menses barba capilloque submisso caput interdum foribus illideret, vociferans, QVINCTILI VARE, LEGIONES REDDE; diemque cladis quotannis mæstum habuerit ac lugubrem.* Ita plerunque luxuriantem Romanorum & superbiæ pennis altius evolantem fortunam virtus cohibuit Germanica: sed quam Julius Cæsar dextere attemperare solitus est negotiis suis, in auxiliis Germanorum momenta victoriarum quærens; ut sint, qui scribant, Iulium Germanorum virtute bella Gallica potissimum confecisse & profligasse. Sane aleam pugnæ Pharsalicæ Germanica virtus Julio fecit secundam. *Nam cum diu æquo Marte contenderent, jussuque Pom-*

Sueton. in Aug. c. 23.

Dousa in Batav Cluver. de Rheni alveis. c. 18.

Pompeii fusus a cornu erupisset equitatus, repente hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecêre impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. sicque terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est. Alii autem Imperatores cum meliori gratia obtinere non possent pacem & amicitiam a Germanis, emerunt sæpius: & Poeta, *Semper*, dicit: Florus l. 4. c. 2.

Illi terribiles; quibus otia vendere semper
Mos erat, & requiem, & fœdus mercede pacisci. Claud. in laud. Stilic.

Imo pax Romana ipsorummet Romanorum judicio nullo vinculo fortius connectebatur, quam Germanorum inter se odio: ut Tacitus solenne votum in hæc verba conceperit; *Maneat, quæso, duretq; gentibus si non amor nostri, at certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.* De Mot. G. vide & Iul. Pflug. in Orat. de Rep. Ger. Quod ipsum Imp. Carolum V non latuit, cum Germanus & ipse Germanorum imperii majestatem Principum qorundam castigatione tueri discuperet; statimq; didicit, frustra se futurum, nisi viribus eorum divisis Germanicum robur contrario Germanorum robore frangeret. Thuan. H. l. 2. Nam ut summæ virtutis atq; prudentiæ fuit, bellum Schmalcaldicum Protestantium, omnium quæ gesta sunt in Germania & nostris & majorum temporibus maxime memorabile, feliciter confecisse: ita quoq; nullus Principum conficere potuisset, nisi Germanus; nullus, nisi Carolus; & nullis, nisi Germanorum inter se studiis scissorum auxiliis.

Thuan. H. l. 4. Sleid. Com. l. 18.

Non enim ad victoriarum palmas suffecisset; Cæsarem ipsum heroicæ fortitudinis & imperterriti animi specimen undique exhibuisse, exemplo & generosis hortatibus suos confirmasse, aspera admodum hyeme sub pellibus cum milite mansisse, ut ipsi militi militaris patientiæ exemplum esset; aut etiam aliquot Hispanorum & Italorum centurias, imo legiones in Germaniam adduxisse: Non his Vlrici Würtembergici magnanimitas labefactari, non Philippi Landgravii ἀφοβία luxari, non Joan. Friderici Electoris Saxonis constantia, qua vel inimicorum testimonio adversam fortunam superavit, & mortis sententiam latrunculorum lusu in contemptum secure vertit, concuti potuisset: qui Principes singuli ævi nostri Harminii & Heroes nominandi essent, nisi Harminio & priscis heroibus meliores & majores essent: Sed in eo confecti gloria belli consistit; quod Cæsar tot annorum expeditionem ita ordinaverit, ut ipsi, contra quos parabatur, longo tempore nihil de ea subveriti sint; quod animos popularium inter se commiserit, aliis metu in suas partes pertractis, ut sibi invicem per mutuam lanienam exitio fuerint; quod privatas Alberti & Joannis Brandenburgicorum contra Hessum simultates, & Mauritii ambitionem atque adeo occulta in Joan. Fridericum odia arte & mira versutia in suam utilitatem converterit, eoque illo furore cæcos adegerit, ut religionis, quam profitebantur, & libertatis Germanicæ spreto periculo, arma pro

patria

patria expedienda in ſeſe ipſi ſtrinxerint. Et tamen ex toto illo bello parum emolumenti rediit ad Cæſarem. Nam ſi tormenta & aliquot auri tonnarum multa demantur; quid ex omni præda poſt victoriam victori fuerit reliquum, non video. *Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Proinde Græcus ille (*a*) veriſſime: *ſe nullam gentem noſſe honeſtiorem Germanica; quæ ſi concors ſit, invicta ſit.* Quid vero nunc dicemus de legione VII Germanica, (ut rurſus ad antiqua tempora retrocurramus) quæ in Hiſpania Tarraconenſi regno *Legionis* nomen dedit? Quid de *Vandalis* illis, qui Andaluziam; de *Suevis*, qui Gallæciam inſederunt? Quid de *Langobardis*, qui in Italia inſtitutum a ſe imperium in annos propemodum ducentos tenuere? Quid de *Gothis*, quorum & ſupra mentio facta eſt, & qui ante Langobardos non tantum Italiæ, ſed pene totius Europæ magiſtri fuêre? Hi enim ſunt ex noſtratibus fortiſſimi illi poliorcetæ: qui Romanis rerum dominis & titulos & poteſtatem fecerunt ambiguam; qui *urbem æternam* & orbis arcem, & quam Catonis ævo Smyrnæi, ſub Auguſto Pergameni, ſub Hadriano Athenienſes, dicebant *divinam*, *ſanctam*, *auguſtam*, *ſacram*; (etiam templum Urbi, veluti Deæ, Smyrnæi ſtatuebant primi; & Alabandenſes exemplum ſecuti, ludoſque inſuper anniverſarios ei Divæ inſtituebant) illi noſtri Gothi non ſemel eam captivam, ſervam, & cadaver effecerunt: qui *Romanum omne ſolum Gothorum Imperium & face-*

(*a*) Chalcondyles Atticus lib. 1. rer. Turc. ἔστι δὲ γένος τοῦτο μέγα, καὶ ἐπὶ πολὺ διῆκον τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην: ὥστε εἰ ταυτὸ φρονοίη ὑφ᾽ ἑνὶ ἄρχοντι ἡγεμόνι ἀμάχητόν τε ἂν εἴη καὶ πολλῷ κράτιστον.

Tac. Annal. l. 4. & ibi Lipſ. in Com. n. 115. Livius l. 43. Merula in Coſm. p. 2. l. 4. c. 22.

P. Oroſ. l. 7. c. 43. Goldaſt in præf. ad to. ult. Conſt

re & vocare voluerunt ; ut esset Gothia, quod Romania fuisset ; fieretq; ATAULPHUS, quod quondam Cæsar & Augustus. Atque ab hisce popularibus nostris non ita pridem potentissimi Hispaniarum Reges stemma suum repetebant: uti & Itali quique nobilissimi hodie ab illis vel genus ducunt, vel ducere allaborant : Imp. Carolo V. dictitare solito, *Ex Gothia totius Europæ Nobilitatem exortam esse.*

Cambd. in Brit. de Scot.

Thuan. H. l. 1.

L. Lemn. in Ep. ad Eric. Suec. R.

Cæterum quæ hactenus de priscis nostris patribus, prout memoria per saturam suggerebat, deque variis Germanorum nostrorum populis eorumque rebus bene gestis, sparsim disserui ; illa sunt quasi experimenta, quibus illi orbis terrarum subjectionem periclitabantur. Cumque Suevi, Gothi, Vandali, Franci, Saxones, Langobardi, Normanni, & alii nostrates, iter in Capitolium & ad Aquilas perpetuis militiæ laboribus stravissent ; Imperio ipso Romano in factiones diviso ; tandem istud virtute Caroli Magni cum Repub. Germanorum unitum est, & in eam Imperii Romano-Germanici formam tot secula jam laudatissime perdurantem coaluit, *ut nullum robustius corpus aut hodie sit, aut olim fuisse homines meminerint.* Hujus Imperii nostri Majestas nulla dicendi copia enarrari, nec comprehendi potest ; nisi si forte quis ex comitiorum serie, de omni Imperii magnificentia & amplitudine ; hoc est, ex guttula de flumine, ex scintilla de flamma, ex radio de sole, judicium ferre velit. Ibi Imperator veluti numen in

Thuan. H. l. 4.

cœlis

cœlis præſidet : cui aſſident quaſi VII Planetæ in Zodiaco Imperii ſtatas officiorum periodos obeuntes, illi Septemviri : & undiquaque circumſident nobiliſſimi ſtellarum chori ; tot Archiepiſcopi & Epiſcopi, tot Archiduces, Duces, Principes, Comites ; tot proceres & magnates. Quid in omni antiquitate conventui hujuſcemodi eſt conferendum ? niſi aut Amphictyonum conſeſſum ab Amphictyone Athenienſium Rege, Deucalionis F, Promethei N, ad Thermopylas & apud Delphos inſtitutum, qui XII Græciæ populos complectebatur : aut Achæorum concilium, quod ſub Arato Sicyonio maxime immenſum viguit, opponere quis velit. *Verum hæc cum Germania comparata, quaſi muſca ad elephantum.* Dignitatem autem hanc Germanorum Imperialem cum Carolus Magnus primum Germanorum ſanguini immiſcuiſſet, eam Poſteri ita ſibi devinxerunt, ut hæc jam inter Imperii fundamentales ſit leges ; *Ne quis exterus & non-Germanus in Imperatorem eligatur.* Et certe Germanicæ exiſtimationis intererat. Quare enim ferremus ex peregrina natione Imperatorem ; cum domi tot Imperatorias numeremus familias ? Quamobrem ſummum decus & honorem a noſtris Carolis, Henricis, Ottonibus, Fridericis, Ludovicis, Albertis, Rudolfis, Maximilianis, Ferdinandis, & reliquis terreſtribus Diis, tot laboribus & ſudoribus partum & conſervatum, tot illuſtribus acceſſionibus auctum & exornatum, in alienigenas transferremus ? Sine pari eſt

De hiſce poſt priſcos vide erudiſſ. Vbb. Emmium.

P de Andlo de Imp. R. l. 2 c. 3. & ibi Freher.

Imperatoria majestas; & quæcunque dignitas in terris secunda est, ea procul procul abest. Et Imperator *Vir DEO proximus est*; qui *per orbem nihil non venerationis meretur*; cujusque *fortuna omnes supereminet alias*: ille est Athanarici Gothi elogio, *sine dubio terrenus Deus*; *& quisquis adversus eum manum moverit, ipse sui sanguinis reus existit*: ille Baldi verbo est *summus superior, dominusq; Orientis, Occidentis, Meridiei, & Septentrionis*: ille confœderatorum Belgarum sententia, omnium dissidiorum & controversiarum orbis Christiani a DEO judex constitutus est & arbiter: ille est, qui in signum incomparabilis excellentiæ triplici corona insignitur: ille fons est perennis, a quo fluit quodcunque genus humanæ celsitudinis: ille & *creator Regum* est. Quod postremum vel solum, omnes alios Principes & Reges longe infra Imperatorium solium destituit. Nam ut antiquitus Romanum Imperium Reges dabat Judæis, Syris, Parthis, Albanis, Colchis, Iberis, & aliis: sic posteaquam ad Germanos illud est devolutum, eadem reverentia mansit, ut Imperatores nostri Principes Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, & alios Regalibus dignitatibus decoraverint; Carolo Burgundo quoque, tanti honoris insignia ambienti, Imp. Fridericus IV conferre recusaverit. Primatus itaque Imperatoris & totius Germaniæ vel sic liquet; ut, qui ampliorem rei clarissimæ probationem sit petiturus, veritati convitium facere velle videatur. Quid? quod & ipsa Barbaria, ipsi Christianorum & maxime Germanorum

Symmach. l. 10. Ep. 27. Eutrop. l. 5. l. pen. C. de bon. quæ lib. Sigon. l. 3 de Occ. Imp. Quæst. ta Cons. 1. n. 11. Chass. in Catal. gl. m. p. 5. c. 27. Thuan. H. l. 66.

Andlo de Imp. R. l. 2. c. 8. Chass. in Catal. gl. m. p. 5. C. 27. Tacian. de Prob. l. 2. c. 35. n. 2. & 66.

Freher. in not. ad Andlo l. 2. c. 8. de Imp. R.

Cruf. Ann. Suev. p. 3. l. 7. c. 9.

norum atque Imperatoris capitales & jurati hostes Turcæ, primas Imperatori nostro tuentur. Cum enim Davides Vngnadius, Legatus Cæsarius, Constantinopoli Sultano valedicturus esset, & Legatus Persicus eadem de causa ad Divanum (locus est audientiæ publicæ) se contulisset: ille serius adveniens, & Persam jam primum occupasse locum conspicatus, insalutato Sultano discessurus erat, nisi Mechemetes Bassa Veziraze-mes (πρωτοσύμβουλος, consiliarius supremus) ea re animadversa Persam, etsi Muhametanum, inferiore loco sedere jussisset. Sic in celebritate circumcisionis Muhametis III, quæ duravit totis XL diebus & noctibus continuis, præsentibus Constantinopoli maximorum prope totius orbis principum legatis, Rudolfi II Christianorum Imperatoris Augusti legati loco spectaverunt primo.

Leuncl. in suppl. Ann. Olman.

Verum ut Imperator noster inter omnes orbis Principes est primus & Princeps: ita patriæ nostræ Nobilitas, quæ ab illo ut ex scaturigine descendit, & ad omnem virtutem irrigatur, merito primas tenet: neque ullo modo peregrino indiget splendore. Quin cum propagato imperio ubivis terrarum colonias Nobilitatis suæ collocavere majores nostri: ut laterem lavent, qui in Italia Nobilitatum origines quærunt. Quippe etenim Germania cepit Italiam, non Italia Germaniam: Germania præfecit Italiæ Duces, Comites, Præsides, Juridicos, & non semel immisit populorum & unà Nobilium examina: nihil

tale viciſſim accepit Germania ex Italia ; niſi forſitan illos cives ſuos aliquando recepit, aut eorum nepotes reduces ; aut niſi hoc malimus, victores Germanos interdum ex Italia captivorum multitudinem ad operas domum miſiſſe, aut etiam nonnunquam Romanos, publicos alieni raptores, domi deprenſos ſervituti addixiſſe. Nam *ex Variana* tantum *clade quam multos ſplendidiſſime natos, Senatorium per militiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? alium ex illis paſtorem, alium cuſtodem caſæ fecêre Germani.* Et fortaſſis hodieque multi in ruſtica Weſtphalorum plebe reperiuntur, qui præcipuas Conſulares & Cæſarias veteris Romæ familias adgnatione contingunt. Scimus alioquin, Romanas Conſulares familias hodie ſupereſſe nullas. Nuſquam gentium eſt Junia, nuſquam Valeria Poplicolarum, Maximorum, & Meſſalarum ; nuſquam Lucretia Tricipitinorum ; nuſquam locorum ſunt Horatia, Poſthumia, Menenia, Caſſia, Virginia, Sulpicia, Æbutia, Veturia, Cloelia, Sempronia Atratinorum, Minucia, Claudia Regillenſium, Servilia Priſcorum, Gegania, Pinaria, Nautia, Furia, Fabia, Cornelia Maluginenſium; Æmilia Mamercinorum, Paullorum, Lepidorum; Manlia, Quinctia Capitolinorum, Quinctia Cincinnatorum, Quinctilia, Papiria Mugillanorum & Craſſorum, Sergia, Licinia Craſſorum, Cornelia Scipionum, Papiria Curſorum, Aquilia, Popillia, Plautia, Marcia Rutilorum, Marcia Philipporum, Livia, Decia, Junia Brutorum, Ælia, Atilia

Seneca. Ep. 47.

Vide Rich. Streinii Bar. Gent. Rom. Stemmata : & E Reuſ. γενεαλογικὸν Rom.

Atilia Regulorum, Cornelia Rufinorum, Claudia Marcellorum, Fulvia Pætinorum, Domitia Calvinorum, Æmilia Barbularum, Sempronia Sophorum, Cornelia Lentulorum, Curia, Fabricia, Æmilia Paporum, Valeria Lævinorum, Cæcilia, Fulvia & Valeria Flaccorum, Atilia Calatinorum, Sempronia Longorum, Servilia Cepionum, Servilia Geminorum, Aurelia, Lutatia, Sempronia Tuditanorum, Sempronia Gracchorum, Valeria Faltonum, Quinctia Flamininorum, Portia Catonum, Acilia, Mucia, Hortensia, Licinia Lucullorum, Æmilia Scaurorum, Servilia Vatiarum, Maria, Licinia Murænarum, Tullia Ciceronum, Pompeia Ruforum, Pompeia Magnorum, Antonia; & quicquid tandem ad hanc revocari classem potest; nusquam, nusquam sunt: Sicut & ex veterum Regum atque Imperatorum sanguine superat amplius nihil. Julii enim nulli, Octavii nulli, nulli Domitii Ahenobarbi, nulli Vespasiani, Antonini nulli, Severi nulli; minus vero ulli amplius Romuli, ulli Numæ, Hostilii, Marcii, Tullii, Tarquinii: nulli sunt omnes, & emortui sunt omnino omnes, & in cineribus hospitantur. Germanica autem Nobilitas ubique pancratice valet; vespillonum opera frustranea adhuc est; ipsismet Italis non obscure illius gloriam extollentibus, plenaque collaudantibus manu. J. Ant. Campanus enim in oratione Ratisponensi; *Vestra*, inquit, *Nobilitas totum pene orbem, ut fons uberrimus inundavit; ut nulla gens,*

nulla

nulla regio sit, quæ non nobilitatem suam a vobis habere gaudeat, jactet, lætetur. Et Æneas Sylvius; *Ita agamus*, ait, *ut potius Germani, quam Itali nuncupemur: & si parum possumus, studia tamen nostra semper huc dirigamus, ut inclytæ nationi semper mos a nobis geratur.* Nec aliter probi Itali de Germania loqui possunt: cum nobilissimi quique hodie ex illis, ut monui, aut Germanorum nepotes sint, aut certe omnem suam fortunam & splendorem Germanorum gratiæ debeant. Origine autem veri & indubitati Germani sunt, uti Italico sermone denominantur; *Signori de Collalto, della Scala, di Castel Barco, della Rovere, di Beccaria, del Carretto, di Montefeltro, di Porcia, Azzoni & Avogari, Pii, Carraresi, Bolchetti, Carrasi, Rossi, Landriani, Caraccioli, Farnesi, Bentivogli, Brancaleoni, Gonzaghi, Gabrielli, Pallavicini, Roverelli, Chiavelli, Malatesti, Correggi, Costanzi, Soardi, Savorgnani*, & multi alii. Ita quicquid Itali in Nobilitatis suæ honorem magnifice dicant, faciantve, semper in partem laudum Patres Germani venient. Et idem gratitudinis vinculum Europam tenet omnem. Nam laudent Polonia, Dania, Suecia, Reges suos; illa religiosissimum SIGISMUNDUM, ista fortissimum CHRISTIANUM, hæc generosissimum GUSTAVUM ADOLPHUM: una tamen cogitent; illos, & ferre omnes eorum cives, veros Germanos esse; & olim Imperatores nostros, aliquot eorum decessoribus summa Regii culminis ἀξιώματι donavisse. Jactitet etiam magna

Faber. H. Suevor. l. 4. c. 7.

Fr. Sansovino della Origine & de' fatti, delle famiglie illustri d' Italia. Pflug. in Orat. de Rep. Ger.

Freher. ad P. de Andlo l. 2. c. 2.

gna Britannia, illa Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, nobilium regnorum triga, incomparabilis JACOBI sui illustrissimas virtutes; & præterea in Principes, Comites, Barones & Equites suos, præconia decantet: sed meminerit simul; illorum majores, invictos Germanos, Saxones & Normannos, fuisse: quibus hoc inter principes curas erat, ut posteris summæ fortitudinis, laudatæ justitiæ, & opulentam omnium virtutum hæreditatem relinquerent. Hispania quoque Nobilitati ac Regibus suis primatum poscat: sed interim expendat sedulo, & ignara discat, gnara fateatur; Suevos, Vandalos, Alanos, Gothos, Hispaniam domuisse, hodieque Austriacos ibi rerum potiri; atque omnium ignobilissimos & vilissimos esse, qui ibi Germanos avos ciere non possunt. Gallia insuper decora sua, & XII seculorum regnum, ostentet; eoque nomine aliis nationibus novitios & nudiustertius sumptos titulos objiciat, ac totos heroum exercitus e sua Nobilitate consarcinet, inque Orbis theatro ad adorationem usque aliis proponat: sed eadem opera observantiam parentibus Germanis debitam ne neget, atque testificetur; maximam sui partem a Francis & aliis Teutonibus hodie habitari; quinetiam, si adfectus semimortuæ pietatis est reliquus, publica grataque voce denunciet universis, Germaniam jam per amplius XII secula Gallis imperavisse, & tres Regum ordines successive, per Merovæum Francum *Merovingios*, per Carolum M. Ingelhæmium *Carolingios*,

Stuarti, Danorum progenies: ita asserit Iovius in Scotia.

gios, & per Hugonem Capetum, magni Witekindi Saxonis trinepotem, *Capevingios*, (ex quibus Ludovicus XIII in ſpem gentis poſt patris Henrici IV funeſtiſſimam cædem, nuper ſceptrum capeſſivit) inaudita felicitate præfeciſſe. Ita foris, quicquid nobile & generoſum eſt, tantummodo Germanum fere eſt. Domi vero, quæ Nobilitas noſtra eſt, Auditores? Majora ſane illius ſunt merita, quam ut æſtimari, nedum a me laudari poſſint. Vt quædam gæmmæ ſunt, quæ ob miram pulchritudinem, magnitudinem, & rariſſimas alias dotes, omnem excedunt æſtimationem & pretium: ſic noſtra domeſtica eſt Nobilitas: omnis extranea cum illa compoſita, plebs eſt. Hujus infima claſſis, Ordo Equeſtris, nihil ſapit plebejum, nihil ſpirat ordine ſuo indignum: imagines refert, ſed virtutes præfert; (*οὐ γὰρ ἐν ἄλλῳ τινὶ τὴν ἀνθρωπίνην εὐγένειαν ὑπάρχειν νομίζει, ἀλλ᾽ ἐν ἀρετῇ.*) quas exercitiis propriis, decurſionibus, haſtiludiis, torneamentis, ad leges cenſorias Imp. Henrici Aucupis ſtrictiſſime ſervandas, ut in ſchola ſibi reddit familiares. Sed in Equeſtrium familiarum ſtemmata indicem ſaltem intendere digitum, fuerit invidioſum. Si enim unam prædicavero, ſexcentæ aliæ indignabuntur, ſibique ignominioſa præteritione notam cenſoria graviorem inuſtam fuiſſe conquerentur. In honoranda Comitum Baronumque claſſe idem me pungit ſcrupulus. *Barbii, Benthemii, Bronckhorſtii, Caſtelli, Cimbrii, Eberſtenii, Erbachii, Falckenſteinii, Fürſtenbergii, Gerolzekii, Glei-*

Goldaſt. t. 2. Conſt. Imp.

chii,

chii, Hannovii, Helfenſtenii, Hohenloii, Iſenburgii, Leiningii, Leonſtenii, Limpurgii, Lipii, Mansfeldii, Montfortii, Naſſovii, Oldenburgii, Ortenburgii, Oſtfrieſlandii, Oettingii, Rappolſtenii, Reingravii, Reuſſii, Salmii, Schaumburgii, Schwarzenburgii, Solmii, Stolbergii, Sulzii, Tubingenſes, Waldburgii, Waldeccii, Wiedii, Witgenſtenii, Wolckenſtenii, Zollerii; & aliæ ejuſdem dignationis gentes ampliſſimæ, ac quam plurimæ ſunt: quarum potentia & auctoritas ſingularum plus habet ponderis, quam alibi Principum & Ducum. At de ſuprema Principum, Auguſtalis faſtigii candidatorum claſſe, quid dicam, aut non dicam? Quot & quantæ circumſpicienti occurrunt Imperatoriæ & Regiæ familiæ? Narrat Gulielmus Bruſſius Scotus, ſe ut in Italia palatia & antiquitatum monumenta, in Gallia milites, in Hiſpania præſules, in Anglia agricolas, in Polonia Nobiles; ita in Germania Principes omni laude & admiratione dignos inveniſſe. Veriſſime invenit. Quanquam & hos, & illa omnia, in Germania invenire potuiſſet. Et, agite, mei Auditores, aliquot Principales familias noſtras contemplemur. Tua, *Friderice Achilles cognate*, rebus pulcherrime geſtis a multis ſeculis eſt maxima. Nota eſt *Vlrici VII* amabilitas, *Ludovici* probitas, patris tui *Friderici* magnanimitas, avi *Georgii* humanitas; *Vlrici IX, Eberhardi primi, ſecundi, tertii*, fortitudo. At vero *Eberhardo Ducum primo*, quotuſquiſque bonorum Principum iſtius ævi poterat eſſe ſecundus? quippe quem *virtutum ipſius radiis*

de. bello adv. Turc. gerend. B. Zieriz. in Comm. de Princ. prærog *Principes Germaniæ Baldus pro Regibus habet: in l. fin.* C de teſt. milit.

Cruſ. An. Suev. p. 3. l. 9. c. 6.

radiis Itali inflammati quasi cœleste numen colebant ante alios Principes, atque venerati sunt: ad cujus ſepulchrum aliquando inviſens Maximilianus
Cruſ.lib.4.7. I. Imp. Aug. hac illi ſolida laude benedicebat & parentabat; *Ibi jacere Principem, ea virtute & prudentia, qua nullum in Imperio habuerit; & ex cujus conſiliis ſæpe ingentes perceperit fructus.* Inter poſteros adgnatos tamen cum divino hoc Eberhardo jure componimus *Chriſtophorum Ducem*; Principem equidem meritorum amplitudine ſeculo majorem, ac proinde dignum, quem poſteritas ſemper intueatur: *quem Chriſtophorum* &
Thuan. H. l.34. Catharina Galliarum Regina, ſupra ſexum circumſpecta fœmina, Antonio Navarro & Franciſco Guiſio mortuis, cum domi neminem dignitate & auctoritate parem videret, cui regis pueri ſubditi licentiæ aſſueti parituri eſſent, atque inprimis ipſa Condæi ac Momorantii partium ducum potentiam vereretur, Raſcalone cum literis fiduciariis Stutgardiam miſſo, multis preci-
An.C.1563. bus rogavit, ut in Galliam cum III cIↃ equitum ac peditum Germanorum veniret, & ibi res pace ac bello ſuo arbitrio moderaretur. Sic *tua, cognate Ioachime Erneſte, inclyta Holſatiæ Principum familia*, quot ſplendidiſſimis præfulget titulis? Surculus ex magno noſtro *Witekindo*, & tanto parente digna ſoboles eſt: cujus virtutes præſtantiſſima licet Daniæ, Norvegiæ, Gothiæ, & Vandaliæ regna; potentes Schleſwigæ, Holſatiæ, Stormariæ, & Diethmarſiæ Ducatus; opulenti Oldenburgi & Delmenhorſti Comitatus;

tus; æquare minime possunt. Immortalis operum & benefactorum memoria patrui tui *Friderici II*, avi *Christiani III*, abavi *Christiani I*, regum optimorum, pro me loquitur. O felicitatem magni Witikindi, qui tot annorum centuriis post mortem in posteris magnus est! Magnus olim fuit in illis Saxonibus Imperatoribus, *Henrico Aucupe*; *Ottone I, II, III, & Henrico II*: magnus & adhuc est in Galliæ Capetis: magnus in Sabaudiæ Ducibus: magnus quoque est in *Marchionibus Misniæ, & Saxoniæ Ducibus*; & quidem præcipue in *Henrico* illustri ac munifico, *Friderico* admorso, *Friderico* gravi, *Friderico* bellicoso, *Ernesto*; *Alberto* dextera Imperii, sive Rolando; *Friderico* Sapiente; *Ioanne*, & *Ioanne Friderico*, constantibus: *Mauricio*, *Augusto*, & hujus filio *Ioanne Georgio*, qui hodie gentis suæ & Imperii decus singulari auctoritate tuetur; maximis Principibus. *Mea autem Saxonica familia*, bis Electoralis, an meritorum magnitudine minus est illustris? Inter majores meos *Bernardus* Elector Henrico VI Cæsari, Imperium Romanum licitanti, & illud in hæredes sanguinis jure transmittere annitenti, acerrime restitit, omnesque tanti præjudicii molitiones in herba præfocavit. Factum, ob conservatam Germaniæ libertatem, omnibus trophæis & triumphis anteponendum! Sed injungit pudor & modestia, ne quid amplius de meis addam. Anceps quippe & lubricus hic locus est, etiam cum necessitas lenocinetur. Etenim si alienæ quoque laudes parum æquis au-

tribus accipi solent; quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio de se, aut de suis disserentis? Solatio sit, quod

adhuc spes duret avorum.

Ita *Anhaltina familia*, originis honore cum mea Saxonica in vetustissima stirpe Ascania concurrens, quot virtutum numina? *Sigismundum, Wolfgangum, Rudolfum, Ioachimum, Ioannem, Ioachimum Ernestum;* & quot alios Principes exhibet? In *Badensi vero familia*, ab uno duntaxat illo publicæ tranquillitatis custode, illo *Iacobo*; qui ubi in ditione sua latrocinium commissum esse didicerat, iis, quibus damnum fuerat illatum, tantum ex fisco reddebat, quanti jurejurando illud æstimavissent; quot ab hoc uno Reipub. nostræ columina sunt exorta? *Ioannes*, & *Iacobus*, Archiepiscopi Treverenses honoratissimi; *Philibertus*, *Christophorus*, *Carolus*, viri summi; & qui hodie totius Principalis domus est anchora, *Marchio Georgius Fridericus*; dignus, cujus virtute & bono publico nixis cupiditatibus fortuna præstet fidem, hocque certius, quo in illius filio *Friderico*, juventutis principe, omnia nobilissimæ gentis merita novo exemplo efflorescunt pulchrius. In *familia Brunsuicensi*, *Conradus* Cardinalis, *Henricus* Leo, *Henricus* junior Leonis F, *Albertus* magnus, *Otho* cocles, *Henricus* pacificus, *Gulielmus* victoriosus, *Ericus* senior & junior, *Iulius* Juliæ Academiæ pater, & *Henricus Iulius* literis & armis, toga sagoque, nemine Principum hodie minor: In *Mechelburgica*, *Henricus* Hierosolymitanus,

Æn.Silv.in Parall. Alf. l. 4. c. 7.

ζanus, *Henricus* Leo, *Albertus I*, *Henricus* ſuſpenſor, *Magnus II*, *Vlricus*: In *Pomeranica*, *Suantiborus I*, *Suantipolcus II*, *Caſimirus III*, *Ericus I*, *Bugslavus X*, *Philippus I*: In *Haßiaca*, *Henricus* ferreus; *Ludovicus* mitis, Imperii purpuram recuſans; *Hermannus* Archiepiſcopus Colonienſis, *Philippus* belli fulmen, & *Mauritius* Muſarum amor: In *Brandenburgica*, *Fridericus IV*; *Ioannes I*, patris voluntate Electoratum fratri *Friderico cum ferreis dentibus* cedens, & ingenti animo benevolentiam paternam omni pompæ, honeſtumque otium ſplendido negotio præferens; *Albertus* a fortibus facinoribus Achilles Germanicus; *Ioannes*, ab eloquentia Cicero Germanicus; *Ioachimus I*, & *II*, *Ioannes* ſeverus, *Georgius Fridericus*: quid aliud ſunt illi omnes, niſi reliquorum agnatorum expreſſiſſimæ imagines? quid aliud ſunt, niſi pietatis, religionis, probitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, fortitudinis, bonitatis, humanitatis, & omnium virtutum genuinæ effigies? *In familia Palatina-Bavara*, quamcunque ſtirpis tota Europa illuſtriſſimæ partem contempler, confeſtim circumfunditur memoriæ admirabilis præcellentium Principum ſeries. Inde enim veluti ex equo Trojano immortalium & prope cœleſtium heroum prodiêre cohortes. *Otho* major Comes Witelsbachius, qui virtutis ergo Bavariam ab Imp. Friderico I accepit: *Ludovicus I*, Dux Bavarus, bono Principi poſtponendus nulli: *Ludovicus* & *Rupertus* Imperatores, majeſtatis Imperii ſtudioſiſſimi: *Ludovicus* barba-

tus, *Fridericus* victoriosus, *Ludovicus III*, *Otho Henricus*, *Fridericus* pius, Electores, & veræ sanctæque virtutis promi condi lectissimi: *Wolfgangus* Bipontinus, qui peditum quinque & equitum sex millia, a Rheni limite in intima usque Aquitaniæ, semper inter longe numerosiores hostium exercitus, & per infesta loca incedens, transmissis tot periculosis fluviis, præter omnium Gallorum opinionem deduxit: *Stephanus II*, Ingolstadiensis, qui nullum Bojum esse asseverabat, in cujus sinu solus & inermis tuto dormitare non possit: *Ludovicus* dives Landshutensis, qui patris duritiem obsequio vicit: *Albertus III*, Monacensis, qui regno Bohemiæ destinatus, legatos ea de causa ad se missos liberaliter donatos re infecta domum remisit: & *Maximilianus* consummatæ prudentiæ Princeps, cujus hodie inter Imperii optimates existimatio & auctoritas per est magna: Omnes, omnes illi inter homines divinorum æmuli, ante mortem fato æternitatis eripuêre confessionem. Sed qua fronte *Philippum* Palatinum illum bellicosum hic omitto? Illum; qui una cum Nicolao, natu grandiore, Comite Salmio, Sulimani Turcicorum Sultanorum omnium fortissimi fortunatissimique, votum virtute fecit irritum. Barbarus enim cum tria ante mortem sibi perficiunda divinitus concedi optaret: instaurationem nimirum aquæductus maximi, per viginti plus minus milliaria ex ipso Danubio copiosas aquas in urbem Constantinopolin ferentis; quem ab auctore

De la Noue du memorable passage du Duc de deux ponts.

Leuncl. in Hist. Turc. Pand. c 196.

ctore *Valentem*, aut *Valentianum* (non Valentinianum) Historici dixêre: duorum pontium in utroque sinu maris refectionem: & Viennæ Austriæ occupationem: prioribus duobus perfectis, tertium ei Palatina fortitudo, in sempiternum Osmanici nominis dedecus turpemque fugam commutavit. Obsedit autem Sulimanus urbem, nondum propugnaculis, ut hodie, munitam, *ter centum hominum millibus*, eamque interclusis omnibus itineribus aqua terraque ita circumsedit; ut ex edita S. Stephani pyramide, unde longissime prospectus patet, humani oculi acies exercitus magnitudinem metiri nequiverit; tanta nihilominus constantia & fiducia propugnatoribus, quorum *sedecim millia* tantummodo erant, immanem illam & barbaricam molem excipientibus; ut Turci *vicies* quidem muros urbis aggressi, sed & toties a mœnibus generose ita rejecti fuerint, ut, frameis licet ac fustibus adhibitis, nulla vi ad oppugnationem redintegrandam amplius compelli potuerint. Sulimanus itaque spe potiundæ urbis sua etiam confessione dejectus, incusata fortuna, quæ lubrica conatus ejus elusisset, obsidionem solvit ad XIIII diem Octobris, qui fuit dies Jovis, obsidionis autem vigesimus tertius, ac circa noctis horam decimam sublatis silentio tentoriis impedimentisque, & conclamatis vasis discessit tanta properandi cura, ut die quinto in campis Budæ subjectis castra collocaverit: ante præcipitem & inglorium hunc discessum tamen Christophoro

An. C. 1529.

Descriptio Obsidionis Vienn. Nic. Isthuanf. Hist. l. 10.

Leunclav. in Pand. H. Turc. c. 224.

Zetlicio, qui in prima excursione in hostium potestatem inciderat, cum aliis quibusdam captivis, libertate, veste, sumptuque donatis; quibus Ibrahimus purpuratorum princeps, omniumque Sultani consiliorum arbiter, in mandatis dabat, referrent Viennam ducibus, *Non ad eum finem Sulimanum in Germaniæ fines exercitum adduxisse, ut Viennam caperet; id enim illi factu facile futurum fuisse; & quod urbem eam obsidione cinxisset, id exercendi militis sui caussa instituisse; verum eam fuisse Padischachi mentem, ut cum Ferdinando æmulo atq; hoste suo controversiam, pro possessione Pannoniæ exortam, in late patentibus Viennæ campis Marte judice terminaret: proinde ad eandem dubiæ litis aleam non multo post in Germaniam rediturum, & collatis viribus atque armis qualicunque sorte denuo fortunam tentaturum esse.* Sed minaciis istis ferocientis barbari facile contemptis, Viennenses supplicationibus, gratiis, laudationibusque Divinam majestatem solenniter venerati sunt; quod urbem tam præclaram, oportunumque non Germaniæ solum, sed totius Christianæ Reip. propugnaculum, singulari & manifesta sui numinis ope & favore clementissime conservasset. Et vere amplissimum Divinæ benignitatis ac cœlestis auxilii testimonium! illustre Germanicæ virtutis in pauculis legionibus experimentum! ingens Philippi Palatini in omnes Christianos beneficium! Fac enim Viennam (Deus, Deus, omen hoc averte!) a Turcis captam: audio jam in Italia, in Gallia, in

Hispa-

Hiſpania, in extremis orbis Chriſtiani oris tumultuari. *Quid autem de Auſtriaca loquar familia?* Quæ oratio mentem, quæ mens gentis hoc ſeculo & toto orbe maximæ amplitudinem capere poteſt? Equidem ſi poeta eſſem, pectus mihi optarem æreum, linguas centum, & ora centum; ſi orator, enthymemata Demoſthenis, aut Tullii opulentiam: nunc qui neuter ſum, potius utar Papæ cujuſdam, ad Imperatorem ſcribentis verbis; & audenter dicam, non ſi omnia ſilvarum ligna vertantur in linguas, ſuffecturas tamen commemorandis tot virtutum exemplis. Nam

In familia Auſtriaca nullum unquam tyrannum vel legimus vel audivimus fuiſſe: ait Kirchn. in Morvill. l. 2. c. 1. n. 83.

micat inter omneis
Auſtrium *ſidus, velut inter igneis*
Luna minores.

Hor. Carm. l. 1. od. 12.

Audiant hoc, & exaudiant
& nati natorum, & qui naſcentur ab illis;
audiat univerſa poſteritas, & in Annales relatum diſcat, ac ſæpiſſime ruminetur: nunquam in unam ſtirpem tot ſublimia imperia, tot diademata & ſceptra coiiſſe, atque in hanc unam: ut tellus pondere ſuo ſit nutatura,
ni foret Auſtriacæ gentis ſuffulta columnis.
Pagana antiquitas multa olim de Diis ſuis ingenioſe commenta eſt, & neſcio quos Joves, Saturnos, Martes, Neptunos, Jaſones, Hercules ſomniavit: ſed Auſtriaca domus familiares Deos ſuos longe veriori ἀποθεώσει in cœlum inferre, & colere poſſit; cum illam ſolam natura omnibus virtutibus cumulaverit, & illa ſola naturæ uni-

versas virtutes repræsentaverit. Quid enim ex undecim Austriacis Imperatoribus Romanis ad MATTHIAM nostrum, quid de *Rudolpho Primo* sentiendum? qui dixit; *Se in qualibet mundi parte cum electis quatuor galeatorum, & quadraginta peditum armatorum de Alemannia millibus, stare invictum?* Quid de Imp. *Alberto I*? qui Adolpho Cæsare in agro Spirensi prælio superato & occiso, cum rite non fuisset electus, comitiis convocatis coronam deposuit, & Imperii jus ordinibus resignavit; ne de violenta usurpatione atque occupata tyrannide notari posset. Quid judicandum de Imp. *Alberto II*? qui cum ab Electoribus Cæsar Augustus appellatus, & ad suscipiendum tantæ majestatis decus vix persuasus fuisset; alta voce non sine suspiriis exclamavit: *O prodigiosa fortuna, nec diu mansura! Tria uno anno regna nobis obtrudis.* Quid de Imp. *Friderico IV*? qui in annos LIV summa moderatione res Imperii administravit. Quid item de *Maximiliano I, & II*; quid de *Carolo V*; quid de *Ferdinando I*; quid de *Rudolfo II*; Imperatoribus invictissimis, sanctissimis, humanissimis, & a quibus Virtus & Fortuna ipsæ nominis ac famæ suæ æternitatem accepisse videntur? Quæ nova præconia & elogia, tot novis Diis digna, ingenium humanum conquiret unquam? Quid vero de sacratissimo & clementissimo Imperatore nostro MATTHIA? quid dicam, mei Auditores? Cum Timanthes Iphigeniam Oratorum laudibus celebratam, stantem ad aras, & perituram, in tabel-

Albert. Argent. in Chron.

Cusp. in Alb.

Cuspin. in Alb. II. & Steph. Pigh. in Herc. Prod.

Plin. N. H. l. 35. c. 10.

tabella exprimere vellet; mœſtos pinxit omnes circum, inprimis patruum; jamque omni triſtitiæ imagine conſumpta, patris ipſius vultum velavit, quem digne non poterat oſtendere. Idem, Imperator Auguſte MATTHIA, in diſſimili quidem affectu, dum majeſtatem venerabundus ſuſpicio tuam, mihi contingit. Nam dum Patriæ noſtræ dulciſſimæ elogia pro modulo virium tenuiter ediſſero; & quæ in ea, qua homines, qua terrarum omne genus dotes, ad meritas laudes compono; tam omnem ingenii vim exhauſi, ut, cum te Patriæ Patrem non poſſim digne oſtendere, Timanthis velum tibi injicere cogar: voto tamen animitus concepto DEUM precatus, *ut te generi humano, cujus tutela & ſecuritas ſaluti tuæ commiſſa eſt, incolumem florentemque præſtet.* Annue ô DEUS!

Quanti ergo nos Germani ſimus, quantum profecerimus, jam intelligis, ampliſſime Præſes; jam capitis, mei Collegæ; jam videtis, Auditores mei: ut vel incogitans, vel ineptus, vel cæcus ſit; qui hanc prærogativam noſtram non intelligat, non capiat, non videat. Quemadmodum igitur Plato morti jam vicinus, naturæ gratias egerat olim; quod natus eſſet homo, non bellua; maſculus, non fœmina; Græcus, non barbarus; Athenienſis, non Thebanus; præſertim vero Socratis temporibus: Sic ego nunc Divinæ Majeſtati hymnos laudum & gratiarum devoto corde decanto; & decantabo, quamdiu hujus lucis uſura fruar; quod me fecerit hominem; quod

Lactant. Divin. Inſt. l. 3. c. 19. Plutarchus in Mario circa fin.

Christianum, quod Germanum; & cumprimis, quod vitæ periodum meæ in hoc felicissimum produxerit seculum, atque ad tempora *gloriosissimi Principis*, *IMPERATORIS MATTHIÆ AVGVSTI.*

PRINCEPS

FRIDERICUS ACHILLES, &c.

Quid vero tibi videtur, mi charissime cognate,

DN. JOACHIME ERNESTE, DVX SLESvici - Holsatiæ?



ORA-

ORATIO JOACHIMI ERNESTI,

HÆREDIS NORVVEGIÆ: Ducis Slesvvigæ, Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ: Comitis Oldenburgi, & Delmenhorsti:

Pro GALLIA.



ERTVR MAXIMILIANUS, qui non tantum a nomine, quod in sacro regenerationis fonte volentibus ita parentibus Augustis acceperat proprium, verum etiam ab incomparabili in Remp. Christianam meritorum magnitudine, inprimis a singulari sapientiæ, & de omnibus dextere judicandi gratia, inter omnes sui seculi Principes, merito *primus* est; in familiari aliquando colloquio, ad domesticos & aulæ suæ proceres, nobilissimum Galliarum regnum in hanc sententiam collaudasse: *Si per rerum naturam* (dicebat) *fieri posset, ut quis ex hominibus mortalis evaderet* DEUS, *egoque is essem; sic ultimam*

H. Bignon de l'excellence du Royaume de France l. 4.

mam voluntatem, quantum ad familiæ herciſcundæ judicium, diſponerem; ut ex filiis meis primogenitus eſſet Deus poſt me, & natu ſecundus Galliis imperaret. Quo auguſtiſſimo elogio maximus Imperator teſtari volebat; potentem Gallorum Regem cunctis orbis terrarum Monarchis, Principibus, & Dynaſtis, honorum palmam facere ambiguam; ſed & illius regno nullum aliud ſub ſole componi, nedum anteponi poſſe. Atque hac præfatione hic utor eo libentius; cum, ut apud te, *Friderice Achilles cognate*, & vos Collegas reliquos, audientiam conciliem attentiorem; tum, ut tanti Imperatoris ſuffragio munitus, quam longiſſime a me adulationis invidiam amoliar: ſi, quo me veritatis majeſtas non ducit, ſed trahit, præ Germania, cui ut patriæ chariſſimæ vitam, ſpiritum, & omnia acceptum fero, & ubi ubi neceſſitas poſtulabit, pro illius ſalute omnia fundere ſum paratiſſimus; ſi præ aliis etiam omnibus Europæis regionibus, uni jam Galliæ patrociner. Sed quod cenſeo, procul dubio cenſebunt mecum haud parum multi, adeoque in caſtra mea veluti pedanei tranſibunt volentes; ſi invictis rationum momentis, non amori aut odio, locum dare maluerint. In altum igitur laudum Galliæ, veſtra bona cum venia, Præſes, Collegæ, & Auditores, exſpatiabor; & argumentis ſole meridiano clarioribus evincam: Galliis propter ſummam planéque prodigam ſoli fertilitatem; propter populi plurimorum populorum patris, & de omnibus in univerſum populis, he-

ri &

ri & hodie, olim & nunc, præclarissime meriti, excellentiam; & denique propter venerandam Regum supra omnes alios Reges ac Dynastas majestatem; omni jure prærogativam existimationis, & gloriæ principatum deberi.

Qui Galliam aliquando oculis minime ad livorem contortis perambulaverunt, testimonium dicent non inviti: eum esse Galliæ situm, ut non possit esse nobilior. Posita enim est veluti in meditullio Europæ; cœlo quam maxime salubri, benigno, & temperato eam ambiente: ita ut nec ob immanem frigorum sævitiam *stubas* Germanorum, nec ob insolitam æstus gravitatem Mauritanorum specus subterraneas desideret; neque etiam corrupti aeris totas morborum legiones parturientis vim reformidet. Et quod situs felicitatem perficit; illa undique libera, & ad totius generis humani commercia terra marique aperta est undique; ac quasi arbitra & regina in medio sedens, Principum Europæorum arma ad nutum & voluntatem suam unit, dividit, temperat: modo immoderatum petulantius in vicinos grassantium pruritum cohibendo; modo justitiam tenuium valide juvando; ut ut commodissimum Reipub. Christianæ visum fuerit: ita a fronte terrens Italos; a tergo Britannos frenans; dextera Hispanis compedes cruceſque minitans; & sinistra Germanorum furorem compescens: denique contra quorumvis hostium impressiones & truculenta consilia circumcirca secura; mari mediterraneo & oceano duo

M. Surianus Venet. in Relat. Gal.

duo illius latera claudentibus; montibus quoque Pyrenæis & Alpibus altera duo circumvallantibus; arte naturam, ubi opus est, strenue adjuvante. Hanc situs ἐξουσίαν terræ ipsius nunquam satis prædicata bonitas etiam exuperat; quæ tanta est, ut nullam aliam mundi regionem sol intueatur clementius. Nam quemadmodum vas Cretico vino plenum ex omni parte, si relinatur, dulcissimum fundit liquorem: sic Francia tota, quanta quanta est, omne genus divitiis infarcta, veluti ex copiæ cornu, quaquaversum missilia luxuriantis fortunæ non jacit, sed spargit: ut hanc laudem sibi vendicare possit propriam; creditricem se esse ditionum mundi omnium, debitricem nullius. Cumque alias communi naturæ lege

non omnis ferat omnia tellus;

sed quælibet singulari quadam dote gaudeat, quæ cæteris sit denegata: soli & uni Franciæ privilegium hoc cœlitus concessum est, ut fertilis sit bonorum omnium; nec apud peregrinos usquam tam rarum carumque inveniatur quicquam, quod Gallis non sit domesticum & commune. Quam Franciæ prærogativam Itali in laudes suas alioquin nimiopere prodigi, in aliorum parci satis, candide agnoscunt, & publicis scriptis luculenter contestantur, profiteri nihil erubescentes; omnia quæ in Italia quibusdam iisque paucis in locis singulari memoria & admiratione digna occurrunt, ea in Gallia passim & ubivis reperiri. Laudes igitur, quas olim Strabo

Bodin. in Resp. ad Malestr.

Boter. in Rel. p. 2. l. 1. de Gall.

bo & Plinius Narbonensi provinciæ, & Salvianus Aquitaniæ, tribuebant; ego jure hodie adscripserim Galliæ universæ. ἡ Ναρβωνῖτις ἅπασα, (verba sunt Strabonis) ὥσπερ ἡ Ἰταλία, τοὺς αὐτοὺς ἐκφέρει καρπούς. *Narbonensis provincia*, inquit Plinius, *agrorum cultu, virorum morumq; dignatione, amplitudine opum, nulli provinciarum postferenda: breviterq;, Italia verius, quam provincia.* Et, *Nemini dubium est*, ait Salvianus; *Aquitanos ac Novempopulos medullam fere omnium Galliarum, & ubera totius fœcunditatis habuisse; nec solum fœcunditatis, sed, quæ præponi interdum fœcunditati solet, jucunditatis, voluptatis, pulchritudinis. illic omnis admodum regio aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus fuit: ut vere possessores ac domini terræ illius, non tam soli istius portionem, quam paradisi imaginem possedisse videantur.*

Strabo. l. 4.

Plin. H. N. l. 3. c. 4.

Salv. l. 7. de Gub.

Inprimis autem quatuor sunt, quæ supra opinionem hominum in Gallia mirifice abundant; videlicet, FRUMENTUM, VINUM, LINUM, & SAL: quæ non ineleganter Boterus dixit *Galliæ magnetes.* Vt enim magnes; non tamen omnis, sed cœruleus, & præsertim Æthiopicus, cui laus summa datur, pondusque argento rependitur; domitricem illam rerum omnium materiam, ferrum attrahit, sistit, & complexu tenet: sic isti Gallici magnetes; qui Æthiopico hoc sunt meliores, quo Gallia est nobilior & cultior Æthiopia; omnem extraneorum

Plin. H. N. l. 36. c. 16. *Aethiopici argum. est, quod magnetem quoque alium ad se trahit.*

rum pecuniam, omne aurum & argentum ad se trahunt; & Galliam constituunt quasi thesaurariam Orbis terrarum universi. De FRUMENTO quidem dubium nemini esse debet; perfectissimum id nasci in Galliis: quas propterea Solinus *felices præpinguibus glebis, accommodas proventibus fructuariis*; & Pomponius Mela, *terram frumenti præcipue feracem*, prædicavêre: sine dubio multo altiore buccina agri bonitatem ubertatemque cantaturi, si hodiernam culturam prisca illa immane quantum ditiorem redivivis oculis jam præsentes arbitrarentur. Nec subticuit Cicero, sua ætate ingentem frumenti vim ex Galliis inopiæ publicæ sublevandæ aliorsum transvectam fuisse: uti nec Plinius, ille naturæ protonotarius; qui hoc addit amplius, *Gallicum esse nitidissimi grani, & quatuor libris plus panis reddere, quam far aliud.* Hodie certe famelicæ Hispaniæ Gallia tanquam bona nutrix largiter succurrit, & annuis frumentationibus fastosæ & ingratæ gentis mensam instruit opipare; sed tanto cum fœnore, *ut Hispani directum Peruviæ dominium, & Galli utile habere videantur.* VINO vero Gallico non opus est suspensa hedera: siquidem illud ingenti pretio comparant, & cottidie immensa copia domum asportant Angli, Scoti, Belgæ, Germani, Dani, Sueci, & quicquid populorum bibacissimus continet Septentrio. Cujus rei argumentum majus habeo nullum, quam quod unus *Lauda* mercator Cameracensis, Anno M. D. LXXVIII. *triginta tria millia modiorum* vini terrestri vectura in Belgi-

Solin. Polyh. c 34 & ibi Camers. P. Mela l. 3. c. 2. & ibi Vadian.

Pro Fonteio & alibi.

H. N. l. 18. c. 7.

Bignon du R. de Fr. l. 1.

Bod de Rep. l. 6. c. 2.

gium exportari curaverit, tametsi aditus arduos ac multis locis ab hostibus interclusos sibi videret. pretium in singulos modios ut minimum fuit quatuor coronatorum. Ex quo intelligi potest; quanto plura navibus deducantur. Atque ut *streptos* uva ubique cum sole se circumagit: ita Nectar Gallicum ad solis cursum se studiose componens passim terras omnes dulcissimo liquore suo, veluti aureo quodam imbre, refocillat. Quin & exquisitissimam Italorum gulam jam priscis temporibus sibi fecit vectigalem; fidem huic rei facientibus Columella, Plinio, Plutarcho: ut propterea, quid Vopiscus & Eusebius velint, dum Imp. Probum Gallis potestatem vites serendi dedisse tradunt, viri docti nondum capiant. Hodie autem inter primæ nobilitatis vina sunt Aurelianensia (sed quæ, utpote caput ferientia nimis, Regia mensa lege domestica excluduntur.) Andegavensia alba, Turnonia, Benearnensia Jurancomia, Burdegalensia, Muscatelina Frontiniana, Provincialia pleraque, Belnensia; & quæ in Burgundiæ Comitatu nascuntur ad Vesontionem, Arbosium, Vadam, (apud Arbosianos & Vandanos vasa vinaria sunt ingentis magnitudinis, & quæ altitudine domos propemodum æquent; forte nihil aut parum capacitate sua celebribus in Germania vasis, *Tubingensi*, *Heidelbergensi*, vel *Grüningensi*, concessura.) item ad Grimoniam arcem, Polichnium, Lothanum, Castrum Caroli, Villepharium, Gyum, Morellum. Jam de LINO, tertio Galliæ magnete,

Plin. H. N. l. 14. c. 1.

Merula in Cosm. p. 2. l. 3. c. 8.

K qui-

quibusvis gemmis & lapidibus pretiosis præstantiore, quid dicam? Quem enim in stuporem non conjiciat? herbam esse, herbam tam parvulo semine prognatam, tam gracili avena, vix paulo altius ulna a terra sublatam, nonnulla cum naturæ injuria viribus exutam, audacique hominum artificio passam tusamque; & in mollitiem lanæ coactam; talem, inquam, herbulam esse, quæ admoveat Ægyptum Italiæ; in tantum; ut Galerius a freto Siciliæ Alexandriam septima die pervenerit, Babilius sexta, ambo præfecti; æstate vero proxima Valerius Marianus ex prætoriis Senatoribus a Puteolis nono die, lenissimo flatu: herbam esse, quæ Gadeis ad Herculis columnas septimo die Ostiam afferat, & citeriorem Hispaniam quarto, provinciam Narbonensem tertio, Africam altero; quod etiam mollissimo flatu contigit C. Flacco, legato Vibii Crispi Proconsulis: herbam esse; quæ *Santonum Rupellam & Floridam XVII dierum spatio, leucas mille & centum emetiendo, conjungat; quod prospero successu evenit Dominico Gurgio Gallo:* herbam esse, quæ ventos & procellas, Æolum & totum ipsius satellitium ad obsequium componat, & mansuefaciat: herbam denique esse, quæ orbem terrarum ultro citroque porret; quæ Orientem & Occidentem, Meridiem & Septentrionem, in quavis mundi plaga societ, & ad omnia humanitatis atque charitatis officia uniat. Vbi autem lini cannabisque copiosior proventus, quam in Gallia? Vbi quæstus ex telis, velis, ruденti-

Plin. H. N. l. 19 in pro.

Thuan. H. l. 44.

dentibus, & hujusmodi instrumento nautico est amplior? Vbi mercatus uberior? *Itane & Galliæ* (ait Plinius) *censentur hoc reditu? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum existimati Morini, imo vero Galliæ universæ vela texunt.* Imo nisi hodieque Galli vela texerent; unde Hispani equitatus suos ligneos, quos tot tantosque singulis annis in utrasque Indias, innocentes & simplices populos excarnificatum & spoliatum mittunt, sint instructuri, non video. Transeo ad SALEM, vere omnium condimentum condimentorum; quod præter medicinæ & alios in vita humana usus, excitat aviditatem invitatque in omnibus cibis, ita ut sit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta; quod adeo necessarium est elementum, ut pecudes armentaque & jumenta maxime solicitet ad pastum, multo largiore lacte, multoque gratiore etiam in caseo dote. Nascitur & conficitur hic magnes in multis terrarum tractibus, nec copia contemnenda: cum Africa circa Vticam conficiat acervos salis ad collium speciem: & Carræ (est Arabiæ oppidum clade Crassi nobile) muros domosque e massis salis faciant, aqua ferruminantes; & Hammanientes restagnantibus ibi Mauritaniæ aquis domos sale, montibus suis exciso, ceu lapide, construant; & apud Indos ex monte Oromeno lapicidinarum modo sal cædatur renascens, majori regum ex eo vectigali, quam ex auro est atque margaritis. Atqui sal Gallicus, cujus cumulos veluti argenteos quosdam

H. N. l. 19. c. 1.

Plin. H. N. l. 31. c. 7.

Plin. H. N. l. 5 c. 24.

Plin. H. N. l. 5. c. 5.

dam colles non modo terra ſuppeditat, ſed & Oceanus ipſe litoribus acervatim alluit, ipſo Phœbo ſtatim & feliciter coquente, quantum & a copia & a bonitate longe præſtat aliis omnibus? Quantum nummorum quotannis in arcas infert regias? Nam regiones ad Arcton excurrentes, quibus, ut Catulli quidem verbis, non autem ſententia utar,

vix in tam magno corpore mica ſalis,

quot millies millenos modios e ſalſiſſima Gallia ſingulis annis domum vectant? Exploratum enim & experientia diuturna compertum eſt; nec Belgas, nec Britannos, nec Danos, ſale Gallico vacare poſſe. Et cum antea Imp. Carolus V Belgas non tantum ab Hiſpanis ſal accipere cogeret, verum etiam Gallico ſale uti prohiberet: civitates ac populi, qui ab Hiſpanis ſal emerant, animadverterunt, piſcarias merces, quarum ampliſſimus eſt in Belgio quæſtus, Hiſpanico ſale prope extabuiſſe, propter acrem nimis & arrodentem ſalis Hiſpanici vim ac naturam; importuniſque rogationibus obtinuerunt, ut Gallicis ſalibus, qui vegetiores & ſuaviores ſunt, uti liceret. Vnde ſæpiſſime navium peregrinarum claſſes ad littus Celticum appellunt, ſalium emendorum cauſa: & quia frumento, vino, oleo, cæteriſque rebus ad vitam beatius commodiuſque degendam neceſſariis, abundat Gallia; illi negotiatores vacuas naves arena aut lapidibus onerant, ut emere liceat, cum rarius permutare poſſint. Sed enim ſalſos inter Gal-

Bod. de Rep. l. 6. c. 2. & in Reſp. ad Maleſtr.

liæ,

liæ, quidni & Europæ? fontes agmen nobilitatis ducunt illi, qui apud Salinas Sequanorum urbem ſcaturiunt: ex quorum limfis coquitur ſal candidiſſimum, longe ori gratius eo, quod ex aqua marina paratum *populare* Cato vocat, *ſordidum* Feſtus. Accedit ad dotes cumulus; quod, cum in centum marinæ aquæ libris, tres aut ſummum quatuor libræ ſalis; in iſtis tamen Sequanicis ſalinarum fontibus pari pondere, etiam quarto ac quinto tanto amplius ſalis, nimirum libræ ſexdecim, viginti, & quod excedit nonnunquam, contineantur. Magis item memorabile & hoc, quia mirabile omnino eſt: quod ibidem loci unus fons plus ſalis flante Borea deferat; plus alius ſpirante Auſtro. Ad tot tantaſque Galliæ divitias non parum emolumenti adcreſcit ex *oleo, ficubus, malis aureis, cytreis, granatis; pyris, nucibus; vitri* item *paſtillis* ſive *glaſto, oryza, cocco, croco, nardo*, (quod ad Theriacam conficiundam ex Gallia peti, Galenus teſtatur.) *thymo, myrto, ſatureja, Kermeſio, libanotide* ſive *roſmarino* (cujus in Languedocia non minor copia, quam apud nos juniperorum) aliiſque aromaticis fruticibus, herbis, & floribus: quibus omnibus non tam ad vitæ neceſſarios uſus, quam ad delicias & medicinas in certamen uſque pleræque provinciæ Gallicæ luxuriant. Sic & paſcua lætiſſima; innumeri ovium, caprarum, ſuumque greges; infinita boum armenta; exercitus cervorum, ferarumque omne genus: atque ludibunda avium domeſticarum ſylveſtriumque

I.Iac.Chifflet. in Veſont.p.1.c.6.

Bignon. de R.de Fr.l.1 Merula in Coſm. p. 2. l. 3. c. 2.

examina; quid utilitatis, quid jucunditatis, quid solidi gaudii non afferunt? *Gallicæ lanæ* jam olim summam nobilitatem habebant. Et nonne nos hodieque pannos Bituricenses, Parisienses, & alios Gallicos æstimamus; & ex iis elegantiora pallia atque femoralia conficimus? Neque etiam illaudatos Gallia generat *equos*; qui nullos non labores sustinent fortiter, atque in pugnis facile ante omnes obtinent palmam; Lotharingicis tamen Neapolitanorum & Turcicorum gloriam proxime æquantibus. Sed præcipue Celticas equas olim laudibus & pretio efferebant Romani: sicuti & iidem ex Galliis canes venaticos, tanquam aliis generosiores petebant; speciatim *canes Gallicos* appellando. Atenim dum canem Gallicum nomino; an istius amphitheatrum, sylvas & lucos, non simul nominem? Refert Strabo; nullas in Gallia esse terras otiosas & inutiles; nisi ubi lacubus & sylvis impeditur. Sed si hodie Strabo Galliam perlustraret; omnino eam undiquaque fertilem, utilem, & beatam, sine omni exceptione & laudum temperamento diceret; nec ulla loca deserta, inculta nulla, nulla impedita & ad usus hominum inepta, quantumvis oculatissima pervestigatione jam reperiret. Stagna enim, quæ adhuc supersunt, dapsilibus proventibus dominos exhilarant: & sylvæ lucique cæteris terrarum obventionibus plane nihil concessuri sint. Nam præter venationum delectamenta, concessa Equestri Ordini sine agricolarum injuria, & præter umbrarum

Insula Arelatensis agri plus quatuor millibus equarum alit; bovini vero pecoris millibus non minus sexdecim. quam copiam ego sat scio alibi totis provinciis, iisque cultissimis desiderari; ait P. Quinqueranus. Camer. M. H. Cent. 2. c. 99.

Geogr. l. 4.

rum ſuavitatem ; iſthinc populus focum culinamque armat, & utenſilia parat ; iſthinc belli machinas inſtruit, & mari ſulcando fluminibusque domandis, naves, rates, pontes extruit ; iſthinc caſas, horrea, domos, palatia ædificat. Nec omiſerim *taxum*, Galliis quondam copioſiſſimam, venenatam arborem ; ſed innoxiam, ſi in ipſam clavus æreus adigatur. Eam Dioſcorides Narbone tam præſentis eſſe veneni tradit ; ut qui obdormiant ſub ea, cibumve capiant, moriantur. Vaſa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuiſſe compertum eſt. Vnde ſunt, qui & *taxica* hinc apellata dicant venena, quæ nunc *toxica* dicimus. Atque hactenus, Auditores, faciem & purpuram Helenæ Gallicæ extremis tantum lineis adumbravi : quia tamen ad gloriam ejus pertinet ; ventrem quoque illius (non ex edicto prætoris, nec ex Divorum fratrum reſcripto) parumper inſpicere fas ſit. *Metalla* innuo, quibus non minus prægnans eſt Gallia, quam regiones aliæ : & quidem ferro maxime ; optimo peſſimoque vitæ inſtrumento. Siquidem hoc tellurem ſcindimus, ferimus ambuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus rejuveneſcere ; hoc figuramus tecta, cædimus ſaxa, innumeroſque ad alios uſus ferro utimur : ita ut incolæ inſulæ *de los ladrones*, quamvis omni metallo deſtituantur, a navigiis prætereuntibus, non aurum, non argentum, ſed ferrum tantum alta voce efflagitent ; non neſcii, ferrum inter metalla omnia utilitate pri-

Plin. H. N. l. 16. c. 10. Merul. Coſmo. p. 2, l. 3. c. 3.

ff. de vent. inſpic.

Plin. H. N. l. 34. c. 14.

mum esse. Sed & eodem utimur ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solum, sed missili volucrique; nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc vero pennato; quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror; quoniam, ut ejus mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus: quam ob rem culpa nobis, non naturæ fiat accepta. Videtur autem natura propterea Galliam ditioribus ferri venis infersisse; ut fortissima & mascula Gallorum natio ex hoc inexhausto armamentario invictas suas legiones perpetuo armare, &, fortuna virtuti famulante, omnibus totius orbis partibus catenas & compedes innectere posset. Gladii profecto Gallici semper famam, & laudem, & pretium habuerunt. De singulis vero metallorum speciebus tædiosum sit aures illustris hujus consessus fatigare longius: satis sit, Galliam jam sub Augusti imperio cum aliis populis, & nominatim cum Hispanis pro gloria metallaria, singulis terræ suæ patriæ divitias extollentibus, contendisse. Ac licet argento eam carere, scripserit Diodorus: e Pyrenæis tamen montibus, cum sylva casu accensa conflagrasset, liquatum argentum hic, ut & in Hispaniis profluxisse, narrat Athenæus. Nemo vero etiam tam vana opinione imbui se patiatur, hodie in Galliis, quasi effœta tellure, omnes auri argentique venas exaruisse; cum cottidie novæ se prodant., quæ ad indaginem diligentiorem avaritiæ operas sollicitant & provocant: & quidem

Iul. Pollux. Onomast. l. 1. c. 10.

lib. 6.

dem Dominicus Bertinus existimabat; ex Pyrenæis montibus, si quis scrutetur, plus auri argentique effodi posse, quam colligatur ex venis Peruviæ. At Gallorum virtus, cœlo proxima, cum inferis parum habet commercii. Cum enim illorum terra summa sui parte tribuat bona omnia, quæ sive necessitatem, sive delicias considerem, omnibus humanæ vitæ desideriis satisfacere, & ad nova etiam delicatissimos Apicios stimulare possint: cur in tam sanctæ & benignissimæ matris ventrem sæviant? cur viscera ejus cruentent? cur tot hominum exercitus sepeliant vivos; & in sede manium opes quærant, quas longe sanctiores & innocentiores possident in horreis? Vtinam sic viveremus ubique! Quam enim beata, quam sancta, quam honesta & jucunda esset vita nostra; si nihil aliud, quam supra terras, & quod secum est, concupisceret! Scilicet ———— *itum est in viscera terræ,*

Apologie de R. Herpin pour la Repub. de Bodin.

quasq; absconderat, Stygiisq; admoverat umbris,
effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Ovidius.

Attingendum & hoc est. Cum Galli ædificia certatim extruerent; ea ut robusta, ac splendida, & in longam temporum senectutem durarent; natura illic ex terræ gremio omnis generis lapides ad structuram idoneos, quosdam ipsa duritie immortales, alios autem, quamvis dentata serra secentur, tamen contra tempestatum insultus fortes, & contra vetustatem fideles, quin & ingentem pulcherrimorum marmorum, rubrorum, nigrorum, candidorum, & versicoloribus maculis eximie di-

Bignon. du R. de Fr. L. 1.

Chifflet. in Vesont. p. 1 c. 3. Bod. in Nat. th. l. 2.

l. 7. §. 13. ff. Sol. matr.

stinctorum, quibus mirificè fœcundi sunt montes Burgundici & Pyrenæi, apparatum affatim suggessit: ut & inter plurima Galliæ miracula antiquitas observavit; lapides ibi renasci, & lapicidinarum hulcera sponte compleri iterum. Nec reliquæ *aquariæ* dotes Galliæ omittendæ sunt. Etsi enim saluberrimæ passim aquæ cunctas provincias, intra supraque terram, venis ut siphonibus discurrentibus, ad miraculum usque humectant, irrigant, fovent; adeoque quibusdam in locis, potissimum in Benearnia, (cui regioni cum in montibus, tum in planitie, mirandus est genius & stupenda indoles; & vix oppidum ibi, vix pagus, cui non aliquid singulare) medicinas faciunt, nec Morboniæ in Gallia locum esse facile patiuntur: non minori tamen gratitudine pensandum beneficium est illud, quod innumeras piscium species, & saporis exquisitissimi, natura novas semper pariente, emittunt; & tanta vi, ut multoties capturam ea impediat, & piscatoribus speratum, retibus molem ponderis non tolerantibus, eripiat fructum. Et ut in hisce piscium & aquarum miraculis hæreamus paulum; in Arari flumine, ut habet ex Callisthene Stobæus, nascitur magnus quidam piscis, *Clupea* nominatus ab incolis; qui crescente luna albus est, decrescente eadem nigrescit; & corpore nimium aucto a propriis spinis interimitur: in hujus piscis capite lapis perhibetur reperiri, similis grani salis, qui optime facit ad quartanas, sinistro lateri

Merula in Cosm. p. 2. l. 3. c. 45.

Mer. ibid. c. 3. E.

Serm. 100.

cor-

corporis alligatus decrescente luna. Sic inter Burgundiæ Nozorethum & Ripariam locus est in Bonvalle, lupis, percis, & aliis piscibus abundans; qui septimo quoque anno in aliquot hebdomadas suffugiens & delitescens iterum emergit. Et alius lacus in eadem Burgundia, cui *a Voraginibus* nomen; in cujus superficie coit limus in eam duritiem, ut terra continens videatur: super quo tamen equites currusque secure non ambulent, sed soli pedites. is cœlo pluvioso & nebuloso non emergit, nisi serenitatis sit index. tunc enim per foramina brevi tempore se se effundit, & totam Columbanam planitiem rigat. Nec in exiguo censu ponendus est & ille aquarum Galliæ fructus: quod probatissimum, id est, quam maxime rubens, & quam ramosissimum generent *coralium: cujus baccarum autoritas non minus Indorum viris quoque pretiosa fuit, quam olim fœminis Romanis uniones Indici. gignitur id quidem & in Rubro mari, sed nigrius; item in Persico, vocaturq; Iace; sed laudatißimum in Gallico sinu circa Stachadas insulas.* Quo autem in numero, nisi primo & supremo, illud collocandum est; quod totum regnum plurimis iisque præstantissimis & gratiosissimis fluminibus perluitur; quæ loca mediterranea non minus, quam maritima commerciis aptant; sicque in singulis provinciis omnium divitias & totum Mercurii imperium ubique monstrant? Catharina Medicea, Gallorum Regina, dicere solebat; *Galliam a pluribus navigiorum patientibus fluviis interlui;*

Mer. ibid. c. 47.

Plin. H. N. l. 32. c. 2.

Boter. in Rel. p. 2. l. 1.

terlui; quam reliquas Europæ regiones omnes. Quod ut ſit oratorie dictum, & hyperbolen ſapiat; ea tamen Boteri Itali judicio a veritate non procul abeſt. Et quanquam inter tot flumina nullum eſt, quod ſingulari quodam naturæ privilegio non gaudeat; quibuſdam etiam aurifodinarum æmulis, in ramentis abſolutiſſimum aurum, ſcilicet curſu ipſo trituque perpolitum, vehentibus; ut popterea Galli Hiſpanis Tagum ſuum, Padum Italis, Hebrum Thracibus, Aſiaticis Pactolum, & Indis Gangem invideant haudquaquam: inter omnia tamen Sequanæ præcipua laus eſt; quippe cujus ea eſt aquarum amœnitas & munificentia, ut oculos & palatum pelliciat; ea innocentia & riparum obfirmatio, ut accolas populos ſecure in utramque aurem dormire jubeat; lectum non facile evagetur, minimeque omnium orbis fluviorum interdictum Prætoris *de ripa munienda* exerceat; ea curſus manſuetudo, ut omnibus vicinis familiaritatis uſumfructum ſinuoſis ſuis flexibus & mæandris, ob quos ſæpe creditur reverti, (nam Lutetia Poſſiacum, quæ itinere terreſtri inter ſe leucis VI diſtant, navigantibus plus XXVI numerantur) cupiat exhibere; ea denique in navigationibus commoditas, ut neſciam, an in aliis amnibus ſit par, nedum major. *Hæc igitur eſt Gallia*; hæc terrarum nobiliſſima, & vere felicitatis humanæ epitome; hæc omnium deliciarum & elegantiarum paradiſus; hæc eſt, quam Manilius *divitem*, quam Dion *divitiis florentem*, quam

Julia. Imp. in Miſopo.

Thuan. H. l. 42.

quam Josephus *beatitudinis fontem, omnes terrarum tractus opibus & bonis irrigantem*, quam Cicero *omni copiarum genere abundantem*, quam Procopius *Hispania*, & Bignonius *omnibus Imperii Romani provinciis potentiorem*, dixerunt. Hæc ipsa est, cujus opibus & viribus Julius Cæsar incredibiles æris alieni sarcinas excussit, omnes amicos & familiares suos egenos locupletavit, plerosque Romæ proceres & primores in sententiam suam pertraxit; immensa congiaria populo, & militibus donativa dedit; palatium magnificentissimum, cujus area constitit *HS millies*, quæ sunt *viciesquinquies centena millia Philippaeorum*, extruxit: breviter; qua Imperium Romanum universum in potestatem redegit. Vnicum tanquam ἐπίμετρον consummatissimæ Galliarum bonitatis addo hoc: terram Gallicam aut paucis, aut nullis affligi incommoditatibus. O ineffabilem naturæ indulgentiam! Quæ enim alia in mundo provincia, quæ plaga, quis agellus est; cujus felicitatem nulla flagellet calamitas, vis major nulla conturbet, nulli etiam novercantis fortunæ præmiatores contaminent? Ægyptus flumen Nilum habet potu fœtiferum, & coloni vice fungentem, qui auctu magno per omnem planitiem exspatiatus satietatem, hilaritatem, securitatem, & delicias affert: sed idem Nilus habet Crocodilum, quadrupes malum, & terra pariter ac flumine infestum. Cyrenaica rosas fert odoratissimas, atque unguentum pulcherrimum: sed eadem quoque generat Basiliscum,

Suet in Iul. c. 22. 26. 54. Plutarch. in Iul. Bigno. du R. de Fr. l. 1 Lips. de Mag. Rom. l. 3. c. 7.

Plin. H. N. l. 7. c. 3. l. 18. c. 18. l. 5. c. 9. l. 8. c. 25.

Plin. H N. l. 8. c. 4. & l. 8. c. 21. ſcum, frutices necantem, non contactos modo, verum & afflatos, exurentem herbas, ſaxa rumpentem, internecivum humani generis; omnibus, qui oculos ejus vidêre, confeſtim expirantibus. Sic Arabia ab odoribus, quos ſpirat & Bign. du R. de Fr. l. 1. in totum ſpargit orbem, *felicis* cognomentum adepta eſt: ſed eadem noxiis ſerpentibus colore mentientibus terram, & peſtilentibus morbis ex gravitate aeris contractis, ita impetitur; ut *infelicis* cognomentum non male gerere poſſit. Sic China apud omnes audit fertiliſſima, amœniſſima, & Orientis horreum: ſed & eam mille pericula, miſeriæ mille circumſtant, & obruunt ſine induciis; nunc igne cœlitus immiſſo totos pagos, oppida, urbes, & provincias totas digluciente; nunc inundationibus & diluviis obvia quæque proſternentibus; nunc terra horrendo cum fragore intremiſcente, & diductis faucibus homines, pecora, & ſeipſam ſorbente ac devorante. Sic etiam aliorum regnorum & imperiorum proſperitatem, ſemper aliqua comitatur clades & injuria. Vna vero & unica Gallia quiete & ſecure ſuis opibus fruitur; una ſerenantis fortunæ domicilium & regiam obtinet; una ſemper, ſine omni periculo, uberrimam omnium deliciarum colligit meſſem. Hinc crocodilum non novit, baſiliſcum non videt, ſerpentum morſus non ſentit; leonum, tigridum, urſorum, & reliquorum vel nomine ſolum terrentium animalium laniatus non dolet; aeris peſtilentiam, ignium cœleſtium ingluviem, excidia

dia aquarum non timet; & denique terræ murmura, mugitus, rupturas, & cætera prodigia non audit. Qui itaque hæc omnia, huc usque pro Galliis proposita, vacuis percepit auribus; is, nisi me omnes sensus decipiunt, si antea non credidit, in posterum accredet mihi, & assensu suo stabiliet, *que la France est le petit oeil & la perle du monde*; Galliam mundi ocellum gemmamque esse.

Venio ad secundum Orationis meæ caput; & Gallos Gallia sua dignissimos laudatum eo: quorum sive multitudinem, sive virtutes ad Lydium rationis lapidem vocem; undique ad miracula animus & lingua fatiscunt. Salomonis Regis oraculum veneror, ut sapientiæ genimen: *In multitudine*, inquit, *populi, dignitas Regis; & in paucitate plebis, ignominia Principis.* Quæ etiam causa fuit; ut DEUS Abrahamum exaltaturus, promiserit ei; ut posteritas illius in tantum excresceret populum, cujus numerus non magis, quam stellarum cœli, aut arenæ maris, iniri possit. Et Divi Hadriani rescriptum ignobile non est; apud quem favorabilem causam liberorum, Albini filiorum numerus fecit: cum ampliari imperium hominum adjectione potius, quam pecuniarum copia mallet. At quis Galliæ est angulus, quæ loca ibi in ulla ostendi possunt parte; quas frequentia hominum non obumbret, quæ gentium hinc inde commeantium & discurrentium copiæ non occupent? Nulla ibi solitudo, nihil vacuum, & desertum nihil

Proverb. c. 14.

Gen. c. 12. 13. 15. &c.

l. 7. §. 3. ff de bon. damn.

nihil eſt. Omnia itinera & viæ omnes, ædificiis, domibus, arcibus, pagis, oppidis, urbibus ſunt repletæ: vixque tranſeunti aliquod ex oculis elabitur, & alia decem circumſpicienti comparent: ut tota Gallia tantum una urbs quædam, in regiones & vias diſtincta eſſe videatur. Et ſicuti in formicarum receptaculis domiciliiſve nihil eſt inane, ſed omnia ſolertiſſimo animalculo, in cumulos ſine numero perpetuo circumrepente, ſunt pleniſſima: ita Gallia tota hominibus infarcta, & ubique populus eſt. Rex Agrippa cum Judæos, adverſus Romanos arma & rebellionem parturientes, in officio & obſequio continere cuperet; quæſivit ab illis, an opulentia Gallos, fortitudine Germanos, Græcos firma inter ſe concordia animorumque conteſſeratione antecellerent, qui omnes tamen Imperii Romani jugum ſubiiſſent: &, ut impotentiam illorum, potentia, quam iſti habebant, & tamen Romanis impares erant, conſtringeret, atque ad ſanitatem reduceret, ſic de Gallia loquitur; eam ſupra fidem beatam & omnium divitiarum feracem, *trecentis & quinque populis, atque ſupra mille ducentis amplius oppidis inſeſſam eſſe.* Sed hodie quam nihil decrementi paſſa eſt Gallia? Numerat civitates ſede (a) Epiſcopali illuſtres CII, & Metropolitanas XIV; ultra has, urbium oppidorumque totas numerat chiliades: & qui curatius calculum ſub Henrico II Rege ſubduxêre, numerant parœciarum XXIV cIↄ. Iↄ ccc. XXVII;

Ioſeph. de bel. Iud. l. 2. c. 28.

(a) Ioſ. Scalig. in Notitia Galliæ. *Sunt in Gallia 104 Epiſcopi: 12 Archiepiſcopi: 548 Abbates: Curionum 27400. ſi modo ſingulis urbibus & pagis ſinguli Curiones tribuantur: extra minores Archimandritas & cœnobia tentorum Monachorum vicatim mendicantium. ait* Bod. de R. l. 5. c. 2. Vide Aub. Miræum in Not. Ep. l. 4. c. 14.

XXVII. non venientibus in numerum Burgundionibus & Pictonibus. Et ô quantum, quantum hominum ſub tot tectorum myriadibus degit! Quantum capit *Narbo Martius*, *ſpecula* olim & *propugnaculum populi Romani?* Cicero Pro Fontejo.

Salve Narbo potens ſalubritate,
urbe & rure ſimul bonus videri,
muris, civibus, ambitu, tabernis, Sid. Apollinar. Car. 23.
portis, porticibus, foro, theatro,
delubris, capitoliis, monetis;
thermis, arcubus, horreis, macellis,
pratis, fontibus, inſulis, ſalinis,
ſtagnis, flumine, merce, ponte, ponto:
unus qui venerere jure divos,
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam,
ſpicis, palmite, paſcuis, trapetis:
ſolis fiſe viris, nec expetito
naturæ auxilio, procul relictis,
promens montibus altius cacumen.
Non te foſſa patens, nec hiſpidarum
objectu ſudium coronat agger. &c.
Quid? quod Cæſaribus ferax creandis,
felix prole: virum ſimul dediſti,
natos cum genitore Principantes?

Et quantum continet *Nemauſus*, urbs toto orbe Romano, ſi Romam excipiamus, antiquitatis venerandæ monumentis, amphitheatro, palatio, delubro Veſtæ extra urbem, & admirandæ paſſim pulchritudinis ruderibus ac fragmentis, quæ cum recentibus regum ædificiis integris etiam hodie certant; fonte quoque cognomine veterum te- Thuan. H. l. 46 & l. 2. de vita ſua.

ſtimoniis famoſo, ſpectatiſſima? Quantum amplexu fovet ſuo *Mons Peſſulanus*? qua urbe nihil amænius; cujus civibus nihil humanius, aere nihil ſalubrius, territorio nihil fertilius, & nullum fere, quod *Simplicium*, ut loquntur, *herbarum* majorem exhibeat proventum. quæ res maxime Medicorum ordini hunc locum, in quo ſtudiis ſuis ponerent ſedem, commendavit; inſtituta Academia eo fere tempore, quo Saracenis Hiſpania pulſis Medicæ artes inde cum diſcipulis Arabum, Avicennæ, Averrois, & aliorum huc feliciter conceſſerunt. Quantum comprehendit urbs Conſtantina, ſive Gallula Roma, *Arelas*? de qua ita Imp. Fl. Conſtantinus: *Tanta eſt loci opportunitas, tanta eſt copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quicquid uſquam naſcitur, illic commodius diſtrahatur. Neque enim ulla provincia fructus ſui facultate lætatur, ut non niſi hæc propria Arelatenſis ſoli credatur eſſe fœcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Aſſyrius, quod Africa fertilis, quod ſpecioſa Hiſpania, quod fœcunda Gallia poteſt habere præclarum, ita illic exhibetur affatim, quaſi ſibi naſcantur omnia, quæ ubique conſtat eſſe magnifica. Iam vero de curſu Rhodani & Turoni recurſu, neceſſe eſt, ut vicinum faciant & pene conterminum, vel quod iſte præterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic ſerviat civitati, quicquid habet terra præcipuum; ad hanc vel navi, vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quicquid ſingulis naſcitur: quomodo ſibi non multum Galliæ noſtræ præſtitum credant; cum*

Mer. Coſm. p. 2. l. 3. c. 37.

Ioſ. Scalig. in Auſon. l. II. Font. in Gall. Narbon. Fr. Iur. ad Sym. l. 9. Ep. 16. ubi hanc Conſtitutionẽ adſcribit Honorio & Theodoſio.

cum in eadem civitate præcipiamus esse conventum, in qua divino quodam munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstatur? Et quantum concludunt *Durocortorum* Remorum, *Avaricum* Biturigum, *Cæsarodunum* Turonum, *Lugdunum* Segusianorum, *Genabum* Aurelianorum, *Samarobrina* Ambianorum, *Augustobona* Tricassium, *Augustoritum* Pictonum? Quantum *Rotomagus* Venellocassium, *Condivicinum* Nannetum, *Avenio* Cavarum, atq; una Lutetia minor amplissima *Tolosa*? Et quantum complectitur omnium caput LUTETIA Parisiorum? *Parigacittà*, ait Boterus, *che di popolo & di abbondanzi d' ogni cosa avanza di gran lunga tutte l' altre di Christianità*: hoc est: *Lutetia & populi frequentia, & copia omnium rerum, longissimo intervallo superat orbis Christiani civitates quascunque*: ut lepidi sint Thuringi, qui cum Tityro Virgiliano totum mundum aliquot dierum itinere circumscribunt, & præ Erfordia sua cunctas civitates despiciunt, Erfordiamq; non urbem, sed integram aliquam provinciam & regionem crepant. Multo plus salis miscebat *Franciscus I* Galliarum Rex, cum is Imp. Carolo V, apud se divertenti, & interroganti, *Ecqua urbium in Gallia esset primaria*: *Rotomagum* responderet: replicanti vero Imperatori, *Ecquid Lutetiæ futurum sit? Eam non urbibus, sed propter amplitudinem, & populi rerumque omnium ingentem vim, provinciis accensendam esse* diceret. Bonis etiam authoribus habeo, Christophorum Ducem Wurtembergiæ, tuum, *cognate Princeps, Friderice Achilles*, agnatum, Principem prudentissimum, so-

Lib. 1. *delle cause della grandezza delle città.*

P. Matth. in hist. Hen. 4. G. R. lib. 6.

litum affirmare; *Lutetiæ non minus hominum, quam in agro Würtembergico universo esse.* Quis facile hæc credat, qui Lutetiam non vidit? Et quis non stupeat, qui Lutetiam vidit, & qui simul expendit, intra hos tot annos a morte Christophori, Würtembergiam civium numero incredibile incrementum accepisse? Exoriatur aliquis novus generis humani pædagogus, aliquis novus Lipsius, qui *Admiranda Galliæ* bono publico donet; & istud majusculis literis consignet: *Unam Galliæ Lutetiam tantam populi multitudinem comprendere, quantam Würtembergiæ continet Ducatus pene totus; cui tamen multæ urbium decuriæ, & pagorum centuriæ non paucæ insunt.* Tantoque populo Lutetiano omnis rerum abundantia ita præsens est; ut Vigenerius existimaverit, si a se cœna δωδεκάθεος Lucullo, Pompejo, Ciceroni, & aliis συγχρόνοις heroibus Romanis instruenda esset; se Lutetiæ, & quidem unico tantum die præmonitum; & trium duntaxat hominum, popinarii, dulciarii, obsonatorii, opera adjutum; nec totis mille ducentis coronatis in eam rem insumptis; eo illos splendore & lautitia excepturum; ut sint ingenue fassuri, se per omnem vitam nusquam cœnavisse melius. In hanc vero ingentem Parisiorum civitatem præter cæteros reges Henricus IV contulit gratiæ studiique, quicquid ad auctoritatem, nitorem, amplitudinem illius poterat pertinere; sæpe cum votis luctans, in tot annos vitæ prolongationem exoptando, quibus & Luparam arcem ædificare, & suburbia Parisiensia

P. Matth. in H. Hen. 4. G. R. l. 5. narr. 6.

muris cingere, atque ita de domo & urbe omnium totius orbis, illa elegantiſſima, iſta maxima, gloriari poſſet. Quapropter illud mundi & omnium divitiarum compendium ullis novis oneribus gravari nequaquam permittere volebat optimus Rex: atque mercatorum præfectum urbiſque decuriones, qui facultatem indicendi pecuniolas in fontium tubulos, ut epulares ſumptus in XL Helvetiorum Legatorum gratiam faciendos ſuſtinerent facilius, petierant, ingenioſe repellebat; *Alia*, inquiens, *inventione opus eſt: ſolius eſt Ieſu Chriſti, aquam in vinum commutare.* P. Matth. in H. mortis Hen. 4. G. R. Verum, ut cœlum inter omnia naturæ corpora pulcherrimum, idemque ſtellarum populis ſplendidiſſimum eſt, & iſtarum virtutes plane ſupernates atque cœleſtes, & Divinis proximæ ſunt: ita quoque Gallia omnium terrarum florentiſſima, atque oppido frequens; & Gallorum virtutes omnino Gallicæ, hoc eſt, heroicæ ſunt. Neque enim effœminat animos regionis amœnitas nimia, aut ad corrumpendum illorum vigorem cœli indulgentia operatur aliquid: imo virtutis eſt cum ſumma rerum copia tale certamen; ut illa in imperio, hæc in obſequio gloriæ ſummam quærat; nec male quis, *Gallum virtutem heroice animatam* dicere poſſit. Et quemadmodum virtus tantum in libero habitat animo: ſic idem libertatis, quod Gallorum eſt domicilium; ſervitute undique pulſa. Ideoque *ſervi peregrini, ut primum Galliæ fines penetraverint, eodem momento liberi fiunt.* Bod de Re. l. 1. c. 3. Id quod vetere SCto Pariſiorum

 decre-

decretum est adversus Legatum quendam Hispanum, qui servum in Galliam deduxerat. Quale & hominum memoria factum: cum mercator peregrinus servum in Hispania coemptum Tolosam secum duxisset; hospesque re intellecta servo persuasisset, ut ad libertatem proclamaret. Rogatione enim ad octoviros perlata, & mercatore accito, advocatus fisci ex Archivis deprompsit antiqua privilegia, quibus servos, simul ac Tolosam ingressi fuissent, liberos fieri constitutum erat. Qua causa mercator, qui quidem exceptiones suas proponebat, metuebat tamen, ne & servo obsequentissimo, & pretio carere cogeretur, ei libertatem dedit, pactus operas serviles, quamdiu ipse dominus viveret. Consimiliter in obsidione Metensi servus fugitivus hero relicto, & abducto magni pretii equo Hispano, in urbem transierat: quem cum Lud. Avila equitatus Cæsarei præfectus, tubicine cum literis ad Franciscum Guisium summæ rei in urbe præfectum misso, reposceret; Guisius quidem equum jam divenditum conquiri, & pretio persoluto redemptum ad Avilam remitti curavit; *Quod ad servum*, respondit, *jam in interiora regni penetrasse: cæterum terræ Franciæ id juris esse, ut quicunque servilis conditionis pedem in ea posuerint, mox libertatem recuperent; quod jus adeo honorificum, & Christianæ genti summopere conveniens, cum violare neque debeat, neque vero velit, ea in parte desiderio ejus satisfacere se non posse.* Hanc autem libertatem Galli cum militari gloria felicissi-

A Ch. 1552.

cissime semper sociaverunt: de qua quid attinet dicere? cum ab omni illi ætate bellicæ laudis fama claruerint ita, ut qui illustrissimi; pugnaverint, ut qui fortissimi; vicerint, ut qui fortunatissimi. Legimus quidem Alexandrum Magnum ex Gallis aliquando quæsivisse, *Quidnam in humanis rebus præ cæteris extimescerent?* ratum, nominis sui magnitudinem ante omnia ipsis formidolosam fore. Illi hoc se inprimis timere respondebant, *Ne forte in se se cœlum rueret.* Legimus & Celtas, sive priscos illos Gallos, ἀνθρώπων φιλοκινδυνοτάτυς, adeo duxisse ignominiosum fugere; ut e collabentibus ædificiis sæpe, cum possent, non effugerint, ne ardentibus quidem, ita ut incendio perierint: multi etiam inundantem Oceanum sustinuerint; quidam in ejus fluctus armati se conjecerint, quorum impetus excipiebant protensis gladiis & hastis, perinde ac si terrere vel vulnerare possent. At hodie Galli, qui veris virtutum nominibus, Thrasonicos titulos & ampullas vitiorum annumerare non solent, hæc talia potius stoliditati, amentiæ, & summæ temeritati tribuerint: justissime tamen invidendis gentis suæ laudibus conjunxerint istud in historia Romana pervulgatum; *Romanos cum cæteris gentibus de gloria, cum Gallis pro salute certavisse*: atque ut *facundia Græcos*, sic *gloria belli Gallos ante Romanos fuisse.* Equidem cum apud Romanos certa ætas faciendis stipendiis præfinita esset, qua exacta missionem impetrare possent: bello tamen Gallico *nemo civis Romanus*

E. Pasq. de Rech. de la Fr. l. 1. c 3. M. Welser. Rer. Boic. l. 1. Fr. Hotom. Franco-G. c. 3.

Strabo: & Suppl. in Curt. l. 2.

Sallust. in Iug.

Sall. in Con. Cat.

Lip. de Mil. R. l. 5. d. [illegible]

Cicero pro Font. *sibi ulla excusatione utendum putabat*; & ne sexagenarii quidem, nec ipsi etiam sacerdotes militia solvebantur. Adeoque Gallia Romanis erat terribilis, ut post mortem Dictatoris Cæsaris in Senatu fuerit propositum; illam, licet in provinciam jam redactam, iterum juri suo & libertati restituendam esse. Quinetiam in Græciam & Asiam virtus Gallorum pervasit, tanta nominis reverentia; ut *non solum Reges, non lacessiti quoque, ultro pacem ingenti pecunia mercarentur; verum etiam sine mercenario Gallorum exercitu nulla bella gererent, & pulsi regno ad nullos alios quam ad Gallos confugerent; sicque aliter majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur.* Galli illi, Galli sunt illi, qui Poetæ verbis ——————— *per omnem*

I. Rosin. Antiq R. l. 8. p. 2. c. 1.

Appian l. 3. bell. civ.

Iustin. l. 24.

Iustin. l. 25.

invecti Europam, quasi grando Aquilone vel Austro
importata, gravi passim sonuêre tumultu.
Scit Romanus adhuc, & quam Tarpeja videtis
Arx attollentem caput illo in monte superbum,
Pannones, Æmathii norunt, scit Delphica rupes.
Intravêre Asiæ fines: prope litora Ponti
in gentem crevêre novam, quæ tenditur usque
ad juga Pamphilûm, Garamantica sidera contra,
inter Cappodoces posita, & Bithynica regna.

Fidem etiam faciunt rerum gestarum magnitudini sparsæ tot ubique terrarum Gallici nominis coloniæ. Namque major & melior Italiæ pars de Cisalpinæ Galliæ nomine appellatur. Et si ambitiosa & fabulosa Romanorum ad res Iliacas origines suas referentium commenta rejiciamus; quis

Th. H. l. 1. I. H. l. flavin. in Roma.

quis dubitat, quin Veneti non ab Henetis Paphlagonibus, ſed a Venetis Armoricanis (quicquid contra Cæſar, quicquid Polybius de Venetis ſermone a Gallis diverſo utentibus ſcribant) originem ducant? Quorſum illa Senonum, Bojorum, Cenomanorum, atque adeo Inſubrum nomina in Italia ſpectant; niſi ut intelligamus, Gallos olim hæc loca tenuiſſe, & ad tradendam poſteris originis ſuæ memoriam de ſuo nomine appellaſſe? Et aſpicite, Auditores, noſtram Germaniam. Nonne *fuit tempus, cum Germanos Galli virtute ſuperarent*, ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent? Nonne fertiliſſima Germaniæ loca circum Herciniam ſilvam *Tectoſages occuparunt; gente ad hoc tempus iis ſedibus ſe continente, ſummamq;* (Cæſare teſte) *juſtitiæ & bellicæ laudis opinionem habente?* Nonne & illi populi ſunt Galli, qui inopia audaces, occupato inter Rhenum Danubiumque dubiæ poſſeſſionis ſolo, decumates agros exercebant olim, poſtea *Alemanni & Alamanni* dicti? Nonne & Boji in Vindelicia, qui hodie Bajoari ſunt, ad Bojos Gallos primordia referunt? Nonne etiam Britanni Gallorum ſunt propago? Nonne Celtiberi, Eburovices, Helvii, Braccati in Hiſpania; atque in Luſitania Celtici; nonne Galatæ ſeu Gallo-Græci in Aſia; ex quibus Trocmi oram Helleſponti, Toliſtobogi Æolida atque Ioniam, Tectoſages mediterranea Aſiæ loca ſortiti ſunt; nonne inſigne ſunt monumentum fortitudinis Gallicæ?

H. l. 1.

Cæſ. de bel. G. l. 6.

Tac. de M. G. Cluver. Ger. A. l. 1. c. 4.

Tac. de M. G.

Cæſ. de bel. G. l. 5. Tac. in Agric. Cambd. de pr. incol. Brit.

Etsi vero tandem etiam a Romanis bello domiti sunt; omnibus tamen aliis bellatoribus oleum & operam perdentibus, vix decennio a florentissimo duce C. Cæsare, & ipsorummet Gallorum factionibus laborantium viribus, in fidem accepti sunt: *Heduis & Sequanis, amicis Pop. Rom. & Arvernis fratribus vocatis*; sub quibus nominibus Gallia libertatem quodammodo retinuit. Inde post aliquot secula Gallis & Francis in unam Gallo-Francorum gentem coeuntibus, circa An. Chr. CDLXXX regnum in Gallia cognomine condiderunt, quod ad hæc usque tempora omnium clarissimum & validissimum toto orbe Christiano fuit: ex quo, præter infinita in Rempub. totius orbis merita, prodierunt a Tancredo Normanno, Siciliæ Reges; a Gulielmo notho itidem Normanno, & Gothofredo Plantageneta Andegavensium Comite, Reges Angliæ; a Lusinianis, Reges Syriæ, Cypri, & Græciæ; ipsa quoque Constantinopoli, Imperii Orientalis capite, a Gallis Imperatoribus longo tempore possessa. In omni antiquitate, etiam in fabulis, nihil cum fortibus istorum Gallo-Francorum facinoribus comparari potest. Quid enim expeditionibus in terram Sanctam legitur simile? Videor mihi, Auditores, videre ipsummet *Godifridum Bullionium*, Ducatu suo ob eam causam Episcopo Leodiensium vendito, Francorum exercitum per Germaniam, Hungariam & Græciam, in Asiam & in Syriam usque, nusquam irrito conatu, nihil insidiis & astu Imp. Constantinopolitani, nihil

Tac. H. L4

Lanov. Dis. 21.

hil ingentibus fluminibus & inaccessis montibus, nihil sitis diræque famis malo, nihil immensis barbarorum agminibus indomitos animos retardantibus, ad insolitum decus ducentem; centies variis cruentisque successibus dimicantem; Sulimanum Turcorum Dynastam, Chalypham Ægyptium, & tot alios fortissimos barbaros fugantem vincentemque; Nicæam, Edessam, Antiochiam, & tot alias potentes urbes, imprimis Hierosolyma capientem. O virum mirificissimum & maximum! Sed quanto se ipso erat admirabilior; cum unanimi procerum consensu Rex Hierosolymorum salutatus, decorum forrasse aliis, sibi vero superbum Regis nomen pio invictoque adversus fastum animo repudiaret; nefas esse reputans, *Ea in urbe auream coronam ferre, in qua Christus spineam tulisset?* Quanto se ipso erat major; cum jam Rex, & in obsidione urbis Assur hærens, regulis vicinis munuscula afferentibus & offerentibus, atque ipsum cultu simplici, omnino gregarii militis habitu, sacco stramine pleno humi insidentem, suos quos pabulatum emiserat expectantem, invenientibus, & propterea non sine stupore quærentibus; *Cur tantus Princeps & tam admirabilis Dominus*, (verba Tyrensis Archiepiscopi sunt) *qui ab Occidente veniens totum concusserat Orientem, & regnum maximum in manu valida occupaverat, ita sederet inglorius, ut neq; tapetia neq; holoserica circa se more haberet regio; nec stipatus satellitibus armatis formidabilem se præberet accedentibus?* responso plane di-

W. Tyr. Archi. de bel. Sac. P. Iov. in elog. G. Bolionii.

H. l. 9. c. 2.

vino

vino duplicaret ſtuporem, & diceret: *Homini mortali ſufficere merito terram pro ſede temporali poſſe, cui poſt mortem perpetuum domicilium ſit præſtitura.* O majeſtatem in humilitatis amore ſummam! O gloriam in pompæ contemptu incomparabilem! O immortalitatem in mortalitatis memoria cœleſtem! Dignus, dignus Godifridus, ille divinus Achilles, ille Chriſti athleta, cui reguli abiturientes, & meliores quam venerant, acclamaverint; *Quia vere hic eſt, qui univerſas regiones debeat expugnare; & cui repoſitum eſt de vitæ merito, populis & nationibus Principari.* Sed de ſingulis Gallorum & Franco-Gallorum aliquid dicere velle, id eſſet incipere, & nunquam deſinere: cum illorum virtus totum complexa mundum, nullam fere terrarum regionem ſine lauru, aut trophæo, aut triumfo prætermiſerit. Proponite vobis, Auditores, ante oculos *Belloveſum*, ac *Sigoveſum*, qui per alpes inexuperabiles viſas, nullaque dum via ſuperatas, & per juncta cœlo juga veluti in alium orbem, in Italiam, & in ſaltus Hercinios tranſierunt; *Brennum*, qui Romam expugnavit; & alterum *Brennum*, qui Europam & Aſiam tremefecit; *Dumnorigem*, *Divitiacum*, *Orgetorigem*, *Diviconem*, *Vercingetorigem*, qui Cæſaris arma & animum ſæpe hebetaverunt: miramini *Carolum Martellum*, qui Chriſtiani orbis tutor Saracenicam tempeſtatem innumerabilium hoſtium occidione diſpulit; *Pipinum*, qui Langobardos Italia ejecit; *Bertrandum Gueſquinatem*, qui Petrum Caſtellæ regem ob tyrannidem omni-

Liv dec. 1. l. 5.

Cæſ. paſſim.

Thu. H. l. 1.

Froſſard. l. 1. Mariana de reb. Hiſ. l. 17.

omnium odio pressum regno spoliavit, & Henricum Spurium, unde postea Isabella Ferdinando Arragonio nupta genus duxit, portione hæreditaria exutum, regem constituit: contemplamini *P. Bayardum*, qui facie ad hostem conversa mori voluit; *Gastonem Foxium*, qui pene prius dux quam miles, triumphator quam imperator, Ravennatium campos insigni victoria, sed fatali suo interitu nobilitavit; *Paulum Thermum*, qui per omnes militiæ gradus, egregia cum laude decursos, summam dignationem apud Regem in re tenui ad mortem usque, certissimo vitæ innocenter actæ argumento, retinuit; *Ossunium*, cujus pugnacitas, ut Thermi prudentia, in proverbium abiit; *Carolum Cossæum Brissacum*, qui omneis populareis suos duces, qui signa in Italiam intulerunt, in expeditionibus feliciter suscipiendis, & in bello partis prudenter conservandis, longe superavit; *Blasium Monlucium*, qui nunquam victus est; *Mathurinum Scutum Romegasium*, Equitem Hierosolymitanum, qui tantum nominis sui terrorem toto Oriente sparsit; ut matres parvulis infantibus etiam hodie pro terriculamento ejus nomen inclament: & *Franciscum Lanovium*; quo in Belgis a Vicecomite Gandavensi capto, ac tum promptis fœderatis Ordinibus, Philippo Egmondano Comite & Ioanne Noircarmio dynasta Sellesio, qui non ita pridem intercepti fuerant, dimissis Lanovii libertatem redimere, abnuebat permutationem accuratissimus virtutum animorumque censor Alexander Par-

Montaig. l. 2. c. 3. P. Iov in elog. Foxii.

Th. H. l. 14.

Th. H. l. 35.

B Monluc. Comm l. 1. & 5.

Th. H. l. 50.

Everard. Reid. Annal. l. 2.

Parmæ Dux, addito, *Nequaquam se leonem duabus ovibus mutare velle.* Atque ex his, & talibus ducibus, de totius Gallo-Francici populi fortitudine judicate, Auditores. In universum enim Galli omnes armis insueverunt; & inter tubarum clangores, perdentium ac pereuntium hostium clamores, telorum & gladiorum fragores, terrificos tormentorum boatus, semper impavidi, semper imperterriti lætitia exultant, & ultro passim militiæ dant nomen; ac gregarii milites ut duces sint, virtute sua merentur. Et tamen ex infinita multitudine fortium Gallorum, qui saltem intra proximos mille annos adversis vulneribus mortem admiserunt, quotusquisque nobis est notus?

Montaig. l. 2. c. 16.

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

neque belli ducum tantum, etiam pugnarum & victoriarum memoria fere sepulta est. Quid autem Galli nostri præstent non solum equitatu, quo omnibus populis præripiunt primatum; adeo ut jam olim in bello Africano equites minus XXX Galli, Maurorum equitum (quæ tamen gens eo militiæ genere maxime pollebat,) duo millia fugarent; nec Parthi, Antonio cum illis bellum gerente, aliter coerceri aut frangi potuerint, quam Gallorum equitatu: verum etiam, quid valeant peditatu; Turci hodie, militari scientia & gloria clarissimi, in Hungaricis expeditionibus serio testati sunt; Sultano ipso à Rege Galliarum per legatum & literas benevolentiæ & officiorum plenissimas enixe postulante,

Hirtius in bel. Afr.

Plutarch. in Anton.

P. Matth. in Hist. H. 4. G. R. l. 6. narr. 4.

te, ut ille Gallos suos e militia Hungara severo edicto domum revocare, & contumaces graviter punire vellet. Non enim gregarios tantum Gallos viderunt Turci in Hungaria, & ipsos viros insuperabiles; sed & ad *Baronis Vaubecourii* Campani, in intercipiendo Javarino, portam crepitaculo (cujusmodi machinarum usus nondum in iis regionibus inter Turcas cognitus erat) effringentis, & *Ducis Mercurii*, Albam Regalem capientis, virtutes prorsus cohorruerunt. Quantum etiam contra nos Germanos hodie possint Galli, intellectum est in obsidione Metensi, cui Imp. Carolus V, Gallorum & aliorum opinione *le plus grand capitaine de la Chrestienté*, ipse præfuit: cum illi arctissime obsessi quosvis hostiles conatus generose eliderent, & creberrimis eruptionibus alacritatem suam probe ostenderent: Cæsar autem satis haberet, instructum exercitum tantum ostentare; quem ubi stupefactum & tristitia mutum in murum apertum insilire nolle animadverterat, ingemuit simul & indignatus est, hæc subinde verba ingeminans; *Nunc me desertum a meis, nullosq; circa me homines video.* Ita tunc invidiosum illud Caroli PLUS ULTRA, monstratoribus Gallis metam invenit Metis, Poeta postea Carolino isti symbolo subscribere auso, Thu.H.l.11.

Si metam nescis; urbs est quæ Meta vocatur.

Atque eidem Imperatori Tiercellinus Gallorum vires argute, & cum aliqua punctiuncula objecit, quærenti, *Quot dierum itinere Pedemontium abesset Lutetia? Si, ait, singulos dies pro singulis* Le Mercure Fr, l. 6.

justis

L. Medices dicere solebat. *Galliam, si suarũ sit gnara virium, totum orbem Christianum in angustias cogere posse.* Le Soldat Fr.

justis pugnis capiat; fore duodecim; dummodo aggressor in prima statim non occubuerit. Nec vero Metis solum, sed & præcipue *Sancerræ*, & quidem contra Gallos, Galli specimen & exemplum dedêre militari ordini urbis fortiter defendendæ. Oppugnabat eam Carolus IX Rex, Protestantium odio, omnibus viribus; propugnabant obsessi animo majori: & quidem fragore tormentorum ex continuata pulsatione, per convalleis & vicinas silvas reboante, attoniti cervi per media castra perrumpebant, & in fossam usque penetrabant. Longe tamen crudelior hostis *fames* erat, quam hostis ipse. Nam penuria omnium rerum invalescente, ad insolentiores mox cibos ventum est; atque coriis bubulis, pellibus agninis, equinis, caninis, aliisque consimilibus victitari cœptum: membranæ etiam & chartæ pragmaticæ, quantumvis putri situ obsitæ, tympanorum quoque ac cribrorum pelles in hunc usum depromptæ: non publicis, non privatis familiarum instrumentis ac documentis, quorum jacturam alio tempore tanti æstimassent, in tali angustia parcitum: tum paludamenta bubulo corio confecta, capistra, antilenæ & postilenæ cum equorum ephippiis, zonæ coriaceæ, ventralia, ansæ flabellorum, amenta clitellarum lagenarumque e nervis bubulis; equorum & boum ungulæ; cervorum, caprearumque & aprorum pedes olim foribus affixi, ossa fimetis effossa, laternarum cornua; & herbæ noxiæ, necessitate suggerente, ad victum adhibebantur: palea ipsa

Thu. H. l. 55.

minu-

minutatim concisa cum acere, juglandium putamina; cærulei lapidis, quem vulgo *ardosiam* vocant, tegulares laminæ commolitæ & tusæ, usum panis præbebant: ex incerniculo sebum, axungia utcunque vetus & rancida, in deliciis erat: oletum quoque per vicos diligenter & certatim collectum: fimus item equorum, omnesque e fimeto sordes ac veteramina, quorum alioqui odore solo nemo non læderetur, in alimoniam subducta. Et ne quod ad extremæ necessitatis exemplum deesset, puella triennis ex fame mortua, & jam elata, de consilio vetulæ refossa, ipsis parentibus cibo fuit; qui tamen, re comperta, magistratus sententia ad ignem damnati sunt. Ita indies ad XXX fere fame perimebantur, mortis mora magis quam ipsa morte cruciati. Vt hæc obsidio Samaritanæ famis in sacris literis memoratæ, Hierosolymitanæ a Flavio Josepho descriptæ, & Numantinæ historiis Romanis celebratæ, quæ vix a multis creditur, fidem adstruat; unaque doceat, *Bellum non esse legitimum modum tollendæ ex Ecclesia scissuræ.* Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio & dolor; isque, si vel in Phalaridis tauro perurarur, exclamabit, *Dulce est, & ad me nihil pertinet.* Quo nomine si ulla natio laudem meretur, uti merentur plurimæ; Gallia tamen habebit primas: quippe quæ omnium est religiosissima, & fortissime pia. Nec in argumentum traho illud Cæsaris; *Gallia est admodum dedita religionibus*: uti nec illum ve- Cæs. de bel. Gall. l. 6.

M teium

terum Gallorum arcesso morem, quo victoriam consecuti Diis captivos immolabant, & resecta hostium capita spectaculi gratia pro portis oppidorum adfigebant; vestigio consuetudinis hodieque permanente in eo, quod Nobiles in Galliis, & alibi quoque, capita ferarum, quas vel ipsi vel majores eorum interfecerint, adfixa foribus ostendere solent. Nihil enim nobis in religione laudatum, quod Christianum non est. Sed in eo Gallorum pietatem & religionem extollimus; quia illi primi, aut inter primos, singulari zelo & devotione Christianam religionem propagaverunt; & propemodum soli ex omnibus populis hæreseon monstra quam maxime a finibus suis removerunt. Qua in re sanctissimi viri operam præstiterunt fidelissimam: cumprimis *Hilarius* Episcopus Pictaviensis, Arrianæ pravitatis domitor, Hieronymo *eloquentiæ Latinæ Rhodanus* dictus; *Sulpitius* coætaneus Hieronymi, *Pontius Paulinus* Episcopus Nolanus, *Rusticus*, *Phœbadius*, *Prosper*, *Ecdicius*, *Avitus*, *Mamertus* Viennensis Archiepiscopus, *Sidonius Apollinaris* Episcopus Arvernorum, *Lupus* Episcopus Trecensis, *Germanus* Autissiodorensis Episcopus, *Eucherius* Archiepiscopus Lugdunensis, *Salvianus* & *Gennadius* Presbyteri Massilienses, *Gregorius* Turonensis Episcopus, *Remigius* Rhemensis Archiepiscopus, *Ivo* Carnutensis Episcopus, *Bernardus* Abbas Clarevallensis, & multi alii. Hinc in religionis controversiis decidendis tunc temporis plerunque judices e Gallis deligebantur: sicuti & Stephanus

Strabo Diodorus. Merula Cosm. p. 2. l. 3. c. 13.

Bignon du R. de Fr. l. 2.

nus III Papa per legatum a Pipino Rege Episcopos doctrina & moribus insignes ex Galliis ad se mitti petiit, quorum authoritate & consilio in reformanda & instauranda Ecclesia uteretur. Neque his finibus stetit pietas Gallorum; sed insuper charitatem reddidit fertilissimam, quæ fructus protulit propemodum supra fidem magnos: quibus Ecclesiasticus ibi ordo ad tantas pervenit divitias, ut Lanovii calculo hodie in reditibus annuis possideat *ducenties centena millia libellarum.* Equidem cum Caroli IX Regis jussu census ageretur bonorum Ecclesiasticorum in Gallia, *quater millies sestertiûm (XII millions, CCC. mille livres)* annui reditus in censum relatum est, extra pecuniam & gratuitas oblationes: & illud parce ac tenuiter; ne ex vero censu invidia aut periculum ordini Pontificio crearetur. Nam Alemanus, rationum publicarum Prætor, Jo. Bodino curiosius omnia conquirenti narrabat, *Duos fere trientes agri Gallici ad sacrum Ordinem possessione vel dominio pertinere.* Verum ut omnem religionis gloriam maximopere auxit literarum studium; ita hoc nusquam ferbuit magis, quam in Gallia. Prisci celebraverunt *Herculem Gallicum*, de cujus lingua quam plures aureæ penderent catenulæ, quibus ille populos auribus revinctos duceret nec invitos, quo quo volebat: iste Hercules nihil fuit aliud, nisi animus Gallorum Musagetes, qui plurimos populos ad spontaneum obsequium flexit, atque ob domitam barbariem sibi benevola obligatione obstrinxit.

Sigon. de reg. Ital. l. 3. ad A.C. 768.

Disc. 20.

Bod. de Rep. l. 5. c. 2.

I. Bochius in inaug. Alb. & Isab.

Et quidem *Maßilia*, Phocensium colonia, (quæ hodieque situ & opere præpotens, in Asia, Africa, & aliis remotissimis regionibus longe lateque negotiatur) fuit olim *magistra studiorum*, bonarumque artium mercatus opulentissimus; eoque neglectis jam Athenis, Romani, Galli, Hispani, omnesque quibus licebat, Philosophiæ Græcæque linguæ gratia se conferebant: ut eam ob rem Cicero audiente populo Romano in Defensione L. Flacci *Civitatis illius disciplinam atque gravitatem non solum Græciæ, sed pene cunctis gentibus anteposuerit.* Quæ nobilissima & beata bonarum literarum doctrix Gallos ita φιλέλληνας reddebat, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν, ut contractus omnes Græco idiomate conficerent, & in omnibus publicis privatisque rationibus Græcis literis uterentur: imo etiam ex ea consuetudine in suum Gallo-Romanum sermonem frequentissimos transferrent Hellenismos. Et quod relatu mirum, verum tamen est; *Lucius Plotius*, Gallus, Romæ primus Latine docere cœpit: ad quem cum fieret concursus, & studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebat Cicero tum puer, sibi idem non licere. Atque iisdem quasi temporibus, & ibidem, *Marc. Antonius Gnipho*, Gallus, ingenii magni, memoriæ singularis, nec minus Græce, quam Latine doctus Orator, præcepta eloquentiæ tradidit: cujus scholam clari quoque viri frequentarunt, & in his Marcus Cicero etiam cum Prætura fungeretur. *Lugdunum* quoque tametsi a natura

Tac. in Agric. Strabo l. 4.

Mer. Cosm. p. 2. l. 3. c. 39.

Suet. de clar. Rhet.

Suet. de ill. Gramm.

tura factum pro commerciis Europæ, atque ita pecuniosum, ut reges Galliæ nonnunquam in necessitatibus ad *sex septem milliones* auri a civibus Lugdunensibus, & mercatoribus ibi degentibus extraneis, mutuarentur: idem tamen oppidum etiam Musis favit; certamine Græcæ Latinæque facundiæ, ad aram D. Augusto sacram, a Caligula quondam illic instituto; *quo ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos; eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.* Quo respexit Juvenalis;

P. Matth. in hist. H. 4. R. G. l. 2. nar. 2.

Suet. in Calig. c. 20.

palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Iuv. Sat. 1.

Valentia item frequentissimo Athenæo valuit: nec *Vienna* fuit illiterata. Ita enim Martialis:

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
inter delicias pulchra Vienna suos.
Me legit omnis ibi senior, juvenisque, puerque,
& coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt:
quam meus Hispano si me Tagus impleat auro;
pascat & Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil ergo sumus, nec blanda munere lingua
decipimur. Credam jam puto, Lause, tibi.

Mart. Epig. lib. 7.

Certe jam tunc Galliarum studia florentissima fuisse, multis aliis posset confirmari testimoniis: nisi S. Hieronymus pro omnibus esset; qui alicubi inquit: *Sola Gallia monstra non habuit, sed*

Hier. adv. Vigilant.

M 3 viris

viris semper fortissimis & eloquentissimis abundavit: & alibi: *Post studia Galliarum, quæ vel florentissima sunt, misit Romam, non parcens sumptibus, & absentiam filii spe sustinens futurorum, ut ubertatem Gallici nitoremq; sermonis gravitas Romana condiret.* Quanquam nec inelegans est Constitutio Imppp. Valentis, Gratiani, & Valentiniani, ad Antonium Præfectum Prætorio Galliarum; quæ dicit; *Frequentissimas civitates in Galliis fuisse, quæ pollerent & eminerent claritudine Præceptorum, Rhetorum, Grammaticorum, Atticæ Romanæq; doctrinæ.* Et ad istam antiquorum tribum referendi sunt *Druides, Eubages, Bardi*; aut potius *Votienus Montanus, Domitius Afer, Gabinianus, M. Aper, Iul. Florus, Iul. Secundus, Nazarius*, & Nazarii filia *Eunomie, Eumenides, P. Terentius Varro Atacinus, Phavorinus, Latinus Pacatus, Rutilius Numatianus, Ausonius* Gratiani & Valentiniani Præceptor, & alii. Quibus tamen neque pauciores, neque indoctiores, habuerunt sequentia secula; Academiis pluribus munificentia Regum extructis: inter quas *Lutetiana* non Galliæ modo, sed totius orbis regina, & omnium *Europæ Academiarum mater*, virtutis & eruditionis officina, ita semper Innocentii III Papæ adfectus possedit, ut ex ea una omnes Christiani orbis Episcopos, & ad alias Ecclesiæ dignitates viros idoneos legerit; honestissimo inde elogio hucusque permanente, *Studium Parisiense esse fundamentum Ecclesiæ.* Quod Sorbona, collegium a *Roberto de Sorbona*, Theologo, D. Ludovico Regi familiari, institutum, dum se machina-

H. in Ep. ad Rust Iuret. ad Sym. l 6. ep 34 & l 9. ep. 83. Th. Sitzman ad Rut n. 109. & seq.

l. 11. de Med. & Profess. C. Th. l. 13.

Bignon du R. de Fr. l. 2.

Lip. in Lov. l. 3. c. 8.

Bignon. du R. de Fr. l 2.

chinationibus Paparum, in Gallicanæ Ecclesiæ & libertatis Christianæ præjudicium multa novantium, opposuit mascule, sæpe fecit liquidissimum. Stetit omnium nobilissimæ Academiæ laus & illustrium Doctorum numero, & multitudine Studiosorum, *viginti* & aliquando *triginta millium*, inconcussa & potens; donec Jovis Capitolini emissarii & præmiatores Iesuitæ non illi tantum, sed & multis aliis Europæ Academiis florem juventutis subtraxerunt. Lutetianæ autem veluti succenturiantur *Tolosana*, *Bituricensis*, *Aurelianensis*, *Andegavensis*, *Pictaviensis*, *Burdigalensis*, *Mompeliensis*, *Nemausensis*, *Rhemensis*, *Nannetensis*, *Cadurcensis*, *Avenionensis*, *Cadomensis*, *Sedanensis*, *Dolana*, aliæ. Ex quibus simul omnibus tanta profluxit eruditorum ubertas, atque in ubertate tanta elegantia; ut cunctarum aliarum nationum laudibus Gallia obscuritatem attulisse videatur. Nostri *Theologi*, præter illos, quos honoris causa antea nominavimus, venerabiles Episcopos & Patres, magnifaciunt *Ioan. Gersonis* insignem παῤῥησίαν, *Petri Lombardi* Magistrales sententias; *Gentiani Herveti* eruditissimam & commendatissimam in Tridentino Concilio pro honestate matrimoniorum habitam orationem; *Fr. Vatabli*, *Ioan. Merceri*, *Fr. Iunii*, & *Gilb. Genebrardi*, in linguis Chaldaica, Hebraica & Syriaca prius inauditam peritiam; *Ioan. Calvini* vehementem facundiam; *Theodori Bezæ* multiplicem scientiam, *Antonii Sadeelis* suavem subtilitatem; *Frontonis Ducæi* candidam, & ab æquivocationibus Iesui-

Le discours sur le restablis. de Iesuites.

Pierre Lombard premiere pierre de l'université de Paris: E. Pas. des Rech. de la Fr. liv. 3. c. 23.

tarum valde alienam integritatem; & ſupra omnes illos hodie ponunt *Ph. Mornæum*, doctorum nobiliſſimum, & nobilium doctiſſimum; quem virum? quem unum, Platonis, Demoſthenis, & Auguſtini, ſimul compoſitorum idea vix exprimat: & quem ego cum Mornæo jure componam, *Iacob. Davium Perronum*, Cardinalem, ingenio, eruditione, dignitate, fama, illuſtriſſimum. Et omnes illi Galli ſunt. *Iuriſconſulti* no-
Thu.H.l.2. ſtri mirantur *Andr. Tiraquelli*, ſingulis annis ſingulos liberos ac libros Reip. dantis, felicitatem;
Fr. Duaren. *Fr. Duareni*, inter *quatuor Franciſcos*, qui eadem
Fr. Conanus. ætate eandem ſcientiam profitebantur, principa-
Fr. Hotom. *Fr. Balduin.* tum; *Æmari Ranconeti*, in omni ſcientiarum ge-
Thu.H.l.23. nere ſimul omnia exacte habentis, quæ ſingula ſingulos poſteritati commendare poſſent, excellentiam; *Mich. Hoſpitalii* in omnibus togæ gradibus virtutem omnem; (qui vir profecto non vul-
Thu H.l.56. tu tantum Ariſtotelis os, quod ex utriuſque imaginum in Gallia paſſim proſtantium comparatione conſtat, ſed Solonis, Lycurgi, Charondæ, ac Platonis denique, ſapientiſſimorum legiſlatorum pectus, mores, doctrinam & judicium, quibus longo rerum maximarum uſu & experientia confirmatam prudentiam junxerat, in omni vitæ ſive privata ſive publica actione referebat) *Caroli*
Thu.H.l.39. *Molinæi*, cujus lucubrationes apud Gallos pro ratis juris deciſionibus habentur, prærogativam;
Th. H.l.46. *Baptiſtæ Menilii*, a cujus ſententia ſeu rogatione nunquam fere Senatus diſſentiebat, animi rectitudinem; *Boni Broæi* judicium acre, & melleam

ac

ac vehementem eloquentiam, qui tanta admiratione atque gratia in Curia Parisiensi sententias dicebat, ut C. Thuanus affirmaverit, hominem unum, quamdiu in Senatu fuerit, vidisse, cui se voce, ore, dicendi facultate, ac toto corporis gestu, similem mallet: suspiciunt & *Gul. Budæum*, Erasmi elogio ob raram eruditionem, *Galliæ portentum*; *Fr. Olivarium*, *P. Fabrum*, *P. Rebuffum*, *B. Chassanæum*, *H. Donellum*, *F. Hottomannum*, *F. Conanum*, *A. Contium*, (cujus scripta per particulas huc illuc sparsa in unum corpus colligi, publicæ rei non mediocriter interest.) *Ant. Fabrum*, *Barn. Brissonium*, *F. Roaldesium*, *Cl. Puteanum*, *Vidum Coquillium*, *Dion. & Iac. Gothofredos*, *An. Robertum*, *I. Corasium*, *P. Bellonum*, *I. Bodinum*, *I. Paponem*, *P. Ærodium*, *P. Costalium*, *P. Gregorium*, *P. Pithæum*, *R. Choppinum*, *I. Lectium*, *L. Servinum*, *Eg. Baronem*, *S. Forcatulum*, *Enimundum Bonefidium*, (de quo Cujacius censebat, si ipse moriens rogetur, ut olim Theophrastus; non alium habere se, quem discipulis suis posset ostendere successorem) & denique ipsum, qui coryphæus esse queat, *Iacobum Cujacium*, seculi nostri Papinianum. Sed & illi Galli sunt. Nostri *Medici*, *I. Fernelium*, *I. Hollerium*, *Aug. Ferrerium*, *Anutium Foesium*, *I. Sylvium*, *Amb. Pareum*, *G. Rondeletium*, *L. Ioubertum*, *F. Rabelesium*, *A. Laurentium*, *I. Gorræum*, *I. Dalechampium*, *I. Quercetanum*, & tot alios novos Hippocrates admirantur. Verum Galli sunt & illi. Ita omnes literati celebrant *Franc. Foxium Candalam* illustrissima fami-

Thu. in vit. sua. lib. 1.

Thu. in vit. sua, lib. 1.

Thu. H. l. 19.

lia natum, *Orontium Fineum*, *I. Penam*, *P. Montaureum*, *P. Ramum*, *M. Nostradamum*, Mathematicos subtilissimos, & præsertim *F. Vietam* profundis meditationibus & inventionum acumine in eo ordine facile principem: quibus merito sociandus *P. Lescotus*, qui cum iisdem disciplinis
Thu.H.l.65. egregie a puero innutritus esset, demum ad architecturam præcipue animum appulit in qua supra omnes hujus ætatis architectos excelluit, ingeniique sui insigne specimen dedit cum aliis ædificiis privatorum, tum maxime *Luparensibus* regia magnificentia a se designatis; quæ utcunque inchoata, nequedum consummata, cuncta palatia Italiæ, quæ summopere hujusmodi structuris luxuriat, stupendi operis magnitudine & elegantia, vel Italorum ipsorum confessione vincunt: concelebrant etiam, & meritissimo, *Iac. Augustum Thuanum*; qui suæ ætatis Historiam summmo judicio & fide, sine odio & gratia, ad Dei gloriam & publicam utilitatem, prudentissime conscripsit; opus & styli elegantia, & gravissimarum rerum copia ac majestate cum quibusvis, sive veterum sive recentium in eo genere scriptis conferendum: *Sammarthanos* item *fratres*, qui Thuanum in toto opere multum opera sua & diligentia adjuverunt; quos publico nomine, atque inprimis *P. Puteanum*, & *N. Rigaltium*, hortamur & rogamus, ut editionem reliquorum necdum publicatorum librorum & lucubrationum, quæ omnia supremo elogio eorum fidei commendaverat Thuanus, pro virili

ma-

maturent, nec longiori mora Reipublicæ literariæ desiderium & exspectationem summam frustrentur: item *P. Ronsardum*, omnium post Augusti excessum Poetam præstantissimum; natum eodem, quo infeliciter a Gallis ad Ticinum pugnatum est, anno, quasi DEUS jacturam nominis Gallici eo prælio factam tanti viri ortu compensare voluerit; &, cui in Gallica poetica secundum faciunt, *I. Bellajum*; & tertium, *R. Bellaquam*; nisi tribus hisce *I. Auratum* addere quartum; & istis quatuor quintum conferre, aut etiam cum aliis præferre voluerimus, illum bellica & poetica laude illustrem *G. Sallustium Bartassium*, qui *Hebdomade* sua, qua mundi creationem descripsit elegantissime, orbis literarii meritus est plausum & admirationem, & simul expressit ipsimet Ronsardo perinsigne veritatis testimonium; quippe publicata *Hebdomade* cum rogaretur Ronsardus, *Ecquid judicaret de libro isto?* dicebat non minus venuste quam ingenue, *Monsieur du Bartas à plus fait en une Sepmaine, que je n' ay fait en toute ma vie*: id est: *Bartassius in unica Hebdomade plus præstitit, quam ego in vita mea tota*: item *H. Turnebum*, & *M. Montanum*, veros raræque eruditionis & probitatis Philosophos, (& illum hujus judicio a mille annis inter omnes doctos literatissimum.) *M. A. Muretum*, *I. Bongarsium*, *G. Gaulminum*, & *I. Passeratium*, undiquaque eruditissimos Philologos; *Isac. Casaubonum*, cunctas doctrinarum opes veluti in sanctiore quodam ingenii ærario reconditas habentem; & il-

Th. H. l. 82.

Th. H. l. 64.

S. Goulart. in not. ad Bart. Baoylo. n. 33.

M. de Mont. l. 3. c. 24.

& illum omnis literaturæ Dictatorem, *Iosephum Scaligerum*, qui ——————— *eruditione*

P. Scriver.

Idumæus, Arabs, Syrusq;, & Indus;
Chaldæus simul, Æthiopsq; civis;
quemq; Achamenii suum vocarent,
Pelasgus simul, & simul Latinus,
& Graius vetus, & quotidianus;
& Thuscus simul, & simul Britannus;
& quod altera secula obstupescant,
Hispanus simul, & simul Batavus;

& idem tamen ortu Gallus est; & reliqui, Galli sunt omnes. Prætereundum vero neque hoc est, quod Galli omnium scientiarum & doctrinarum capace lingua utantur propria, eaque elegantissima, lenissima & suavissima; cum qua, verborum sive venustatem sive copiam spectemus, neque cognata Græca, neque mater Latina, neque sorores Italica atque Hispanica, contendere possint; nedum nostra Germanica ad horrorem usque adspirationibus spissa, quam propterea Galli voce barbara *Barragouin* vocant: adeo, ut si omnes aliæ linguæ intercidérent, ex sola Gallica omnes disciplinæ & artes instaurari & denuo consummari possent. Quapropter Imp. Carolus V, divino ingenio Princeps, uti Gallos, (fertur enim aliquando Philippo filio dixisse, *supremum suum honorem in eo verti, quod ex illustri Regum Galliæ prosapia per aviam Mariam Valesiam descendisset*) sic & Gallicam linguam præter cæteras amavit plurimum; & una adfectum in domesticos ita transmisit, ut in illius aula ea evaserit

Iof. Scalig. de hodiern. Franc. ling.

Freher. de ling. Prisc. Franc. Reg.

H. Bign. du R. de Fr. l. 4.

P. Mer. Cos. p. 2. l. 3. c. 15. & 22.

ſerit familiariſſima ; Inferis Germanis hodieque eundem animum retinentibus, apud quos major fere paſſim Gallicæ , quam vernaculæ domeſticæque linguæ eſt uſus. Et quia in tota Europa non invenitur lingua in tantis finium anguſtiis, quæ tot habeat diſcrepantias dialectorum ; nullaque tam emendata eſt dialectus, cui non adjaceant παραδιαστροφαί : puriſſima tamen Francici idiotiſmi proprietas quaſi habitare videtur in Belſia Blœſis , ac potiſſimum Aureliæ ; ut Gallis omnibus ſit *Aurelianiſmus* , vocibus quibuſdam emotis , qui Græcis quondam Atticiſmus: Aurelianenſibus tamen virginibus præ aliis delitiis iſtas linguæ veneres conſectantibus , eaque re in tantum placentibus ſibi, ut Pindarum exprimere ſe glorientur, quod *Pindariſer* appellant. Verum enimvero & linguam, & doctrinam, & virtutes, & omnia alia miranda, perfecerunt Galli ſumma naturæ ſuæ dexteritate ; illoque in univerſis ſenſibus vigore, apud alios non quærendo, non inveniendo : de quo Julius Scaliger Italus , homo nequaquam vanus, & judicio limatiſſimo : *Illud eſt*, ait, *cumprimis animadvertendum : non eſſe cum animorum mobilitate conjunctam fidei jacturam. Gallos enim video ad omnia momenta vel eventuum vel diſciplinarum promptos , paratos , verſatiles : ut ſemel quicquam vel viſum , vel auditum , illico apud eorum ingenia , & deponat & amittat novitatem. In eo ipſo penitus exemplo videntur nati atque educati. Qui animorum vigor igneus maturaq; celeritas nulli alii nationi data eſt a natura. Quoquo incubuêre*

Iul Scalig. ad Card. exerc. 167 ſect. 1.

buêre

buère, feliciſſime ſe dant, ocyſſime proficiunt: gnaviter exercent mercaturam, artes, arma, literas, eruditionem, ſubtilitatem, candorem, eloquentiam. Omnium tamen gentium atq; nationum fide ſunt maxime integra & conſtanti. Cui honorificentiſſimo teſtimonio, & Pauli Merulæ, doctiſſimi viri, elogium in Gallicæ Nobilitatis & literarum gloriam admodum eſt geminum: *Videre eſt*, ait, *in Gallia ſummo loco natos illuſtribuſq; ortos familiis noctes dieſque inhærere chartis, & nunquam non Muſarum ſacris operari. Novi cum ſtupore, qui de quacunque re in medium prolata expeditiſſime poterant, methodo admiranda, ex tempore & abſque ulla præmeditatione, per horas aliquot diſſerere.* Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, convitia, quæ hinc illinc jaciuntur in Gallos, vel ex livore & malitia, vel ex ſtulta credulitate & ignorantia profecta; adeoque falſum eſſe, quod tradit Servius, *Gallos pigrioris eſſe ingenii*; quod Julius Firmicus, *ſtolidos*; quod Julianus, *ſtupidos & ruſticitatem amantes*; quod Polybius, *doctrinæ & artibus operam non dare*; quod idem cum Diodoro, Athenæo, & Clemente Alexandrino, *infidos eſſe, crapulæque & ebrietati deditos*; quod Livius Polybiuſque, *molles eſſe & effœminatos*; quod Mela, *auri avidos, ſuperbos, ſuperſtitioſos*; quod Solinus, *vaniloquos*; quod Plutarchus, *pecuniæ inſatiabiles*; quod denique Cicero, *Gallos minime ulla Religione moveri.*

P.Mer.Coſ. p.2.l.3.c.18.

P.Mer.Coſ. p.2.l.2.c.11.

Cæterum qui cunctas illas, quas audivimus hactenus, Galliarum pulchritudines, nobilita-

litates, atque eminentias, in ministerio ac pedisequis habet; est REGUM sanctissimus ordo: quorum tantus honor, gloria, & majestas, rerumque gestarum tanta est copia, ut neque possit quisquam, *ne si mentiri quidem velit, majora confingere*; neque vera consectans, omnia tam brevi temporis spatio persequi: sed aut ab ipso multa, aut ipsum a tempore deseri necesse sit. Quæ enim illa sunt encomia, quæ præconia, quæ laudes? *Quanto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni vestri culmen excellit:* ait D. Gregorius ad Childebertum Regem. *Reges Gallorum opposuerunt se tanquam murus inexpugnabilis pro populo Christiano*; ait Honorius III. *Regnum Galliæ est quasi pharetra, quam Christus sibi circa femur accinxit, ex qua sagittas electas extrahens, ipsas, ut sibi gentes & regna subjiciat, in arcu brachii potentis emittit*; ait Gregorius IX. *Rex Galliæ est Christianissimus inter omnes Christianos*; ait idem. *Rex Galliæ est Princeps inclyta devotione præclarus, Princeps Christianissimus præcellentium meritorum, athleta Christi strenuus, & sollicitus fidei Christianæ defensor*; ait Vrbanus IV. *Rex Galliæ est tanquam stella matutina in medio nebulæ meridionalis, est corporalis quidam DEVS in regno suo, est super omnes Reges, ejusq; umbra totus mundus regitur*; ait Baldus. Imo *orans pro Rege Gall. habet centum dies indulgentiarum concessarum a Clemente, & decem ab Innocentio IV*; ait S. Thomas. Sed qui potest esse primus magnitudinis Regum Galliæ gradus, Re-

Belluga. IC. Hispanus, & Oldradus suæ ætatis decus negant, quemquam in orbe terrarum Principem Rege Francorum superiorem esse. Bod. de Rep l 1, c 9.
B. Chass. in Cat. gl M. p. 5. conf. 10. & seq. Iac. Gothofr de Præcedentia.

Regnum illud ex lege Salica inter colos non distrahitur:

Gallorum Imperii successor masculus esto.

Atque huc natura ducit, & ratio: quandoquidem in viro animus, corpus, vox, visus, & omnia sunt robustiora, atque reverentiam creant; in fœmina vero mollia & levia omnia, flectentia magis ad amorem: in illo auctoritas, & majestas; in ista timor, & contemptus: in illo prudentia & constantia; in ista argutiæ, & in decretis sensibusque Euripus. Et quæ sit injustitia; viros, quibus divino jure traditum est imperium, sequiori sexui parere? Quæ sit iniquitas; fœminis jus potestatis & imperium denegari in familia privata;

A. Fab. in Iurisf. Pap. t. 8. pr. 8.

Mart. Epig. l. 8.

(*Inferior matrona suo sit, Prisce, marito;*
non aliter fuerint fœmina virq; pares.)

& tamen in magna Reip. familia illis omnem & summam potestatem conferri? Quemadmodum igitur *semper sexus masculinus etiam fœmininum continet*; *sed exemplo pessimum est, fœminino vocabulo etiam masculos contineri*: ita in imperiis & regnis bene constitutis semper viris fœminæ subesse, nunquam præesse, atque *ab omnibus officiis civilibus vel publicis removeri debent*: ut propterea Hispani Britannique γυναικοκρατούμενοι, ac deterioris conditionis existimari possint. Ac licet sint muliebris imperii boni & felicis aliquot exempla; & historiæ commendent *Zenobiam* Palmyrenorum reginam, *Pulcheriam* Theodosii junioris sororem, *Isabellam* Castellanam Ferdinandi

l. 62. ff. de legat. 3. l. 45. ff. de leg. 2. l. 81. ff de leg. 3. Gœd. ad l. 1. ff. de V. S. l. 2. ff. de R. Iur.

di Aragonii uxorem; nec ita pridem *Elisabetha Angla* virtute sua omnibus bonis Principibus præluxerit; fœmina, præter multas corporis dotes, supra sexum prudens, multisque literis expolita, Græce & Hispanice mediocriter, Latine vero, Gallice, & Italice ad miraculum docta; quæ uno & eodem die tribus maximorum Regum Legatis, Latine uni, alteri Gallice, tertio Italice respondere audita est; de qua, ut & de Henrico Navarro (qui postea interfecto Henrico III, rerum gestarum magnitudine HENRICI MAGNI nomen meruit) persæpe dicere solebat Sixtus V Papa; *Toto orbe se unum virum & fœminam videre dignos, nisi labe sectaria infecti essent, qui regnarent, & quibuscum ipse de ingentibus rebus consilia, quæ animo agitabat, communicaret*, Navarrum & Elisabetham Anglorum reginam intelligens: attamen *Athaliæ* & *Laodices*, toties parricidarum, & toties culeos meritarum; *Cleopatræ* Ægyptiacæ, *Messalinæ* & *Faustinæ* Imperatricum, *Fredegundis* Gallicæ, *Ioannarum* Neapolitanarum; quæ omnes omnium flagitiorum sordidæ fuerunt cloacæ; & tot aliarum sævissimarum tigridum, atque impurissimarum luparum, infelix memoria, nigrum theta fœmininis sceptris præfixit. Eumolpus, aut potius Porphyrius poeta, sub Constantino in exilium missus, sic muliebrem levitatem indicat:

C. Ens in Th. Belg. to. 4. l. 8.

Thu. H. l. 12.

Per. Arbit. in fragm.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
namque est fœminea tutior unda fide.
Fœmina nulla bona est: & si bona contigit ulla,

N *nescio*

nescio quo fato res mala facta bona est.

Deinde, quod aliud & eminens privilegium est; *Reges Galliæ non moriuntur.* Quæ causa erat, cur Reginæ Mariæ proxime inopina mariti morte consternatæ, & exclamanti, *Helas! le Roy est mort*; Cancellarius actutum responderit; *Vostre Majesté m' excusera; Les Rois ne meurent point en France.* Non moriuntur autem: quia nascuntur, non eliguntur. Et sicuti in omni successione, Gallorum loquendi formula, *le mort saisit le vif*: ita in regno, ubi

Bod. de R. l. 1. c. 8. Papon. Arrest. l. 4. t. 2. c. 4. Mer. Fr. l. 6.

uno avulso non deficit alter,

agnatus proximus, si vel millesimo distet gradu, jure sanguinis protinus succedit. Quod non solum utrinque inter Principem & subditos charitatem fovet & auget: sed etiam interregni tempestates omnes prævenit, & perpetuam tranquillitatem æternitate regiæ domus firmat. In electione contra, quæ turbæ? Quæ mala? Quæ adfectuum & respectuum certamina? Quis alienam rem curat, ut suam? Quis electus solutius & minore cura non administrat? Vt quid enim rei nec diu suæ, nec postea suorum, nimis acriter intendat? Quæ sæpe intervenit sententiarum nundinatio? Romanum imperium statim a Claudio, qui primus a militibus electus est, & fidem eorum præmio pignoravit, in vilissima capita & pessima hac venit electione; an palam emptione? Nam & hoc scimus, velut sub hasta venale pependisse; & non aliud magis clarum certumque exitium rei tum Romanæ fuisse.

Bald. in c. 1. de feud. March. n. 5. Bignon. du R. de Fr. l. 3.

Lips. in M. Pol. l. 2. c. 3.

fuisse. Interdum etiam qui Senatui placuerat, legionibus displicebat: ac sæpissime tot Imperatores, quot in provincias exercitus dispersi fuerant, creabantur; ut uno tempore triginta facti sint, cum Zenobia Imperatrice. In Germania nostra quot electio dedit interregna? Quot annos illa post mortem Imp. Friderici II inter tot capita fuit sine capite? Quis licentiæ, confusionis, fraudum & deprædationum fuit modus? Et quæ bella, pluribus per factiones electis, multoties sunt exorta? Et quæ fuerunt prensationes Caroli IV Cæsaris? Vendidisset utique is, uti & Wenceslaus, Imperium; modo emptores habuissent. Equidem certe ita deplumaverunt uterque Aquilam, ut hæc cæteris animantibus sit contemptui; & Imp. Maximilianus I dixerit; *Carolum illum fuisse dissipatorem Imperii, alterum Crassum, vitricum Imperii; & pestilentiorem pestem Germanis nunquam contigisse.* Quo alludebat Imp. Sigismundi in postremis comitiis, quæ septuagenario proximus Ratisponæ celebraverat, senili libertate habita oratio, cum laudata Romanorum veterum censura confirmaret Ordinibus; *Valde se scire, nihil Imperio esse spoliatius, nihil egentius, adeo, ut qui sibi ex Germanis Principibus successurus esset, qui præter patrimonium nihil aliud habuerit, apud eum non imperium, sed potius servitium sit futurum.* Atque hoc ipsum in Constantiensibus comitiis, in frequenti procerum consessu, cum gravissima querela repetebat Imp. Maximilianus I, rationibus in medium adductis

Bod. de R. l. 6. c. 5.

W. de Eren. de on sub. c. 5. n. 42. 43. Spigel. ad Ligurin. l. 5.

I. Dubrav. H. Bojem. l. 27.

A. Ch. 1507.

Ger. de Roo l. 9. Annal. Aust.

testatus, *Hactenus se pro S. R. Imperii salute ad centum auri tonnas ex patrimonialibus reditibus erogâsse, cum toto eo tempore tamen ab Imperii ordinibus vix quadraginta florenorum millia in accepti tabulas retulerit.* Et quoniam in hunc patriæ scopulum me impegit æstus orationis; non possum non animitus ingemiscere, & status Imperii nostri, hac quidem in re, sonticum morbum miserari. Nam cum olim sub Imp. Friderico I, tametsi viribus Imperii jam tunc non parum attenuatis & imminutis, annui reditus fuerint

Schn. Inst. de Suc ab intest. sub. rub. de suc. Fisci. n. 5.

sexaginta tonnæ auri, sive *sexagies centena aureorum millia*: hodie ea est Imperatoris, eorum quos ex Imperio percipit, redituum exilitas: ut eximii ICti Schneidevvini judicio *disponendis & alendis postis vix sufficiat*, nedum ut ille inde se & familiam commode sustentare; imo nisi ex hæ-

Pflug. de Rep. G.

reditariis provinciis multa centena aureorum millia impendat annua, Imperialem & in tanto fastigio necessariam pompam minime tueri possit; Granvellano etiam apud Landgravium in Colloquio Spirensi intrepide asserente;

Leid Com. §. 17.

ex Imperio ne tantillum quidem emolumenti habere Cæsarem. Qua tenuitate in orbe Christiano regum novimus neminem. Atqui illos Comitiales imperiorum morbos non patitur Gallia, successione Regum secura. Atque ut incolumitas ejus tanto esset durabilior & constantior; Regibus data est summa & liberrima potestas, nemini

Chassan. in cat. gl. M. p. 5. C. 30.

hominum devincta. Et si aperte atque ingenue loqui volumus, Rex Galliæ majori multo prædi-

tus

tus est potestate, quam Imperator noster. Opera enim & literis abutuntur, qui cum Bartolo *Hæreticos esse pronunciant, quicunque Imperatorem Germanicum universi terrarum orbis dominum esse negant*; & qui scribunt, regnum Galliæ Imperatori subjectionis vinculo jure ipso obligatum esse: quia scilicet Imperator Antoninus responderit Eudæmoni Nicomediensi; (a) ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης: *Ego quidem mundi dominus, lex autem maris*: quia Evangelista dixerit; *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* & Nicolaus de Vbaldis captiose; qui *regnum Galliæ de facto liberum esse*; hoc est, uti Bartolus id ipsum explicat, per injuriam Imperatori non subesse; contendit. Aliter disputant Galliarum Reges cum Imperatoribus nostris: aliter illi sceptrorum jura æstimant ac tutantur. Neque enim sumus immemores; cum Ferdinandi Cæsaris nomine L. Madrutius a Francisco II Rege Blœsis restitutionem Tulli, Viroduni, & Divioduri Mediomatricum, quas civitates Henricus II Rex ab Imperio Germanorum avulserat, urgeret, quid fuerit responsum: cum deliberatione super ea re instituta, Franciscus Olivarius Cancellarius generose, antequam alii sententiam dicerent, occuparet, & dignum capitali pronunciaret supplicio, qui Regi tam fœdi consilii auctor esset. Quin imo majestatem Imperii Romani ne comiter quidem observant; ut Lutetiæ Romana jura doceri aliquando vetuerint, & speciatim Blœsensi edicto caverint; *ne*

(a) l. ἀξίωσις 9. ff de L. Rhod. de ja. Bod. de Re. l. 1 c. 9. A. Tess in præfat. ad Decis. Ped. n. 14. Vide H. Kirchn. in Leg. l. 1. c. 8. S. Forcat. in Cup. Iurisp. c. 9. A. Knich. in Ep. Hyp. Dauth. n. 24. &c. Covar. in Rel. c. Peccatum §. 9. n. 5. F. Vas. in præf. ill. Cont. & p. 1. l. 1. c. 20. & seq. C. Besold. de App. c. 2. § 7.

Th. H. l. 59.

R. Chopin. in præf. ad ll. Parif. M. *quis publice profiteretur Romanas leges in Academia Parisiensi, neve quem ad Scholasticos ejus disciplinæ gradus auderet provehere.* Hinc Hospitalius Caroli IX Cancellarius, Rege ipso & regni ordinibus præsentibus, in senatu Rotomagensi demon- A. Ch. 1563. straturus, Regem XIV tum annum ætatis vix ingressum, tamen majorem, & regni per se administrandi capacem censendum esse; nec ut in minorum restitutione a momento ad momen- Thu. H. l. 35. tum tempus computari, verum ut in publicis muneribus & honoribus annum inceptum pro completo haberi; in eam rem vulgarem juris Romani regulam, *cum præfatione & petita venia* ex Pandectis adduxit. Etsi, pro mea sententia, Romanarum legum neque publica in Scholis professio, neque etiam quotidiana in vita com- C. Besold. de Appel. c. 2. §. 7. muni foroque observatio, extra Imperii ditiones tessera subjectionis esse possit: cum illarum non authoritas & sanctio, sed ratio tantum & æquitas foris spectentur. Quare nec prisci Ro- l. 2. §. 4. ff. de Orig. jur. mani, dum civitatem suam legibus Græcorum fundabant, ideo sub Græcorum imperium con- Leuncl. in præf. ad antiq. pa. 22. & ad Hist. Mulul. cesserunt; nec hodie Turcæ si Codici Justinianeo, quem & in lingua sua barbara habent, eorum Laconismus & in foro procedendi simplex modus, vereque strepitus omnis expers, atque cum singulari subitæ executionis rigore conjunctus, permitteret in judiciis locum, ob hanc caussam quicquam vel Romano Imperio adderent potestatis, vel sibi demerent libertatis. Porro legibus soluta potestas Regum Galliæ cum in bel-

li indicendi, pacis firmandæ, legum sanciendarum, creandorumque magistratuum jure, & in aliis rebus; tum in indictione tributorum & exactionibus cognoscitur maxime: cum non ordinum supplicare conventibus cogantur, ut alibi fieri solet; sed secundum Reip. necessitates ipsi arbitratu suo subditis præstationes injungant. Regnum namque Galliæ est pratum florentissimum, in quo pascuntur infiniti ovium greges aureis velleribus, quæ tonderi possunt, quoties pastori libuerit. Illam tamen suam libertatem potentissimam, & potentiam liberrimam, Franciæ Reges omnium virtutum excubiis ita circumsepiunt; ut nemo de injustitia conqueri possit. Cui rei plures curiæ explicandis gravaminibus & litibus judicandis constitutæ; sine provocatione vero & summæ sunt, *Tolosana*, *Gratianopolitana*, *Burdigalensis*, *Aquensis*, *Divionensis*, *Rotomagensis*, *Rhedonensis*; & quæ antiquitate & dignitate cæteris excellit *Parisiensis*, ac singulari quodam jure *Curia Parium & Parlamentum* sine loci adjectione appellatur: in cujus acta referuntur omnia ad Rempub. pertinentia; edictis quoque regiis nihil valituris, nisi in supremo illo Senatorum consessu fuerint promulgata: adeo, ut etiam Reges bellum suscepturi Curiam autorem fieri velint. Atque ut Gallia est Europæ lumen, Lutetia Galliæ oculus; ita Parlamentum hoc est Lutetiæ pupilla; consessus Senatorum totius mundi amplissimus & augustissimus, Principum arbiter, innocentiæ custos, æqui & iniqui judex:

G. de Maynard. Qu. l. 4. c. 58. sic scribit: *excepté la provin. de Languedoc en laquelle le Roy ne peut commãder tailles & subsides, quels qu'ils fussent, sans l'expres consentement de trois Estats du dit pays de Languedoc: la plus part des autres pays est servilement traictée, & sans autre mystere que d'une simple jussion taillée, chargée contrainte, comme l'on void.*

Bod. de R. l. 3. c. 1. & c. 6.

P. Matth. in hist. H. 4. G. R. l. 3. nar. 1.

 dex:

dex: quod tanquam illustrissimam majestatis regum Galliæ effigiem cum admiratione viderunt Sigismundus, & Carolus V, Imperatores; atque Reges Portugalliæ, Neapolis, Siciliæ, Scotiæ, Navarræ. Nullum vero justissimi Consistorii majus argumentum est, quam quod Reges & Principes exteri ab extremis Germaniæ, Italiæ, & Hispaniæ oris ad illud, velut ad divæ Themidis templum magno concursu non raro confluxerunt. Imp. Fridericus II controversias, quæ illi cum Innocentio IV Papa intercedebant de regno Neapoleos, ad hunc senatum detulit. ita Comes Namurcensis ibidem causam egit adversus Carolum Valesium, pro Comitatu Namurcensi; non veritus gratiam tanti Principis, quem judicio superavit. ibi consimiliter Philippus Tarenti Princeps Burgundiæ Ducem vicit, cum ageretur de sumptibus factis pro imperio Græcorum recuperando. ibi etiam pari voluntate Dux Lotharingus, & Vidus Castillionæus ejus sororius, familiæ herciscundæ judicium acceperunt. ibi Delfinus & Comes Sabaudiæ, cum de Marchionatu Saluciarum inter se contenderent, & sua se voluntate eo contulissent, Comes judicio victus, ac rursus alio judicio fractus, omnem causam restituere damnatus est. ibi quoque Cameracenses liberi populi in jus vocati, ut rebus a Senatu judicatis acquiescerent, se judicio stiterunt. ibi denique (infinitum enim sit omnia exempla exequi) Regum Castellæ & Lusitaniæ fœdera, cum ea non prius vim habitura judica-

Est Pasqui. des Recher. de la Fr. l. 2. c. 2. Bod. in M. H. c. 6.

dicarent, ab amplissimo ordine sancita, & patentibus portis promulgata sunt. Et quod authoritatem ordinis Parlamentarii ab omni macula immunem conservat; nemo unus in purpuratorum ordinem cooptatur, nisi virtute & eruditione illustris per legitimum examen (quod summa doctrina vir Jac. Aug. Thuanus, pallens tremensque subierat) ad dignitatem illam conscenderit; ordinis ipsius privilegio hoc requirente: ut nec Henrici II Regis quidem habita fuerit ratio; qui, cum quendam, a summate fœmina Parlamentariis proceribus commendatum, in examine rejectum fuisse audivisset, dixerat; *que parmy tant de chevaux d' Espagne un asne pouuoit bien passer: inter tot equos Hispanicos etiam asino locum dari potuisse.* Iisdemque integritatis propugnaculis circummuniuntur magistratus etiam alii. Et quidem Parisiis ad mercatorum Præfecturam nemini, qui vel minimis vitiis, imo sinistra tantum opinione urgetur, patet aditus. Vnde puero, forte inciviliori sibilo publice lascivienti, illico commune istud objicitur dicterium; *Tu ne seras point Prevost des marchands: Tu Præfecturam mercatorum non geres.* At vero in conferendis magistratibus & officiis, Regis Ludovici XII prudentia erat summe admirabilis: qui catalogum sive codicem semper habebat secum, in quem nomina virorum, meritis præstantium, & a se cognitorum referret. Cumq; scribam aliquando, eleganti oratione Aureliis ad se habita pulcherrime stantem, illi honoratorum codici inscribi cu-

Bl. Monluc. Comm. l. 7.

Fr. Des-Rues en la description de la Fran.

Monlu. d. l.

ravisset; post aliquod tempus istius Oratoris recordatus, ei Officium *de Iuge Mage*, quod Agini in Nitiobrigibus non est ignobile, ac tum ob mortem curatoris erat vacuum, nihil tale cogitanti, misso diplomate, gratiose concessit. Exemplum omnibus Principibus ad imitandum proponendum: & ob quod vel unicum *Iusti* cognomentum Ludovico dandum fuisset; cujus tam sancta & venerabilis etiam nunc inter Gallos viget memoria, ut quoties in consistorio Principis, in regni curiis & comitiis, de optimo regimine & rebus in meliorem statum reducendis agitur, toties Ludovici XII honorifica mentio habeatur. Quid? quod Galliæ Reges, ut omnem suspicionem iniquitatis a se depellerent, æque ac privati legibus & judiciis patriis acquiescere solent. Et quidem *Ludovicus Sanctus* præter alia multa sanctissima præcepta, etiam hoc filio dedit; ut in causis dubiis ipsum & subditum concernentibus, & in quibus veritatis dispectio sit lubrica & incerta, semper contra se pronunciaret. Sæpe quoque Reges ipsimet judicia exercebant; & Carolus VIII omnibus septimanis binos dies, ut olim *Ludovicus Pius* ternos, destinabat juri in publico reddundo: idque aditu tam libero, ut nemo vel e fece plebis regio conspectu & affatu arceretur. Ita enim justi sunt Galliarum Reges: ut etiam sint humanissimi & familiarissimi, visu faciles, dictuque affabiles. Namque ut sol, quamprimum mane nobis oritur, omnes gratioso suo lumine irradiat, nec magis Crœsum quam

Thu. H.l.1.

Bignon, du R. de Fr.l.1.

I. de Serres in Car. VIII.& Lip. in Mon.Pol. l.1. c.9.

quam Irum, Aquilium quam Corydonem intuetur: ſic illi omnes ſuos pari humanitate & gratia complectuntur. Rex Chinenſis nunquam pedem effert e regia, & pluſquam Aſſyriorum Principum ſolitudine incluſus otioſam majeſtatem ineptiſſima gravitate damnat, ubique per internuncios imperans: at Galliarum Reges in amore civium venerationem ſui & imperii ſempiternum robur quærentes, omnibus amici, omnibus patres publici ſunt; ſermone benigni; vultu, qui maxime populos demeretur, amabiles; æquis deſideriis propenſi; nec etiam iniquis acerbi, acerbi autem? imo clementes ſunt. Quid enim ſtatuit Ludovicus XII in hoſtes ſuos? Is adhuc Dux Aurelianenſis in diſgratia erat Caroli VIII regis; pleriſque procerum & vulgi auram præſentis fortunæ captantibus, & illum averſantibus: ſed Carolo ſubito extincto, & Ludovico ad regnum evecto, cum Aulicus quidam magna fiducia a novo Rege civis cujuſdam Aurelianenſis, qui triſti tempore inter acerrimos Ludovici erat inimicos, bona peteret; Rex animo plane regio effatur: *Tu vero aliud a me pete, & meritis tuis gratia erit. de iſto omitte. nam Rex Galliæ non exſequitur injurias Ducis Aurelianenſis.* Quid Henricus IV in Pariſienſes, furialibus Sacri fœderis incantamentis in tranſverſum a fidei & obſequii ſemita abreptos, decrevit? Vrbem is nec opinantem, tot armatorum millibus ſtipatus, compoſito & modeſto ingreſſus agmine, ſine ullo terrore, ſine ulla direptione, ſine ulla

Alex. Valignan. in admirand. regni Sinenſ.

Lipſ. in M. Pol. l. 2. c. 12.

Caſaubon. præf. in Polybium.

noxa

noxa sibi asseruit; libertatem illi reddidit; hostem externum, cujus præsidio captiva tenebatur, sine tumultu, sine cæde, sine sanguine, partim novitate exempli, cui simile nihil ætas ulla unquam viderat, attonitum & stupentem, partim *Benearnensis* nominis terrore perculsum, & Borbonicæ virtutis fulmine afflatum, exire præcipitem & longe terrarum facessere coegit: urbs ipsa, cujus ruinam omnes timuerant, sola lætitiæ significatione fuit commota; capta fuit, se captam esse non credidit; victorem vidit & obstupuit, victam se esse non sensit. Vt enim vilis calculus decoctus in smaragdum mutatur: ita regius miles, etsi longa patientia irritatus, egenus, victor & triumfator, clementissimi tamen regis moribus temperatus, & ejus exemplo formatus, prohibitione cohibitus, Catone abstinentior, Xenocrate evasit continentior & castior. Hæc, hæc sunt neutiquam communia regiarum & imperatoriarum artium specimina; hæc, hæc sunt luculenta omnino boni imperii insignia: quibus qui gaudet, illum non adulatione vana adducti *Patrem patriæ* appellamus. Cætera enim cognomina honori magis damus: *Magnos*, & *Felices*, & *Augustos* dicimus, & ambitiosæ majestati quicquid possumus titulorum congerimus; sed *Patrem patriæ* vocamus, qui utitur potestate patria; quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens. cum tarde sibi pater membra sua abscindat; etiam cum absciderit, reponere cupiat; & in abscindendo gemat, cunctatus mul-

Seneca l. 1. de Clem. c. 14.

tum

tum diuque. Quare paternus ille Regum in cives suos amor tantum potest, ut ipsorum corda & intimos adfectus plerunque possideant in solidum, atque unico sæpe verbulo benigno, & intuitu blandulo, veluti potentissimo quodam fascino eorundem voluntates, arcas, & scrinia expugnent. Et ut in proximæ memoriæ exemplis permaneamus, fervor & exundans & undique protuberans amoris, observantiæ, & venerationis civium adfectus, nonne in teterrimo & funestissimo Henrici IV patricidio satis apparuit? Nonne omnes γνήσιοι Galli in luctum ἀπαρηγόρητον conjecti? Nonne ceu tonitru cujusdam fragore subito & vehemente edito alii repente conciderunt, alii statim expirarunt, vel in morbos inciderunt, quibus mox sunt extincti? Nonne simul ac de Rege palam factum est, omnis ætas, sexus, conditio, dignitas, parenti communi, & pio quodam in Stygium parricidam furore parentavit? Quilibet ingenium exercebat in excogitandis novis carnificinæ & torturæ instrumentis; nemo non *Ravallaci* & corpus & animam Diabolo adjudicabat; *multis indignantibus, monstro illi hominum remissionem peccatorum a sacrifico annunciari.* Verum quis civici amoris potentiam, & regii favoris magnitudinem, & omnium prærogativarum excellentiam satis ponderare possit? Et si omnia in æquitatis statera collocentur, quæ pro Gallia & Gallis dixi, quanquam pro magnitudine & multitudine rerum breviter & nimis tenuiter dixi, quis Galliam Germaniæ, nedum cæto-

Casaubon. præf in Opusc Io. Scalig. P.Matth. de morte H. IV.

cæteris Europæis provinciis præferre nolit? Quis Christianissimo Regi, & natu maximo Ecclesiæ filio, non concedat lubens meritoque primum locum? Ac licet *Imperator* veteri consuetudine *inter omnes Principes sit primus*, & quoslibet reges antecedat: tamen Regi Franciæ hoc privilegium stetit inviolabile a longo seculorum ductu, ut præ omnibus aliis regibus honoratior semper fuerit habitus. Et quemadmodum simplici *Poetæ* nomine per excellentiam intelligimus Homerum aut Virgilium, *Episcopi* nudo vocabulo denotamus Pontificem Romanum: sic sola *Regis* appellatione venit Galliarum Rex. Quodque negligendum non est; in ipsa Gallia, Galliarum Regi exteri Reges & hospites erant secundi. Etenim Carolus VI Gallus, & Henricus Anglus, Reges, cum una Lutetiam inter festas populi Parisiensis congratulationes cum comitatu ornatissimo ingrederentur, Gallus equitabat a dextris, primusque reliquias Sanctorum osculabatur. Solus Hispaniarum Rex a quadraginta aut quinquaginta annis potentiæ & fortunæ suæ fiducia Christianissimo regi controversiam de honorificentiori loco movere, & apud Pontificem importunis efflagitationibus secundum se pronunciari petere ausus est: legatis illius apud omnes Principes & Respublicas idipsum sollicite ambientibus; ut Mendoza quoque in Concilio Tridentino, cum supremum inter regios legatos locum obtinere non posset, declaraverit, *Se nolle quidem anteire*, [illegible] *tamen*

Thu H.l.77.

Bod. de Rep. l. 1. c. 9.

B. de Vitalin. in Clement. præf. Molin. in Consf. de Con. Trid. B. Choveron. de pub. concub. Bignon. du R. de Fr. lib. 4.

A. Ch. 1420.

E. Monstrelet, in C. 6.

Bod de Re l. 1. c. 9.

Th. H. l. 36. & 56. P. Mat. in hist. H. 4. l. 1. narr. 2. G.B. Adrian. H. l. 17. & 18. Gold. in Seniore, l. 1. c. 17. I. Gothofr de Præcedentia.

tamen cogi non posse, ut Francorum legatos sequeretur. Sed conservata fuit antiqua possessio Christianissimo Regi apud Pontificem, Anglos, Polonos, Venetos, & alios; & postremo Vervini in ipsa Gallia, in ultima inter utrumque Regem pacificatione; frustra disceptantibus, frementibus, & ringentibus Hispanis, atque in illis immoderatæ ambitionis & fastus stimulis ingratitudinem suam prodentibus, qua Gallorum vetera & nova beneficia, toties illorum virtute sub Carolo Martello, Carolo Magno, Ludovico Pio, Roberto, Philippo I, Carolo V, Carolo VI, & aliis, crudelissimis Saracenorum persecutionibus & aliis extremis periculis erepti; *toties divino Regum Galliæ attactu a strumarum* (a) *fœditate* liberati; improba alienæ existimationis imminutione turpiter compensare voluerunt. Cogitarent saltem Hispani, Reges Galliæ non sine causa dici *Christianissimos*; semper eos fuisse primos ut dignitate & honore, sic meritis & virtutum gloria. Vtinam vero, sicuti Homeri Ilias, in membrana scriptum carmen, in nuce inclusum ab artifice manu olim fuit: aut sicuti Myrmecides nostrates opera bellula, at visum prope fugientia subinde fabricant; suntque, qui cerasi nucleum in modum quasilli exsculpunt, quasillo ipso quindecim paria tesserarum, suis punctis affabre distinctarum, continente: aut sicuti Chymici magistri minima sæpe δόσει vasta corpora perluunt expurgantque, Galenicis poculis ad tantas effectiones invalidis: Vtinam, inquam, sic & ego que-

(a) R. Chopp. in Panegyr. Henr IV G. R. & de Doman. G. l. 2. t. 2. Forcat. de G. Imp. & Ph. l. 1. P. Bizar. l. 17. H. Gen. Le Capitaine, qui conduisoit les Espagnols, raporta attestation des Prelats d'Espagne d'un grand no[illegible] de gu[illegible] par l'attouchement du Roy. *Matt. in hist. H. 4. l. 6. narr. 2.*

Plin. H. N. l. 7. c. 21. H. Iun. Anim. adv. l. 1. c. 6.

quoque, in hoc angusto, quod ad dicendum restat, temporis spatio, summa Galliæ Regum decora huic ornatissimo consessui, pari elegantia & gratia exhibere possem! Sed quoniam ingenii viriculas cum talibus votis frustra commissurus sim, potius in hac inopia dicendi mea acquiescam, contentus ad immortalium heroum memoriam vel digitum tantum intendisse. *Merovaus* Attilæ typhum in campis Catalaunicis compescuit: *Chlodovaus* Gothorum victor, & tot hostium domitor, cum in Christianæ fidei capitibus a S. Vedasto esset institutus, Rhemos profectus, ibi aqua salutiferi fontis cum tribus hominum millibus est ablutus a S. Remigio Rhemensi antistite, his tunc in sacra actione verbis utente; *Mitis depone colla Sicamber: adora, quod incendisti; incende, quod adorasti: Childebertus*, Almarico Gotho interfecto, magnam Hispaniæ partem subegit: *Clotarius* indomitos Saxones domuit: *Dagobertus* æquitatis oracula sparsit: *Pipinus* Ecclesiam Romanam adversus Aistulfum Langobardorum regem defendit, & Exarchatu Ravennatensi donavit: *Carolus Magnus* vel cognomine declarat suo, post hominum memoriam ipso majorem Principem non fuisse; quem & Reges Scotiæ atque Gallitiæ, tanquam illius cives essent ac subditi, humiliter coluerunt: *Ludovicus Pius* dies *quadraginta* ante mortem nullo alio cibo, quam *sanctæ cœnæ* usus est: *Robertus* literatum regem asino coronato prætulit: *Ludovicus Crassus* Imp. Henricum V nomine solum suo terruit, & in

Turon. & alii Franc. rer. sc[illegible]res.

Du Haillã in Car. Mag.

& in Germaniam fugavit; atque Papas ex Italia profugos Paschalem II, Calixtum II, Honorium II, & Innocentium II, humaniter excepit: *Philippus Augustus* de quorundam suorum benevolentia dubius coronam de capite detraxit, & si quis se sit regno dignior, illi se sponte & cum bona gratia cessurum, & coronæ copiam facturum, testatus est: *S. Ludovicus* ipsam Barbariam in admirationem Christianæ virtutis rapuit; qui (dicendum enim est aliquid) cum in Ægypto victoribus Saracenis, in quorum potestatem venerat, ex lege transactionis deberet *libellas quinquies mille centenas*, & vero accidisset, ut, dum expeditius pondere quam numero Saracenis dabantur pecuniæ, per eorum incuriam *decem millia* Galli retinerent, ideoque veluti solertes eo compendio exultarent, Rex optimus, ubi hoc rescivit, tantum abest, ut hoc suorum factum probaverit, ut potius malum lucrum detestatus excanduerit, & Philippo Montfortio dederit in mandatis, curaret, ut quamprimum integra summa exolveretur; hostibus ad tam illustre bonæ fidei & præclaræ justitiæ exemplum obstupescentibus: *Carolus V* consilio Anglis extorsit, quicquid illi multis victoriis acquisiverant: *Carolus VIII* non totis quinque mensibus Italiam subegit: *Ludovicus XII* pater populi, totam Lombardiam, non integro mense, sub imperium redegit: *Franciscus I* novus Musarum præses (quem & ad Robertum Stephanum, Typographum suum, subinde visitasse, & cum ei non vacaret, quod eorum quæ tum ede-

Io. Sireus in Ch. D. Lud. c. 5. F rcat. de G. Imp. & Ph. l. 2.

D. Heins. An Literatosit ducenda uxor.

bantur emendationi intentus ſederet, paulum expectare juſſum eſſe, legimus) Helvetios memorabili pugna ad Melenianum in Italia devicit: *Henricus IV* omnibus illis major, & inter *ſexaginta tres* Galliarum Reges maximus; in quo cum Virtus & Fortuna certarent, utra vinceret, utraque vicit; aut magis, ipſe utramque vicit: qui licet *e tribus juſtiſſimis prælis, e quinq; & triginta armatis congreſſibus, e quadraginta ſupra centum prælis regia pugnatis manu, e trecentis locorum oppugnationibus*, totus laureatus; undiquaque tamen pacis fuit amantiſſimus; ut idem ſit creditus publicæ tranquillitatis propugnator, ſtatus Reipublicæ redhibitor, Eccleſiæ ornamentum, Chriſtianorum arbiter, Orbis delicium. Tanti Principis aboleri memoria non poteſt; univerſorum pectoribus infixus eſt, nec commendatione ceræ aut pigmentorum fucis renitet; ſed novo cottidie deſiderio efflorescit animorum. *Una* HENRICI *oblivio eſt, humani generis occaſus.* Poſt tanti numinis nomen, imo poſt tot numinum ſanctiſſima nomina deficio: cum nemo quiſquam ſit, qui illis non aſſurgat merito, & omnes ſplendoris, nobilitatis, & majeſtatis faſces non ſubmittat lubens.

Quare, illuſtriſſime cognate Præſes, hic curſum orationis meæ ſiſto: &, cum Galliam natura, virtus autem Gallos, & felicitas Gallorum Reges, ad principatus faſtigium duxerint; cenſeo, *Galliam omnibus Europæ provinciis omni jure anteponendam eſſe.*

PRIN-

PRINCEPS FRIDERICUS ACHILLES, &c.

ET QVID TV CENSES MAGNE, *mi frater?*

ORATIO MAGNI, *DUCIS WIRTEMbergiæ & Tecciæ: Comitis Mompelgardiæ: Dynastæ Heidenhæmii:* pro HISPANIA.


MP. CAROLUS V Augustus, quamquam natus & educatus in Germania, Hispaniam tamen ex omnibus aliis regionibus delegit unam, quam profusiore benevolentia & amore dignaretur: cum non solum, quamdiu per bella Germanica, Gallica, & Africana licuit, præcipuam in ea sedem habuerit; sed & postremo, renunciato Imperio, & abdicatis a se regnis; ibi privatus mori voluerit. Et, quod curiose a Cæsarianis scriptoribus observatum est, cum ille Su-

deburgo cum Helionora Franciæ, & Maria Hungariæ, reginis ſororibus ſolvens, Euroque propitio profectus, ſine ulla nauſea in Hiſpaniam trajiciens, Lareduni in Callaicis portum appuliſſet; ut primum terram tetigit, proſtratus ei oſculum fixit, & *Salve*, ajebat, *mihi optatiſſima mater: nudus ex utero matris exivi, nudus ad te tanquam alteram matrem redeo: & quod unum poſſum, pro tam multis in me meritis corpuſculum hoc & oſſa mea do dedicoq;*. At quorſum iſta? Nimirum ut tenellis infantibus amuleta quædam ab officioſis matribus, contra oculorum linguarumve aut alias faſcinationes, de collo appendi ſolent: ſic ego tanti Cæſaris præjudicium orationi meæ, quam pro *Hiſpania* habere animus eſt, tanquam amuletum, aut potius ut *Salvam Guardiam* præfigere volui; cum ut aliorum obnoxios calumniæ & invidiæ adfectus, quibus Hiſpanorum natio paſſim in circulis vapulat, averterem aut corrigerem; tum etiam, ut tanto confidentius laudes omnium nobiliſſimæ provinciæ & illi debitum Europæ principatum propugnarem. Quia vero prærogativarum tam illuſtria concurrunt & affluunt argumenta, & *adeo ſunt multa, loquacem ut delaſſare queant Fabium*,

Thu.H.l.17.

Horat.1.Ser.

elaborabo, mi frater *Friderice Achilles*, ut breviter magis & ad rem propoſitam, quam prolixe & ornate dixiſſe videar.

Hiſpaniam terrarum eſſe feliciſſimam, ſi aliun-

liunde non liqueret, hoc unum possit testimonio esse gravissimo, quod *prima ea à Romanis tentata, & ultima subacta fuerit.* Romani enim, & Ecclesiasticus Pontificius ordo, pari fere ingenio iis tantum in locis potentiæ suæ domicilia constituere solebant, in quibus cum illorum cupiditatibus certaret omnium rerum ubertas; ut veluti novi Jasones non nisi opimam & auratam prædam semper respexisse & inhiasse videantur. Sed altius Hispaniæ dotes repetendæ sunt. Et, quod in quolibet loco primum in laudem vocatur, temperies cœli tota vitalis ac perennis salubritatis est; ut non immerito beatorum hic felices sedes, & Elysios campos, Homerus & alii statuerint. Æqualis aeris tractus, per omnem regionem nulla paludum gravi nebula inficitur; & ab auris marinis omnem provinciam penetrantibus, eventilato terrestri spiritu, præcipua omnibus sanitas redditur. Inde neque ut Africa violento sole torretur; neque, ut Gallia, assiduis ventis fatigatur: sed media inter utramque, tum calore temperato, tum felicibus & tempestivis imbribus, in omnia frugum genera sic fœcunda est, ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiæ, urbique Romanæ cunctarum rerum abundantiam sufficiat: imo & ea loca, quorum ariditas messem negat, sterilitatem refutent sparti copia, quam ad nauticos funes conficiundos, variosque vitæ usus largiter subministrant. Quin suppeditat Hispania copiosissime plerisque Europæis, sed & sub

Homer. 4. Od. N Cō. Mythol. l. 3. c. 19. Nonius in Hisp. c. 5.

Iu st. lib. 44

ſole calentibus Indis, vina generoſiſſima, oleum perfectiſſimum, ſales candidiſſimos, gallam, (cujus ad atramentum conficiendum, atque ad denſanda hircorum caprarumque coria, quæ vulgo *corduana* dicunt, magnus eſt uſus) olivas muria maceratas, Græcas nuces ſeu amygdala, ficus; & quoſlibet arborarios fructus ſapidiſſimos; metalla quoque omnis generis; & nonnunquam maximum numerum frumenti. *Xeres de la frontera*, olim dicta *Aſta regia*, urbs Bacchi Cereriſque muneribus mire felix eſt: ibi loci ditiores cives ſolent immenſæ altitudinis puteos defodere, quibus annonam multos in annos conſervant, quos lapidum mole contectos ſine peculiari Senatorum conſenſu aperire vetitum. Vnde cum An. cIↃ. IↃ. LXI. arcta re frumentaria Germania premeretur, incredibili numero ab hac urbe proviſum fuit. Hiſpalenſis ager præter cæteras terrarum pinguis & fertilis eſt; ac, quo tempore Ferdinandus Sanctus illum Maurorum jugo eripuit, *centum millia*, qua villas, qua trapeta, in iis olivetis, quibus *Aſſaraſſio* nomen eſt, numerata fuêre. Ingens numerus; ſed Alfonſi tamen regis Sapientis hiſtoriæ autoritate probabilis. Et Plinii ætate, cardui duntaxat apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipue, *ſeſtertia ſena millia* reddiderunt. Planities Granatenſis tantis honoratur proventibus; ut ex ſolis mori arboris foliis, quibus bombyces veſcuntur, præter multas ſerici libras, *triginta millia coronatorum* quotannis in vectigal

Non. Hiſp. c. 14.

I. Mariana de reb Hiſ. lib. 13. c. 7. Non in Hiſ. § 16.

Plin. H. N. l. 19. c. 10. 150000. Coronat.

N[illegible] in Hiſpa[illegible] ter. [illegible] p. 1. l. 1. in Hiſp.

ctigal regium inferantur. Sed in singula locorum me non effundo. Lina quoque pretiosa sunt; & nobilia pecoris vellera nusquam gentium sunt meliora:

Vellera nativo pallent ibi flava metallo, Mart.
& linit Hesperium bractea viva pecus.

Etiam aliubi, & præsertim in Gadium insula, pabuli ea est lætitia, ut pascentium pecorum lac non serescat, caseusque non nisi multa affusa aqua coeat; & nisi menstruo quoque tempore vena illis tundatur, ex nimio abdomine suffocationis sit periculum. Equorum vero primatum quis extra Hispaniam quæsierit? Petrus Quinqueranus ait; *Ex omni genere equorum pulchritudine præstare Hispanos, ferocia Turcos, velocitate Numidicos.* Nec male ita censet Quinqueranus. Etenim in Andalusia & Granata natura equos (quos incolæ *Ginettes* vocant) ea effingit industria, ut ad velocitatem, generositatem, & ad omnem elegantiam nihil illis desit; unico sæpe equo multis aureorum millibus constante. Nec certe ignobiles sunt *Asturcones*, ab Asturiæ regione (cui universa Hispania debet & Christianæ religionis, & avitæ Gothicæ Nobilitatis adversus hostes Mauros defensæ, conservationem) ita dicti; queis non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: de quibus Silius,

Strab. Geog. l 3. Non. in Hisp. c 9.

de laud. Provin. Camer. Med. H. cent. 2. c. 91. Boter. d. l. in Hisp.

Non. in H. c. 43.

Hic parvus sonipes, nec Marti notus, at idem l. 3. de bello P.
aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
aut molli pacata celer trahit esseda collo.

& Martialis:

(in Apoph. 199.) *Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,*
venit ab auriferis gentibus Astur equis.

(Iust. l. 44.) Neque tamen summa tantum terræ Hispaniæ laudanda sunt bona, etsi perpauca adhucdum laudavimus: etiam abstrusorum felices sunt divitiæ. Lapidum ad ædificia mirabilis ubique est copia: & quod miraculo adscribendum, non procul a Barcinone mons se extollit præcelsus, vulgo *Mon-Ivi*, ab antiquis *Mons Iovis*, aut, ut (Non. in H. c. 18.) alii melius, *Mons Iudæorum* dictus, in quo inexhausta & perennis lapicidina: ac licet ad urbis muros, & ad complures Nobilium domus, assiduo hinc materia petatur; adimplet tamen liberalis natura montis illa ulcera, & cicatricem obducit, ut tot annorum decursu nihil pene excisum videatur. Singulariter tamen pulcherrimos lapides & marmora perbella, ad palatiorum & substructionum decus, in omnibus fere provinciis invenit magnificentia: quod vel ad stuporem usque intuentium *San-Laurentianum monasterium in Escuriali* ostendit; admirandi (*l'on dit avoir cousté plus de vingt millions d'or* P. Matth. in hist H. 4 l. 1 n. 4.) operis & prorsus regia moles; in quam Philippum II *ducenties centena millia coronatorum*, sive *viginti milliones auri*, insumpsisse ajunt. Et jactitent licet Ægyptii suas Pyramides; Græci sua delubra; Romani sua amphitheatra, theatra, ludos, circos, thermas, capitolia, palatia, & vanis numinibus sacrata templa: dum sese Hispania hoc Escurialis monasterio cætera orbis miracula superare noverit. Quid enim ad summam

mam perfectionem peritiſſimi artifices illic requirant? An materiam? nihil ea rarius. An architecturam? ne Vitruvius quidem dederit exactiorem. An magnitudinem? vel quatuor Regibus ſimul hoſpitium commode præbuerit. An etiam hortorum nitorem, fontium amœnitatem, ſylvarum umbracula? ne ipſa Antiochiæ Daphne ſe comparaverit. At quot præterea ex illis Hiſpaniæ lapicidinis ſumptuoſiſſima aquæductuum, pontium, arcium, aliarumque ſtructurarum opera, quot fortiſſimæ & ornatiſſimæ prodierunt urbes? Quam jucundum ſit, illuſtriſſimi & dilectiſſimi Collegæ & Auditores, ſi jam præſentes coram eas inviſere poſſemus. Peponem pro corde habeat, qui videndi ardore non ſtimuletur. Quæ enim urbs eſt *Hiſpali* opulentior? Non. in H. c. 71.

Hiſpal, æquoreus quam præterlabitur amnis: Auſon. in urb.
ſubmittit cui tota ſuos Hiſpania faſces:

ubi binæ quotannis claſſes, auro argento, gemmiſque onuſtæ, Americæ divitias exponunt, (magnifica in eum finem extructa domo, cui ab Indicis negotiis nomen impoſitum eſt, *La caſa de la contraction de las Indias*) & civitatem tantis opibus beant, ut illa Regi ſingulis annis *ſeſquimillionem aureorum* obſequii & vectigalium ergo pendat; & veraci feratur proverbio, *Qui non ha viſto Sevilla, non ha viſto maravilla.* Quæ eſt Oliſſipone, ſive amplitudinem urbis, ſive civitatis frequentiam, ſive abundantiam omnium rerum æſtimare velis, illuſtrior? Non. in Hiſ. c. 16. I. B. Villalpan. in Ezech. c. 27. v. 7. p. 10.

Non in Hisp. c. 55. I. de Laet, in Hisp.

Vbi pro murorum ambitu loquantur XXXIX portæ, admittendo dimittendoque quotidie huc commeanti orbi: ubi pro numero civium hospitumque lautioris fortunæ (plebi enim perpetuum plerumque carnisprivium indicit paupertas) suffragium ferat vectigal carnium in macello veneuntium, quod locatur in annos singulos quinquaginta quinque millibus ducatorum: ubi pro testimonio affluentiæ omnium copiarum sint, thesauri ab Afris, Asiaticis, & Indis quotannis advecti, prorsus omnino immensi. Quæ *Granata major*? ubi tot ædificia, tot domus; ut quemadmodum *malum Punicum* granosum, & acinis refertum est, ita & hæc nobilissima *Granata* densissimas domos & *dehiscentis granati* similitudinem referre videatur: ubi vetus regium, vermiculato opere, & immensis sumptibus extructum palatium in *Alhambra*, tantæ capacitatis est; ut P. Merulæ judicio defensiores commode admittat ad quadraginta millia, ideoque urbs potius, quam domus dici possit: ubi & palatium novum a Philippo II Hispaniarum Rege ædificatum, veteris gloriam & artificii concinnitate, & materiæ nobilitate, & amœnitate hortorum, & jucundo fontium ubivis erumpentium murmure, & prospectu denique undecunque amabili, longe superat. Quæ *Toleto* clarior? ubi minimum *septendecim*, quot alibi nusquam, *Concilia* celebrata fuêre; ubi olim Gothorum aula; ubi templum augustissimum; ubi Archiepiscopus primas Hispaniæ, (tametsi cum eo Braccaren-

N. in Hisp. c. 22. Boter. d. l. in Hisp. Merul. Cos. p. 2. L. 1. c. 23.

caren-

carensis de primatu dudum certarit, lite necdum dirempta) secundus a Rege, ditissimus; ubi aquæductus nobile *Ianelli Turiani* Cremonensis opus, qui hydraulica machina, magna versatili rota aquas ex Tago, ingenti impetu per tubos ductiles in editissimam urbis partem pertraxit, unde in multos rivulos insigni civium commodo distribuuntur: ubi lanificio sericoque vitam quærunt *hominum millia fere decem*. Quæ *Vallisoleto* nobilior? ubi Philippus II Rex natus; locusque est in amœnissima Pisvergæ ripa, non Hispaniæ solum, sed Europæ totius pulcherrimus: ubi forum spectatissimum capacissimumque, cujus ambitus DCC passuum est. Quæ *Legione* præstantior? ubi in augusto templi omnium in toto regno artificiosissimi sacrario sepulti jacent *septem & triginta Reges, & unus Hispaniæ Imperator*. Quæ *Segovia* est laboriosior? ubi nemo quisquam conspicitur mendicus, nisi qui per ætatem aut morbum ad opus est inidoneus; ubi lanificium est laudatissimum; (pannus utique tota Hispania hic texitur pretiosissimus) ubi aquæductus est, magnum architecturæ ornamentum. Quæ *Madrito* gratior? ubi Imperator Carolus V quartana diu ante conflictatus, sola aeris clementia morbum molestissimum brevi fugavit. Quæ *Valentia* formosior? ubi perpetua, tam hyeme quam æstate, inter citreos parietes & citrea conclavia est viriditas; ubi loci elegantia advenis oblivionem patriæ inducit; ubi Borgia familia duos Pontifices, Calixtum III, & Alexandrum VI, Ec-

Non. in H. c. 59. Merula Cos. p. 2. l. 2. c. 20.

Non. in H. c. 56. & Mer. Cos. p. 2. l. 2. c. 19.

I. Mar. Sic. l. 3. de reb. Hisp.

Mer. Cosm. p. 2. l. 2. c. 19

Non. in H. c. 71.

I. Mariana de reb. H. l. 12. c. 19.

Non. in H. c. 60.

I. Boch in hist ... Alb & l. ab. VI, Ecclesiæ Romanæ dedit; ubi Philippi III conjux Margarita ea pompa introducta est, ut *tricies centena coronatorum millia*, insumpta fuisse dicantur. Quæ *Flaviobriga* sive *Bilbao* negotiosior? ubi quotannis lana tantum circiter quinquaginta naves oneratæ in varias regiones transvehuntur. Quæ *Cæsar-Augusta* est augustior? ubi tantus ædium nitor, ut nulli urbi sit secunda. Quæ *Barcinone* est mundior? ubi ad majestatem patriæ conciliandam, civium virtus & fortuna nihil prætermisit. Quæ *Compostella* est religiosior? ubi non modo Hispani, sed omnes quasi nationes, pia quadem superstitione excitæ, cum votis donisque ad *S. Iacobi*, ut credunt, reliquias comparent frequentes. Sed quis amor, Collegæ & Auditores, ex lapicidinis in urbes, & ex tot longe præstantissimis in pauculas (nam Pompejus M. trophæis suis, quæ statuebat in Pyrenæo, DCCCXLVI oppida, ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris, in ditionem abs se redacta testatus est) istas deduxit? Quis genius me Compostellam abduxit? Redeo ad lapides. Suntque juxta Antiqueram montes singulari fœcundi lapide, quem Hispani vernacula lingua nuncupant *Hiesso*: ex quo gluten conficiunt architecti, usitato nomine *Tarram* dictum, muris consolidandis aptissimum. Lapis enim ille coctus, tusus, & per incerniculum cribratus, aqua deinde maceratus, tam tenaces incrustationes reddit; ut ædificia ex continuo lapide nata, non manufacta esse videantur. Et si lapidum pretiosiorum

Marginal notes: Non. in H. c. 69 — Non. in H. c. 52. — Plin. H. N. l. 3. c. 3. — Mer. Cosm. p. 2. l. 2. c. 3.

rum copiam quis desideret; non procul a Flavio Brigantio, hodie *la Corrunna* & prope Cluniam, quæ hodie *Crunna del Conde*, præstantissimæ Jaspidis sunt latumiæ. Cæterum ad metalla abeo, quæ in Hispaniis sunt abundantissima. Et Plinius diserte loquitur: *Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri, tota ferme Hispania scatet; citerior & specularibus lapidibus; Bætica & minio: sunt & marmorum lapidicinæ*: ut vere Posidonius scripserit; τὸν ὑποχθόνιον τόπον οὐχ ὁ Ἅδης, ἀλλ᾽ ὁ Πλούτων κατοικεῖ: *loca subterranea Hispaniæ non a Plutone, sed ab opulentia Deo Pluto incoli.* Georgius autem Agricola ex nostris, in palma Hispaniæ deferenda nil cunctatur. *Qui, ait, Europæ regiones, e quibus multa metalla quondam fuerunt effosa, considerant; primas tribuunt Hispaniæ, secundas Thraciæ, tertias Britanniæ, quartas Galliæ, quintas Græciæ, quas reliquæ sequuntur.* Apud Cantabros præter plumbum, & magnetem lapidem, quem nonnulli *ferrum virum* vocant, ferri chalybisque venæ adeo sunt divites; ut Vulcanus illic officinam & Mars armamentarium posuisse dici possit. Et Plinius auctor est, Cantabriæ maritima parte montem esse prærupte altum, *totum ex ferro.* Sic & auri ferrique gloria Bilbilin nobilitavit, teste Martiali;

Non. in H. c. 54. & 77.

H.N.l.3 c.3.

Met Cosm. p. 2. l. 2 c.8.

l. 1. de vet. & nov met.

H. N. l. 34. c. 14.

Epigr. l. 10.

auro Bilbilis, & superba ferro.

Maximam quoque argenti fodinam quondam apud novam Carthaginem, & in illa *quadraginta hominum millia* in labore versatos fuisse, singulisque diebus populo Romano XXV drachmarum

mil-

millia, quæ Budæi calculo ſunt *bis mille quingenti coronati*, inde accreviſſe, ex Strabone diſcimus. Et Bebelo argenti puteus, ab Hannibale inchoatus, auctori ſuo C C C pondo, quæ Budæo ſunt *tria aureorum millia*, in dies ſubminiſtravit. Argenti ex Pyrenæorum nati incendio, ſi modo Diodorus & Strabo hiſtoriam, non fabulam narrant, tanta fuit copia, ut Phœnicum naves illud nec capere, nec ferre potuerint; ipſis etiam anchoris inde conflatis. Aurum vero ubi non invenitur in Hiſpania? Gallecia æris ac plumbi uberrima, & auri feraciſſima; *adeo ut etiam aratro frequenter glebas aureas excindant agricolæ.* Et olim Romanis Aſturia, Luſitania, & Gallecia, *ſingulis annis vicena millia pondo auri præſtiterunt.* Sed quota illæ ſunt totius Hiſpaniæ pars? Quid univerſam præſtitiſſe putabimus? Conſulite Livium, Auditores, & in acervum conferte triumphales Romanorum ducum manubias ex Hiſpaniis aſportatas; & videbitis, exiguo annorum ſpatio populum Romanum deprædatum fuiſſe *ſupra ſexcenta millia argenti infecti pondo, argenti Oſcenſis quadraginta millia; auri vero circiter decem millia; ſignati autem infinitam copiam*; non computatis in eam ſummam, ducum, militumque rapinis, donativis, ſtipendiis; quæ ſine dubio multo ſuperant: ut id temporis Hiſpania Romanis eo fuerit loco, quo nunc Hiſpanis eſt America; & parum abſit, quin aſſentiar illis, qui credunt *Tarteſſum* Hiſpaniæ urbem olim notiſſimam, hodie ignorantiæ tenebris involutam, eſſe regnum *Tharſes* & O-

Plin. H. N. l. 33. c. 6.

Mer. Coſm. p. 2 l. 2 c. 3.

Ariſt. de mir. Auſc.

Iuſt. l. 44.

Plin. hiſt N. l. 33. c. 4.

& *Ophir*, quo Salomon classem mittebat, ad aurum argentumque avehendum. Sane regionis circumjacentis felicitas, auri argentique perennis fœcunditas, & scriptorum ea de re consentiens opinio plurimum persuadent: præsertim cum Tyrii ac Phœnices, ex qua gente & inter Salomonis classiarios quidam erant, Hispaniam frequentarint, & inde domum ἄχρυσοί τε καὶ ἀνάργυροι ὄντες non redierint. Sed quid? An Hispaniæ *aquas* sicco transibimus pede? Comparatur amplissimæ illius provinciæ forma a Strabone, Pomponio Mela, Ptolemæo, & aliis, *corio bubulo humi protenso*; cujus partes fere omnes circumluunt maria: ita, ut Aquilonare latus Cantabrico oceano, Occidentale Atlantico claudantur; Meridionale pulsetur freto Herculeo & mari Balearico; Orientale autem occupetur *corii collo* sive Pyrenæis montibus, ubi Hispania in eas coit angustias, ut Joannes Vasæus memoriæ prodiderit, cum per Cantabriam iter faceret, in monte Divi Adriani, Ferdinando Colone istarum rerum peritissimo commonstrante, nisi fefellerint oculi, utrumque mare se vidisse, oceanum scilicet, cui erant proximi, & eminus, quantum oculorum prospectus ferre poterat, mediterranei maris albicantes fluctus. Tot vero maria, tot insuper flumina, (sunt, qui numerant *centum & quinquaginta*, & in iis pontes *septingentos* & amplius) tot stagna lacusque, tot thermas, fontes, (in territorio enim Pacis Augustæ solus Xericii ager fontes habet *mille & quingentos*)

Non. in Hi. c. 12.

Aristot. de mir. ausc.

Mer Cosm. p. 2. l. 2. c. 2

in Chron. Hisp. c. 2.

Mer. d. l. c. 7.

tos) tot alios aquarum ſinus ac receſſus, & earum ſummas opes cum paribus miraculis conjunctas, in hac temporis fuga nunc enarrare, nedum pro ſingulorum pretio meritiſque laudare non poſſim; etſi nihil aliud jam dicendum foret. Quemadmodum igitur, *Anas*, hodie corrupte dictus *Guadiana*, procul ab ortu ſuo ex hominum conſpectu ſe eripit, & per ſubterraneos meatus *ad ſeptem milliaria fluit lucifugus*, donec prope Villahartam, ſæpius naſci gaudens, iterum in lucem erumpit, majori vi & alveo latiori; ut inde accolæ jocandi materiam ſumpſerint, dum patrio ſermone ferunt, *pontem eſſe in Hiſpania, ubi perpetuo plurima armentorum millia paſcantur*: ita ego nunc ſimul omnia flumina & aquas Hiſpaniarum in Anæ latebras tantiſper abſcondo, dum alibi ſit occaſio prolixioribus laudationibus ſingulorum dotes proſequendi. Auream tamen laudem non reticeo; quod pleraque auri grumulos, tanquam telluris ſpolia Oceano deferunt: & in fidem vetuſtæ gloriæ, Luſitanorum Regum ſceptrum ex Tagano auro, quo purius nullum inveniri poſſit, conflatum eſſe memoratur. Talis eſt altera Imp. Caroli V mater: talis eſt illa omnium Europæ provinciarum regina Hiſpania: de qua Claudianus optime,

Plin. hiſt. N. l. 3. c. 1. G. *ab Auſtria apud Orteliũ hoc controvertit: ſed alii Hiſpani Plinio & receptæ opinioni ſuffragantur.* Non. in ſ. Hiſpan.

Quid dignum memorare tuis, Hiſpania, terris
Vox humana valet? primo lavat æquore ſolem
India, tu feſſos exacta luce jugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu:
Dives equis, frugum facilis, pretioſa metallis.

de laude Serenæ.

Et

Et Latinus Pacatus, Gallus, elegantissime: *Hispania terris omnibus terra felicior, cui excolendæ atque adeo ditandæ impensius quam cæteris gentibus supremus ille rerum fabricator indulsit: quæ nec Austrinis obnoxia æstibus, nec Arctois subjecta frigoribus, media fovetur axis utriusque temperie: quæ hinc Pyrenæis montibus, illinc Oceani æstibus, inde Tyrrheni maris litoribus coronata, naturæ solertis ingenio velut alter orbis includitur. Adde tot egregias civitates: adde culta incultaq; omnia vel fructibus plena, vel gregibus: adde auriferorum opes fluminum: adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas Poëtarum, auribus mulcendis repertas, aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula: quæ ut sint vera, sunt singula: nec jam excutio veritatem. Sint, ut scribitur, Gargara proventu læta triticeo; Mevania memoretur armento, Campania censeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo: dum Hispaniæ uni, quicquid ubique laudatur, assurgat.* In Pan*g. Theod. A.

Verum *Hispani* ipsi, quales sunt? Ab omni memoria, Auditores, fuerunt fortissimi, libertatis retinentissimi, & omnino mortis contemptores.

Prodiga gens animi, & properare facillima mortem. Silius Ital.
Namq; ubi transcendit florentes viribus annos,
impatiens ævi spernit novisse senectam:
& fati modus in dextra est.

In bello Punico, celebris fuit patientia servi; qui ultus dominum inter tormenta risu exultavit, serenaque lætitia crudelitatem torquentium vicit. Iust. l. 43.
Et in bello Cantabrico, cum Augustus Cæsar

L. Flor l.4. c. ult. Strabo Geog. l. 3. Mer. Cos. p.2. l.2.c.8. magno tandem labore gentem debellasset, major pars, ne servitutem serviret, igne, ferro, aut veneno se a captivitate vindicavit. Ac fuerunt matres, quæ amore libertatis liberos suos necaverunt, ne in hostium manus pervenirent; pueri qui mandatu patris parentes fratresque omnes captos, ferrum nactus interfecit; & mulier, quæ una secum vinculis mancipatos obtruncavit. Stupendus mortis contemptus! Ait Silius:

lib. 3.

Cantabet ante omnes hyemisq; æstusq; famisq;
invictus, palmamq; ex omni ferre labore
mirus amor populo:

& *omnis in armis*
lucis causa sita est, damnatum vivere paci.

Val. Max. l. 2. c. 1. Celtiberi in acie gestiebant lætitia, tanquam gloriose & feliciter vita excessuri; lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri:

Sil. Ital. l. 3.

his pugna cecidisse decus: corpusq; cremari
tale nefas; cœlo credunt superisque referri,
impastus carpat si membra jacentia vultur.

Quid de fide & ærumnis incluta *Saguntu*, cujus reliquiæ hodie *Morviedro*, quid dicam? Saguntini victricibus Annibalis armis intra mœnia urbis suæ compulsi, cum vim Punicam ulterius nequirent arcere, fessi fame, machinis, ferro, & igne, versa denique in rabiem fide, collatis in forum quæ unicuique charissima, atque undique circumdatis accensisque ignis nutrimentis, *ne a societate populi R. desciscerent*, publico & communi rogo semetipsos superjecerunt. Crediderim tunc ipsam fidam humana negotia spectantem mœ-

Val. Max. l. 6. c. 6. Flor. l. 2. c. 6. August. Civ. Dei, l. 3. c. 20.

stum

tum gessisse vultum, perseverantissimum sui cultum iniquæ fortunæ judicio, tam acerbo exitu, damnatum cernentem. Sicque Hannibali non Saguntum, sed fidum Sagunti sepulchrum capere contigit. Quid referam de fortium militum genitrice *Numantia*? Quæ cum esset sine muro & turribus, cives patriæ fuerunt pro propugnaculo, non secus ac prisci Spartani. illa quatuor millibus Celtiberorum, Romanum XL millium exercitum per annos XIV sola sustinuit, magnisque cladibus & pudendis fœderibus affecit; ita, ut Numantini viri non vocem, non conspectum ferret Romanus miles. Sed tandem a fatali urbium eversore Scipione Africano victa, cum omnia, quæ famem trahere poterant, consumpsisset, ad ultimum humanorum corporum dapibus usa; compluribus jam ea capta inventis, qui artus & membra trucidatorum corporum sinu suo gestaverunt; nullum de se hostibus gaudium, nec spolia quidem reliquit. *Vnus vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda nulla: triumfus fuit tantum de nomine.* Quæ perseverantia, aut potius summæ fidei & fortitudinis ἀριστεία fuit *Calaguri?* Calaguritani enim, quo interempti Sertorii cineribus obsidionem C. Pompeii frustrantes, fidem præstarent constantius; quia nullum jam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas natosque ad usum nefariæ dapis verterunt; quoque diutius armata juventus viscera sua visceribus suis aleret, *infelices cadaverum reliquias salire non dubitavit.* Sicque dulcia

Flor. l. 2. c. 19. Val. Max. l. 7. c. 6.

Val. Max. l. 7. c. 6.

vitæ pignora, quæ alias hominibus proprio spiritu chariora sunt, ea Calaguritanis fidei causa prandia atque cœnæ extiterunt. Et prope Laurenam, *Logronno* hodie, cippus antiquus incomparabile fidei Calaguritanæ exemplum ostendit: cujus hæc verba: *Diis manibus Q. Sertorii me Bebritius Calaguritanus devovi; arbitratus religionem esse, eo sublato, qui omnia cum diis immortalibus communia habebat, me incolumem retinere animam. Vale viator, qui hæc legis: & meo disce exemplo fidem servare. ipsa fides etiam mortuis placet corpore humano exutis.* Memor tantæ & inimitabilis fidelitatis Augustus Cæsar cohortem Calaguritanorum in corporis sibi custodes delegit: uti & ante ipsum Iulius Cæsar Hispanorum cohortem habuit custodiæ suæ. Sed quid potuerit Hispanorum virtus contra vires Romani Imperii, in pauca compegit Paterculus: *Per ducentos annos*, ait, *in Hispaniis multo mutuoq; ita certatum est sanguine, ut amissis P. R. imperatoribus exercitibusq; sæpe contumelia, nonnunquam etiam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim provinciæ Scipiones consumpserunt; illæ contumelioso X annorum bello sub duce Viriatho majores nostros exercuerunt; illæ terrore Numantini belli populum Romanum concusserunt; in illis turpe Q. Pompeii fœdus, turpiusq; Mancini Senatus cum ignominia dediti imperatoris rescidit: illæ tot Consulares, tot Prætorios absumpsit duces; patrumque ætate in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, Hispanis Romanisve in armis plus esset roboris; & uter populus alte-*

A. Morales. Non. in H. c. 81.

Suet. in Au. c. 49. & in Iul. c. 86.

C. Vel. Pater. H. l. 2.

alteri pariturus foret. Quid vero in paganæ vetustatis hæreo exemplis; cum Christiana sint in propinquo & in promptu? Sanctio II Lusitaniæ rege, qui a vestium forma cognomentum CAPELLI traxerat, ad nutum libidinemque imperiosæ uxoris Menciæ regni curas abjiciente; Alfonsus frater ejus ætate proximus, sed indole longe prior, permissu Pontificis Innocentii IV reipublicæ gubernacula occupavit. Hic autem Conimbricam in Sanctii fide perstantem cum obsideret atque impugnaret acerrime; obsessi ad supremam licet inopiam redacti obstinata patientia cunctas necessitates concoquebant; donec *Flectius* arci urbique præfectus Sanctii morte nunciata, neque satis credens tamen, quasi certiora cogniturus, Toletum (eo enim profugerat exautoratus Rex) eundi veniam postulavit. Quam dat Alfonsus non invitus; interimque ab oppugnatione cessatur. Flectius Toletum delatus, aperto Regis extincti sepulchro, eidem Conimbricensium urbis portarum claves in manus dat, hisce usus verbis: *Quamdiu Rex, vivere te judicabam, extrema omnia sum perpessus: coriis famem toleravi, sitim lotio; civium animos consilia de deditione agitantium ad malorum patientiam erexi. quicquid a fideli & constanti homine, atque in tua verba jurato, expectari debuit, præstiti. Mortuo tua tibi urbis clavibus traditis, quod supremum officium est, sacramento me solutum civibus, decessisseq; te renunciabo; Alfonso fratri ne amplius resistant, te concedente ero auctor.* Viri fidem & constantiam omni-

I. Mariana de reb. H. l. 13. c. 4.

bus seculis prædicandam! *Sanctius Castellæ Rex* (audite, quæso Auditores, venerabile & hoc exemplum, similia forte alibi non audituri) Sanctius, inquam, Castellæ Rex *Tariffam*, quæ veterum *Tartessus* est, sive *Carteja*, de Mauris ceperat: sed illo anxio custodiendi & tenendi, ob hostium viciniam, & ingentes sumptus; *Alfonsus Peresius Gusmanus* pace & bello, etiam opibus, & quod in opibus rarum, recto earum usu, magnus vir, ultro in se curam tuendæ urbis suscepit, & partem stipendii de suo daturum promisit; rege interea alias res agere jusso. Paulo post frater Regis *Iohannes* ad Maroci Regem transiit, & copiis ab eo acceptis subito Tariffam obsedit. Obsessi nihil trepidare, in sua & ducis virtute fidere, animos supra periculum habere; nisi quod infregit eos casus inopinatus, Alfonsi unicus filius interceptus, & quem Mauri ante mœnia ostendebant, & nisi opidum dederetur, sub oculis statim interfecturos se, & fœde lancinaturos, comminabantur. Ad eas voces pater nihil commotus, quin animo adversus privatas charitates pro Reipublicæ & patriæ salute plane invicto constanter edicit, *Si vel centum filios Mauri in potestate haberent, non ideo se a fide & honesto abiturum: & si tanta*, inquit ad hostes, *vobis libido jugulandi est, en gladium:* & cum dicto suum e mœnibus projecit, atque inde ad prandium abiit imperterritus Alfonsus. Vix abiit, & mox dissono clamore & vehementi militum ejulatu revocatus, denuo in mœnibus se sistit. Quærenti con-

A Ch. 1293. Mariana de reb. H. l. 14. c. 16. Lips. M. P. l. 2. c. 7.

consternationis causam, refertur, *Filium barbara crudelitate jussu Ioannis Principis trucidatum esse. Hoc erat* & inquit: *Credebam urbem ab hostibus captam.* Et sic pari tranquillitate ad prandium uxoremque rediit. Hostes magnitudine viri attoniti, re infecta discesserunt. Libet hic exsultare: libet hic interrogare; sitne factum vel in omni antiquitate fortius, vel laudabilius? Gratulor genti & domui illustri Ducum *Methymnæ Sidoniæ*; quæ ad hunc auctorem stemma & sanguinem refert. Ego in militares & totas laureatas Hispanorum Academias hinc me inferam passu paulo liberiori. Equidem nulla gens est hodie, nullus populus in universo orbe terrarum; qui militaris disciplinæ laude æque floreat, ut Hispani: dignissimi, quos alii imitentur. Pulcherrimum visu est, inter eos militem novitium, statim atque in numerum est relatus, erudiri a veteranis; alicubi peccantem humaniter corripi; & illum monitiones grato animo admittere, nec male interpretari: laudatissimum est, inter eos tale vigere obsequium, ut nemo vel maximus legitimum etiam minimi detrectet imperium; talem modestiam, gloriæ tamen amore egregie excitatam, ut veluti in schola sermo tantum sit de officio militum & ducum, de obsequio, honore, virtute, & quicquid armorum decus concernit; insolentia, petulantia, atque jurgiis longe pulsis; quod ipsum *Petrus Pasius*, tribunus, suarum laudum cumulo merito addere poterat, cum affirmaret, in ea legione, cui

Iac.mag.Br. R.l.2. Basil. dori.

Lanov. Disc. 13. & 16.

præerat, & quæ ex XXIII signis Hispanorum erat composita, octodecim mensium spatio nihil fuisse turbatum: admirabile denique est, inter eos eam regnare charitatem, ut non solum se tanquam fratres mutuo diligant; lacerum commilitonem, ne ordini & nationi toti sit dedecori, vel jejunio pecuniam ad id comparsuri vestiant, vulneratum aut alias ægrotum pro virili benignissime juvent; sed etiam in ancipitibus casibus, pari alacritate cuncta pericula subeuntes, quamcunque herbam pro cibo, quemcunque succum pro oleo, & pro vino liquorem quemcunque boni consulant, vel unico raphano aut fœniculi fasciculo in biduum constantiæ & invicto robori eorum suffecturo. Hac disciplina gens sagax & bellicosissima tantam rerum maximarum molem confecit, ut nullius seculi, & nullius gentis imperium ita excreverit unquam, cujus felicitatem Virtus & Fortuna Hispanorum non antecellat. Atque ut posteritas in Annalibus omnia cum stupore est lectura: ita hodieque venerantur Turcæ *Alvarum Sandæum*; qui quatuor millia peditum Hispanorum, in ipsa Barbaria, per quinque milliarium planitiem, hostili XX millium Maurorum equitatu variis assultibus perpetuo, & sexies omnibus viribus petitus, cum LXXX suorum jactura, sed internecione DCCC barbarorum, in tutum deduxit: & *illorum Hispanorum* continentiam magnificiunt, qui Horuccium Barbarussam Algerii Sultanum, longissimo cursu per arenosas

Lanov. in parad. 2.

P.Iov. in. Horuc.

ſas Mauritaniæ ſolitudines fugientem, cum paſſim aurum, ut perſequentes diſtineret, callide ſed fruſtra effudiſſet, fortiter occiderunt. Galli laudant *illos bis mille Hiſpanos*, qui ex clade Ravennatenſi juſtis ordinibus abeuntes inſequentem hoſtilem equitatum adorti, & ducem ipſum *Gaſtonem Foxium* jam victorem vicerunt & interfecerunt: & inprimis cohorreſcunt ad memoriam *Gonzalii Ferdinandi Aguilarii, Magni ducis* cognomentum meriti, qui illis Neapolitanum regnum ſumma fortitudinis & nominis Hiſpanici laude eripuit; a Ludovico XII Galliarum Rege, vel in hoſte virtutem veram admirante, poſt accumulatas laudes aurea torque e collo regio in ejus cervicem injecta donatus: extollunt etiam impigrum & providentiſſimum *Antonium* (a) *Levam*; qui

implicitus cunctis morbo artubus, horrida bella
artibus & ferro geßit & explicuit:

& *Petrum Enriquez Comitem Fontanum* reformidant, qui in Belgio non defendit ſolum fines, ſed etiam protulit; & oppida recepit ac expugnavit in medio ardore duplicis belli, quæ recipi & expugnari vix in votis, certe in ſpe non erat Belgarum. Itali vero, imo alii etiam populi, timent adhuc *Ferdinandi Alvari Toletani Albæ Ducis* maneis; qui Romam cum capere potuiſſet, noluit; qui Galliam terruit, Hungariam tutatus eſt, Africam vicit, Germaniam utramque compeſcuit; qui Hiſpaniam caſtigavit; qui expeditionem Luſitanicam ſtatim poſt Sebaſtiani cla-

Lanov. parad. 2. Fr. Guiciard. H. l. 10.

Iov in Conſ. M.

(a) Ce grand capitaine A. de Leve gouteux & impotent a plus gaigné de victoires dās ſa chaire, qu' autre de noſtre aage n' a faict àcheval. *B. Monluc. Com. l. 3.* Lipſ. in præf. ad Phyſ.

Th. H. l. 69.

dem per literas & amicos urgere non cessans, dicterio, cum de exequiis mortuo faciendis ageretur, addito, *debere Regem Sebastiano regi Olissipona justa persolvere*, denique mortuo Henrico *quinquaginta dierum intervallo totam Lusitaniam subegit*; ejus militibus adversus *baccalaureos* (ita contemptim præcipuos Doctores in Consistorio regio vocabant) ingeminantibus, *Se hoc regnum Lusitanicum prorsus eo modo, quo regnum cælorum acquiritur, cepisse; nimirum comedendo panem, & bibendo aquam, & a rebus alienis abstinendo*: & hoc dicebant, quia solo buccellato vixerant, nulla urbium præda ipsis concessa. Profecto nos Germani etiamnum miramur *illam præsignem Hispanorum decuriam*, qui in bello Saxonico, vestibus exutis, nihil tormentorum ictibus sclopetorumve grandine territi, gladios ore transversos deferentes, natando erranteis scaphas in Albi flumine assecuti, post breve certamen, XXXV ex hostibus cæsis, in citeriorem ripam adduxerunt. Et magis adhuc demiramur *Christophorum Mondragonium*, Belgicis bellis clarissimum ducem, qui fœderatis Belgis Tergoam Zelandiæ obsidione acriter prementibus, audaci omnino & memorabili facinore in insulam pedestri itinere, per longum admodum & aquis stagnantibus importunum ac cœnosum tractum, cum delectis aliquot Hispanorum, Germanorum, & Gallorum centuriis penetravit; ipseque Mondragonius, quamvis jam ætate affecta, sed cruda senectute, primus vadum ingressus duarum horarum

Margin notes: Hi. Conest. l. 2. de Port. & Cast. coj. — a Ch. 1547. Thu. H. l. 4. — a Ch. 1572. — Th. H. l. 54. Janson. in Merc. Gal. lo. B.

tum spatio transmisit, militibus arma & saccos pulvere sulphureo plenos supra capita gestantibus, ex iisque IX tantum, qui amnium interfluentium rapiditate, dum longius deerrant, abrepti sunt, amissis: cujus pene supra humanas vires generosi incœpti is successus fuit, ut multi fœderatorum, dum ad insperatam Mondragonii præsentiam consternati tumultuaria fuga naves suas conscendere festinant, fluctibus fuerint intercepti, & Paceco impressionem in ultimam agmen faciente, eorum ad IↃCCC in conflictu perierint. Et quid verba perdo? Si verum amamus, si fateri & audire volumus; *Hispania rerum potitur in Europa.* Nam non solum domi jam est unita, pluribus regnis sub unum imperium redactis: verum etiam Galliæ & Germaniæ per Burgundiam & Belgicas provincias jamdudum compedes injecit; Italiæ autem dominatur ita, ut ipsa possideat Langobardiæ cor Mediolanensem Ducatum, regnum Neapolitanum, Siciliam, Sardiniam, & insulas reliquas; Hetruriam ex Plombino, Herculis portu, Telamone, Orbitello, fortibus argumentis ad observantiam & modestiam cogat; Genuenses quæstus dulcedine, dum eorum pecunias grandi fœnore pascit & ad se trahit, sibi insolubili nexu devinciat, atque sub specie protectionis temperet ad nutum; Romam denique ipsam per gulam, & *per gli capelli*, hoc est, per commeatuum subvectiones ex vicinis Hispanicæ ditionis locis, per Cardinales pensionibus emptos, in officio contineat.

Thu. H. l. 4.

P. Matt. in hist. H. 4. l. 1. narr. 4.

neat. At vero adſint hic novi Anaxagoræ, novoſque & infinitos conſtituant mundos; Hiſpania habet Alexandros, qui ſubjiciant, & qui gubernent. Hiſpani enim, Hiſpani ſunt, qui *Novum Orbem* invenerunt & ceperunt. Et ſi, quo jure ceperint, roget quis: non ibo accerſitum reſponſionem ex Hiſpaniæ Scholis; in quibus noſtra memoria nimis curioſe diſputabatur, utrum Indi ex ADAMO τῷ πρωτοπλάστῳ oriundi, an media quædam ſpecies inter homines & ſimios eſſent. Sed, ſi, quod debemus, audimus Juriſconſultos, ceperunt Hiſpani Novum Orbem omni jure; cum Dei ſit ſententia, *quicquid calcaverit pes tuus, tuum fiet*; &, *cælum cœli domino, terram autem dedit poßidentibus*; & ratio doceat, populos, qui ferarum modò magis quam hominum viventes ſine ulla omnino religione ſunt, quaſi piratas, communes hoſtes omnium, bello perſequendos, & in hominum mores conformandos eſſe; & inſuper jus gentium velit, quæ bona nullius ſunt, ea fieri occupantium. Equidem Luſitani Africæ portibus nobilioribus & adjacentibus inſulis captis, Aſiæ oram maritimam propemodum omnem & Indiam Orientalem fecerunt captivam aut tributariam; inprimis virtute fortiſſimorum ducum *Franciſci Almeidæ*, qui Campſonis Sultani Ægyptii claſſem profligavit; & *Alfonſi Albuquercii*, qui Goam occupavit, ibique Proregum Indiæ ſedem conſtituit; dein Malacam aureæ Cherſoneſi metropolim expugnavit, arcem Calecuti condidit; toties Turcis, aliiſ-

Balzac. in Principe. n. 287.

A. Teſſaur. in præf. ad Deciſ. Pedem. n. 14.

Alb. Gent. de Iure belli, l. 1. c. 9.

Inſtit. de rer. diviſ.

H. Coneſt. de Portug. & Caſt. cōj l. 1. I. P. Maffejus in H. Ind paſſim. Thu. hiſt l. 1. G. Sciop. In Conſilio Regio.

aliisque Saracenis & paganis, non minus ad pugnas animatis quam armatis, feliciter fusis ac fugatis, cum singulis Lusitanorum sæpe quingenti hostes opponerentur. Quod & ipsum tamen divini fere herois, & omnium, qui post homines natos usquam fuerunt, imperatorum gloriam supergressi, *Ferdinandi Cortesii* copiis in Occidente usu venit. Succesſêre incomparabili illi Lusitanorum pari in Indica prætura, longe maxima, *Lupus Suares*, *Iacobus Lupus Sequera*, *Eduardus Meneses*, *Vascus Gama*, *Henricus Meneses*, *Lupus Sampasius*, *Nonius Cugna*, *Gratianus Norogna*; & *Iohannes Castrensis*, qui memorabili illa in Diensis arcis a Turcis obsessæ propugnatione contra Cambajæ regem parta victoria, Lusitanorum imperium in Oriente firmavit: & alii: qui omnes ea multoties gesserunt, ut miraculo sint propiora; numero paucis stupendam & antea incredibilem navigationem perficientibus, numerosissimas hostium copias vincentibus, vastissimum maris & terrarum imperium parantibus, & *cruces* suas in extremo Oriente, ubi nomen Christianum ne fando quidem erat notum, statuentibus. Castellani autem & Hispani cæteri, ducibus *Christophoro Columbo*, *Americo Vespucio*, *Jo. Pontio*, *Ferd. Magellano*, *Ferd. Cortesio*, *Guterisio Vargo*, *Franc. Pizzarro*, aliisque, insolito victoriarum successu *Novum Orbem*, sive Indias Occidentales occupaverunt, maximos reges sub jugum miserunt, gentes barbarissimas & homi- Bot. in Rel. p. 4. l. 3. nivoras, quæ captivos sæpe jungebant suis co-

gna-

gnatis sobolis procreandæ causa, quam postea ut gallinarum pullos vorarent, Religionem & Virtutem docuerunt. Quid vero Hispanis illis omnibus, quid viris tantis, mei Auditores, in universo heroum theatro invenitur simile? Quæ secula tulêre pares? Et ubi comitatus invidiæ potest esse major? Facessant hinc fabulosi illi Argonautæ. & in cœlestium numerum falso relati Bacchi Herculesve: Hispani sunt, qui titulos illos & decorà sibi jure vendicent; quibus illi comparati in nullo censu futuri sint. Cœlo descendat *Argo* navis, tantulo ex Græcia tantum per Pontum facto itinere celebrata, & *Magellani* VICTORIA ascendat; quæ prima inaudito post omnium seculorum memoriam cursu totum Orbem emensa, & in Hispaniam cum nauclero

I. P. Maffe j. M. ind. l. 8. suo *Johanne Sebastiano Cano*, (ex oppido *Guetaria Vardulorum*, ad *Pyrenæum*: ne patriam novi Neptuni ignoremus) viro fortissimo, feliciter redux, clarissimum de Oceano triumfum, nullo casu, & nullo temporum fato interiturum, reportavit. Verum difficile est dicere, Auditores, splendidiorne sit gloria Hispanorum, qui Orbem novum invenerunt & aperuerunt; & in quo sine rivali dominantur: an vero majus inventi Orbis sit beneficium, quod is ab inventoribus accepit. Nam illi quidem ab Europa extrema festinatis itineribus rapti, sed nec tot marium novorum discriminibus, nec tot terrarum incognitarum periculis, nec tot laborum & curarum fatigationibus victi, in alio Orbe, & sub

alio

alio pene dixerim sole positos Americanos, ipsos Antipodas, quos superioribus seculis in rerum natura quæsivisse hæreticum erat, homines ipsa barbaria magis barbaros vicerunt, & tantæ amplitudinis regiones, quæ ipsam Europam & Africam, quantæ quantæ sunt, magnitudine superent, tam brevi annorum curriculo subegerunt, ut, si Hispanica Virtus pro dignitate caussarum æstimanda sit, jure contenderim, equites illorum Pegasis, pedites talaribus vectos fuisse: (victoriæ omnes fuêre pennatæ.) cum interim Fortuna Americanorum & Indorum illos adventitios Deos, & *Viracochas* (sic Hispani in Peruvia appellantur) post terga respectans, in modum amentis attonita avolaret; neque ullum consilium, ullamve rationem, aut denique spem, quæ postrema miseros deserit, sequeretur; quin ipsos viæ implicabat errores, & nunc dextra, aut læva, nunc vestigiis suis obvia, incertum iter ancipiti ambage texebat. quoties sibi ipsam putamus dixisse, quo fugio? bellumne tentabo? sed *filiis DEI altissimi* impar sum. exulatum ibo? sed nullus exilio locus superest. petam mare? sed & ibi piscium sum esca. quid ergo faciam? a tergo premor hostibus, a fronte omnibus aliis miseriis: moriar, & evasi. sed ecce nec animum sequitur manus, nec manum gladius. Itaque ut clausæ cassibus feræ quæsito diu exitu desperatoque consistunt, & ubi omnes fugiendi impetus consumpserunt, tandem præ timore non fugiunt: sic illa Americana Fortuna ipso

Iof. Acost. H. N. Ind. l. 1 c 11. & l. 4. c. 22.

ita Hispani ipsi se nominabant, cum primum advenissent in Americam. Vrb. Calveto.

ipſo quo agitabatur metu alligata, ad pedes Hiſpanicæ Virtutis ſe provolvit, fidemque ſuam perpetuo tributo aſtringit; traditque mox auriferos amnes, montes aureos, mare unionum ferax, gemmis gravidam tellurem, aromata, ligna, novas fructuum & animalium ſpecies; & quicquid cupiditatibus humanis lenocinari poteſt, annuis claſſibus in Europam deportandum ex omnibus locis, *unica* tantum *argenti fodina Potozienſi in Peruvia ſingulis diebus ſupra XXX millia Philippicûm dante*, prompta conquirit. Quæ omnia, etſi maxima ſunt; & talia, ut anguſte Majeſtatem Hiſpanorum ponderet, quiſquis id tantum de illis, quod ab aliis populis fieri poteſt, credit: tamen beneficium, quod illi in Novum & inventum Orbem, quaſi ab humanitate derelictum & expoſitum, contulerunt, eſt omni illa gloria multo majus, omnibus illis ſpoliis & obventionibus ſublimius. Quemadmodum enim infantes, omnis intellectus & bonarum artium rudes, a parentibus fari, legere, ſcribere, res inter ſe diſcernere, & alia in hominum vita neceſſaria aut utilia diſcunt: ſic Americani & nove reperti Indi, quibuſvis elementariis indoctiores, ab alteris parentibus Hiſpanis inæſtimabilia bona, humanitatem, literas, pondera, menſuras, veſtimenta, vina, triticum; & qui eſt omni bono melior, omni magno major, & omnium rerum creator & pater, DEUM ipſum acceperunt. Nam ibi locorum CHRISTUS, & Chriſtianorum religio, ante Hiſpanorum adventum prorſus ignora-

Acoſta H. N. Ind. l. 4. c. 7.

M. Montaig. l. 5. c. 6.

gnorabatur: ut Hiſpani merito dicantur *Apoſtoli novi Orbis.* Sane qui primi illic vineam Domini excoluêre, hanc laudem ſoli poſſident in ſolidum, quod in ulla terrarum parte nemo unus tot hominum millia ſanctæ regenerationis aqua abluerit; quam ibi ſinguli: ut ex Patribus Franciſcanis *unus ſolummodo circiter quadringenta millia hominum ſacro fonte tinxiſſe* ſcribatur. Sicuti & *Ieſuitæ*, qui in Luſitania *Apoſtoli* appellantur, in Indiis Orientalibus ſpiritualem militiam eo cum fructu laudabiliter exercuêre, ut integra regna, quæ idololatris referta erant, expugnarint, & ad Chriſti ovile deduxerint. Viri equidem meritis maximi, extra Hiſpaniam non ita reperiendi. Vnde etiam intelligi poteſt, quam religioſi & literarum ſtudioſi ſint Hiſpani, *ingenii præſtantia cæteris Europæ populis ſuperiores*; quamvis & ingeniorum monumenta illud ipſum ingrato ſeculo cottidie non ſine ignaviæ exprobratione inculcent. Nam, ſi audire juvat *Theologos*; adſunt *Vigilantius*, *Idacius*, *Aquilius Severus*, *Prudentius*, *Oſius Cordubenſis*, *Avitus Presbyter*, *Marcianus*, *Paulus Oroſius*, *Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis*, ejuſq; filius *Dexter*, *Iuvencus*, *Aprigius Epiſcopus Pacenſis*, *Damaſus Papa*, *Audentius*, *Iſidorus*, *Iuſtinianus*, *Leander*, *Martinus*, *Fulgentius*, *Eladius*, *Eutropius*: & qui hiſce veteribus amplitudine meritorum æquandi ſint, *Dominicus Calaguritanus*, D. *Antonius de Padua*, *Alfonſus Carthagena*, ſtirpis Iudaicæ; quo aliquando Romam ituro, ferunt dixiſſe Eugenium IV Pontificem, *Si Alfonſus venerit, quo*

Bot in Relat. p. 4 l. 1.

Bod de Rep. l. 4. c. 1.

Alf Garſias Matamorus de Academ. Hiſp. Merul. Co. p. 1. l 2. c. 8.

I Mar. rer. H. l. 21. c. 6.

Pudore nos Petri sedem occupabimus? adsunt insuper *Alfonsius Spina, Ioan. Turrecremata Cardinalis, Alfonsius Tonstatus Abulensis Episcopus*, dignus fortasse, qui post quatuor Ecclesiæ Doctores cum Isidoro & Thoma de quinto loco certare potuisset. & adest quoque *Franciscus Ximenes*, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus; ille, *qui amplius sexaginta millia ducatorum in Complutensium Bibliorum editionem erogavit*; summus omnino vir, & felici sidere istis temporibus Hispaniæ datus, quibus singularis quidam & divinus in constituendis Academiis ardor agitaverat magnatum animos; cum tunc *Franciscus Alvarus Toletanam*; Magister *Rodericus a sancta Ælia*, qui dictionarium Ecclesiasticum composuit, *Hispalensem*; *Ferdinandus Talabricensis* Hieronymianus, primus ejus urbis antistes, *Granatensem*; *Mercatus* Abulensis Episcopus in mediis Cantabrorum montibus *Onnatinam*; in Bætica *Girohinus Vraniæ regulus Vrsaonensem*; *Alexander VI* Pont. Max. *Valentinam*; & magnus ille Ximenes *Complutensem*, erigerent. Adsunt itidem ex Theologorum ordine, *Hieronymus Osorius, Andreas Resendius, Ludovicus Legionensis, Garsias Loaisa* Archiepiscopus Toletanus, *Benedictus Arias Montanus*; (hic rara in hoc seculo benignitate, & magno posteris exemplo, Lipsium, non ut hospitem aut amicum, sed quasi filium, sæpius e Belgio in Hispaniam suamque domum invitavit, & se vivo rerum suarum consortium, mortuo successionem ex asse obtulit.) adsunt duo Dominicani lectissimi; *unus Ludovicus Granatensis*, sum-

Alv. Gom. de Fr. Xim. l. I.

A. Miræus in vita I. Lips.

summo ingenio & eloquentia vere ad pietatem nata præditus; alter *Franciscus Forerius* Olissiponensis, non solum scriptis editis, sed & Synodi Tridentinæ, cujus pars magna fuit, actione clarus; hoc uno infelix, quod in Lusitanico bello, cum alienus a Philippo commissas utrinque acies ad Almadam spectaret, & suos partim cæsos, partim in fugam versos videret, tam vehementi seu pavore seu mœrore correptus est, ut sella, in qua sedebat, præ indignatione eversa retro aversus supino corpore corruerit, & defixis in cœlum oculis obrigescens nulla voce emissa subito exspiraverit, haut multum sexagenario major. Th.H.l.70.
Adsunt & *Societatis Iesu* Theologi, *Franciscus Borgius*, Gandiæ Dux, & Societatis Præpositus Generalis; *Hieronymus Pradus quoque*, & *Iohannes Baptista Villalpandus*, laboriosissimis & elegantissimis in Ezechielem commentariis illustres; *Fr. Turrianus*, *Bened. Pererius*, *Franc. Toletus*, primus ex ea Societate in collegium Cardinalium a Clemente VIII cooptatus; *Ioan. Maldonatus*, o virum qualem! o quantum! qui cum ad exactum Philosophiæ & Theologiæ studium singularem pietatem, morum candorem & acerrimum judicium attulisset, Lutetiæ, ubi in Claromontana schola totos X annos professus est, unus in causa extitisse merito creditur; ut sodalitium illud toti Academiæ valde invisum, & alioqui jam prudentioribus suspectum, ob tanti viri gratiam ac commendationem a Senatu, apud quem lis adhuc indecisa pendebat, tam diu toleraretur. Th.H.l.70.

Ostendunt viri summi doctrinam eruditissima commentaria in IV Evangelistas Mussiponti edita, opera ac cura *Clementis Puteani* ex eodem sodalitio viri doctissimi; meliora & integriora multorum judicio futura, si superstite autore edita fuissent: quibus tamen si pari diligentia elaboratæ in Acta Apostolorum & Apostolicas Epistolas interpretationes, quas scripsisse illum constat, olim accedant, habebunt profecto omnes docti & pii opus paucis in hoc genere comparandum, & quod unum multorum instar esse possit. At quid unum & alterum, aut paucos Iesuitas commemoro? Adest totus eorum ordo, qui in Hispania natus, in vetere & novo Orbe jam *supra trecenta quinquaginta Collegia* juventuti instituendæ destinata habens, pomœrium regni Christi mirabiliter profert; in Indiis utrisque versatur; & in Japonia sola (quam *Anton. Mota, Franc. Zeimotus*, & *Ant. Pixotus*, ex eadem Sodalitate Patres, primum invenerunt; cum ex Sionis insulæ urbe Dodra Sinas peterent, pertinaci vento ad insulas Japonias abrepti, anno proxime elapsi seculi XLII^to^) præter alias vastissimas regiones, *ultra vicies centena millia* ad fidem Christi convertit, tresque regulos Japonenses, qui nationum suarum nomine superfluo quodam pietatis zelo Pontifici Romano se dediderunt, ante paucos annos Romam, ad insolitum spectaculum stupentem, deduxit. Male quidem audit hic ordo passim; atque ut *Hirsaugiensibus Palatinis & Schildanis Misnicis* ridicula quæque, & quibus audi-

I. Biderm. in mirac. B. Ign. n. 270.

Th. H. l. 11.

Cichocki in ana. Cõs. cont. Iesui.

Genebrard. Chronol. l. 4.

audiendis vel ἀγέλαςος ille Craſſus in cachinnos ſolveretur, imputari ſolent: ita vix tam horrenda ſcelera in Republica perpetrari poſſunt, in quorum conſcientiam Jeſuitæ non arceſſantur. Sed qui poſſim non ſentire melius de Jeſuitis, ad quos convolat ex omnibus mundi plagis melior & nobilior juventutis pars? quibus Henricus IV Rex Galliæ prudentiſſimus, cum eos viros probos, bonos, & doctos, adeoque Timotheos in domibus, Chryſoſtomos in cathedra, Auguſtinos in diſputationibus, & omnino alios eſſet expertus, quam antea fama vel livor, deſcripſerat, & ipſe crediderat, non ſolum honorem & bona reſtituit, multa nova beneficia conceſſit, ſed & illis denique *cor ſuum dedit legavit*. Ex altero ſexu hic quoque memoranda occurrit *Tereſia* Abulenſis, illa vere magna & vere admiranda. Hæc ætate jam grandior Monaſticem amplexa, ac demum auſterioris vitæ cupida, ſupra muliebrem naturam, ſupra vires ac conditionem ſui ſexus ſe extulit. Plurimis namque Monaſteriis per Hiſpaniam excitatis primævam ſui ordinis diſciplinam adeo fauſte inſtauravit, ut non modo virgines innumerabiles, ſed viros quoque doctrina & ſanctitate eximios ad imitationem pellexerit, atque ad cœnobia arctioris inſtituti condenda permoverit. Fuit autem progreſſus tantus, ut Congregatio a Sixto V Pontifice in provincias quinque per Hiſpaniam diſtributa, & poſt a Clemente VIII proprium nacta fuerit Præfectum Generalem; ſacræ iſtius

P.Matth. in Paneg. H 4. LeMerc.Fr. l. 6.

A. Miræus de vita Alberti Pr. Bel.

militiæ ſignis inde in Occidentalem Indiam & Italiam, hinc in Sarmatiam ad Septentrionem, in Indiam Perſiamque ad Orientem, & poſt in Galliam Celticam ac Belgicam feliciter prolatis. Si vero auditores, *Iuriſconſultos* Hiſpanos in conſilium vocare lubet; venient *Calixtus III Papa, Fortunius Garzia, Did. & Ant. Covaruviæ, Martinus ab Aſpilcueta* doctor *Navarrus* dictus, (qui ſummæ doctrinæ ſummam integritatem miſcuit; quod duobus maxime illuſtribus exemplis manifeſtum fecit. Nam *Bartholomæum Carançam* Archiepiſcopum Toletanum, ſectariæ labis poſtulatum, & propterea Philippo II Rege permittente Romam ductum, Navarrus veteris amicitiæ memor quanquam octogenario proximus comitatus, atque ejus innocentiam Romæ conſtantiſſime tutatus eſt. Deinde etiam, Carolo V Cæſare & Philippo ejus filio aliquoties de Navarræ regni ut injurioſe occupati reſtitutione, aut idonea compenſatione danda deliberantibus, Navarrus ſuper ea re conſultus, ipſis ut id facerent, ſi ſuæ conſcientiæ ſatisfactum vellent, auctor fuit.) *Ant. Auguſtinus, Arius Pinellus, Ferd. Vaſquius, Ioannes & Franc. Vergaras, Emmanuel Soarez, Did. a Segura, Io. a Villalobos, Alvarus Valaſcus, Io. Gutierez, Ant. Goveanus,* (de quo Cujacius teſtatum reliquit, illum ex omnibus juris Juſtinianei interpretibus ,, quotquot ſint, aut fuerint, unum eſſe, cui, ſi quæratur, quis excellat, palma deferenda ſit) & alii longa ſerie alibi dicendi. Sin *Medicos* videre animus eſt; appa-

Th. H. l. 24. [margin note beside "xemplis manifeſtum fecit"]

Th. H. l. 38. [margin note beside "quo Cujacius"]

apparebunt *Rasis*, qui septuaginta ante Avicennam annis floruit, & cunctorum ante se scriptorum commentarios collegit; *Zourus*, qui cognominatus est sapiens; *Avicenna* Cordubensis, & ut quidam tradunt Hispalensis, ac Bithyniæ Rex; & *Averroes* implacabilis Avicennæ æmulus: etiam *Arnaldus Villanova*, quem singulari artificio quibusdam in vase medicamentis hominis corpus efformasse, sunt qui affirmant; vero an mendacio, disputare non est necesse: item *Abiabar* Judæus Ilerdensis, qui Astrologiæ aptans regulis Medica scita Aragoniæ Regi (res miraculo comparanda) visum restituit: nec non *Pet. Nonius*, *Amatus*, *Christophorus a Vega*, *Andr. Lacuna*, *Garzias ab Horto*, *Franc. Valesius*, & qui non? Sin cum *Philosophis* & reliquis bonarum literarum sacerdotibus placet colloquium; se sistent *Seneca* Philosophus, qui morali sapientia superavit

τοὺς ὄντας, τούς τ' ἐσσομένους, καὶ τοὺς πρό τ' ἐόντας:

Seneca Rhetor (cujus memoria in miraculum usque processerat: cum duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referre; & ab his, qui ad audiendum præceptorem convenerant, singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitare posset) *Lucanus*, *Silius Italicus*, (cui tamen alii non Hispaniæ Italicam, sed Italicam Italiæ faciunt natalem.) *Martialis*, *Porcius Latro*, *Columella*, *Fabius Quintilianus*, *Pomponius Mela*, *Justinus*; *Alfonsus Rex Castel-*

Matam. d. l.

Marian. rer. H. l. 14. c. 9.

& l. 23. c. 12.

Lips. St. Philos. l. 1. diss. 18.

l. 1. Contr. in pr.

Cl. Dausq. Comm. in Sil. l. 1 p. 2. & seq.

la, cujus ſunt tabulæ Alfonſinæ; *Henricus, Infans Portugalliæ*; *Raymundus Lullus*; (qui popularibus tanti eſt, ut illum pro Ariſtotele juventuti interpretentur) *Ælius Antonius, Ludov. Vives, Io. Gelida, Lud. Catena, Io. Petrejus*, (quem Alf. Garſias Matamorus ita laudat, ut fingat, Ciceronis maneis impetraſſe præmaturum Petrei obitum, ne ſi diutius ille vixiſſet, inventus eſſet aliquis, qui Eloquentiæ laude par Ciceroni eſſe potuiſſet.) *Ferd. Nonius, Franc. Salinas, Ant. Perezius, Pet. & Alfonſius Ciaconi, Ambroſius Morales, Hieron. Surita, Alvarus Gomecius, Hieronym. Munoſius, Petr. Teixera, Io. Barroſius* Indica hiſtoria, ſumma fide conſcripta, bene de ſuis & omnibus, qui harum provinciarum fama tantum olim notarum cognitione delectantur, meritus; & *Aloyſia Sigæa*, virgo Toletana, quæ linguarum quinque adeo fuit perita, ut Paulus III Pont. Max. literas illius ad ſe ſcriptas videns Latine, Græce, Hebraice, Syriace, & Arabice, admiratus fuerit in tenella & muſtea virgine tam multiplicem ingenii fructum, in viris etiam rarum; & alii docti Hiſpani ſexcenti, quos

Non. i 1 H. c. 95.

Th. H. l. 64.

Non. in H. c. 59.

aget penna metuente ſolvi
fama ſuperſtes.

Quod igitur Auſonius de Cæſare Auguſto amplificatione poetica cecinit; id nos de tota Hiſpania nullo placendi ſtudio, & pro rei magnitudine parce ſatis, ita effari poſſumus:

Bellandi fandiq; potens Hiſpania *honorem*
bis meret; ut geminos titulos, qui prælia Muſis
tempe-

temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem
arma inter. quantum cessat de tempore belli;
indulget Claris tantum inter castra Camœnis.

Verum enimvero Hispanici Imperii magnitudo me remoratur; & cum sit supra tenuiter adumbrata, jam comparationem subire gaudet. Extra aleam quidem est dubitationis, a condito mundo nulli Imperatorum, Regum, vel Principum, majus imperium obtigisse eo, quo Philippus III Hispaniarum & Indiarum Rex hodie potitur: sed rem certius definivero, si dicam, *Philippi imperium decuplo esse majus quam sit Turcarum Imperatoris*; qui tamen tenet in *Europa* meliorem Hungariæ partem, Bosniam, Serviam, Bulgariam, Macedoniam, Epirum, Græciam, Peloponnesum, Thraciam, Archipelagum cum suis insulis; in *Asia & Africa* id omne, quod ab oppido *Belis de la Gomera* ad Alexandriam Ægypti; a Bugia ad Guargalam; ab Alexandria ad civitatem Siene; & ab Heroum urbe, quæ nunc *Suez* vocatur, ad Suachem usque est: aut si dicam, *Romanum imperium quando vel maximum fuit, Hispanico minus fuisse.* Imp. Trajanus possedit *in Asia* Colchidem, Iberiam, Albaniam, Pontum, Bosphorum, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæstinam, Ciliciam, Pamphyliam, Lydiam, & Asiam totam minorem; *in Africa*, Ægyptum, Cyrenaicam, Marmaricam, Gætuliam, Africam propriam, Numidiam, Mauritaniam; *in Europa*, Italiam, Hispanias, Gallias, Inalpinos, Rhætiam, Nori-

F. Vasq. in præf. ill. Cont. Canonher. ad Tac. Boter. in Rel. p. 2. l. 4. Cervera de Tur. l. 2. c. 5. de felic. exc. Ph. 2. Bod. de Re. l. 2. c. 2.

Lips. de M. Rom. l. 1. c 3.

cum, Illyricum, Macedoniam, Epirum, Græciam, Thraciam, Mæsiam, Daciam, Pannoniam: Sed Philippus III Hispaniarum Rex hodie dominatur multo latius, ut quocunque se die nocteque sol vertit *nunquam in Philippico regno cernat occasum*, adeoque semper terram regiæ ditionis aliquam collustret; nullo Cæsarum aut Regum præsentis ævi aut præteriti exemplo. Neque crediderim ex alia causa Reges Portugalliæ, quorum potentia omnis hæreditario jure ad Philippum II Hispaniarum Regem transiit, *sphæram mundi* insignibus suis conjunxisse, quam ut ostenderent, ipsorum imperium in omnes mundi partes, in Ortum & Occasum, in Meridiem & Septentrionem extendi. Nam ex CCCLX gradibus, quibus orbis terrarum describitur, Portugallia *ducentos* usurpat: ut jam dicere liceat;

I. B. Villalpand. Præf. in Ezech. p. 7.

P. Matth. in hist. H. 4 l. 1. n. 4.

Iuppiter in cælis, in terris regnat Iberus:
divisum imperium cum Iove Iberus habet.

Nihil hactenus Auditores, quam Hispanica audivistis miracula: sed primum mihi omnium est miraculorum; tantum imperium, aut potius, tantum tot imperiorum corpus, tanta prudentia & felicitate gubernari. Nam præterquam quod inter Regem & subditos ea est in imperando & parendo harmonia suavissima, ut neque ille de istorum contumacia & inobedientia; neque isti de illius inhumanitate & contra libertatem præsumptis molitionibus juste conquerantur, & verissime *Rex Hispaniarum, non Rex asinorum, ut Gallus; non Rex diabolorum, ut Britannus; non Rex* Re-

Regum, ut Imperator; sed sit Rex hominum: quod Imperatorem aut Regem quempiam aliquando dixisse memini: hoc tamen fato quodam Hispaniæ videtur esse factum proprium, ut illa sit

Principibus fœcunda piis. ——————— Claud. in laud. Seren.

——————— *Fruges, araria, miles,*
undique conveniunt; totoq; ex orbe leguntur.
Hæc generat, qui cuncta regant.

Cedant itaque huic terræ, terra Cretensis, parvi Jovis gloriata cunabulis; & geminis Delos reptata numinibus; & alumno Hercule nobiles Thebæ: una Hispaniæ *Italica*, quæ multorum opinione hodie est *Sivilla la veja*, multò maximorum Deorum ortu est felicior. Hæc enim dedit Imp. *Trajanum*, sub quo Imperium Romanum fuit florentissimum, & qui ea gloria vitam transegit, ut posteris Imperatoribus in Senatu non aliter fuerit acclamatum, nisi, *Felicior Augusto, melior Trajano*; & Plinius in Panegyrico post accumulatas summas laudes tandem in hanc amplificationem cum impietate conjunctam solverit linguam; *Nihil felicitati Rom. Reip. astrui posse, nisi ut Dii Trajanum imitentur*; Hæc dedit Imp. *Hadrianum*, literatissimum, humanissimum, laboriosissimum; qui omnes pene partes orbis nudo capite, & in summis plerunque imbribus ac frigoribus peragravit: Hæc dedit Imp. *Theodosium I*, moribus & vultu & successu rerum Trajano similem; qui labentem Remp. in pristinas vires restituit; & Imperium, quod otio & negligentia trium Principum consenuerat, rejuvenescere fecit.

Non. in H. c. 17.

Eutrop. in Breviario.

Cusp. in Hadriano.

Pomp. Lætus, in Theod.

A. Gomec. de Xim. l. 3. Sig. a Sar. in Orat. fun. Frid.

cit. *Complutum* etiam priori ſeculo dedit Imp. *Ferdinandum I*, & dedit perilluſtri cum fœnore; cum ex hac cauſa, quod tantus Princeps ibi natus eſſet, perpetua vectigalium immunitate fuerit donatum; Republica Complutenſi in hunc uſq; diem ad beneficii impetrati monumentum Ferdinandi cunas & crepundia ſervante. Et fuit Ferdinandus ille Princeps prudentia, juſtitia, liberalitate, manſuetudine, aſſiduitate, vigilantia, nulli ſecundus; in quo ſupra eas omnes virtutes, pietatis & pacis in domo DEI conſtituendæ præcipuum ſtudium erat. Sed Hiſpania illos Imperatores omnes dedit nationibus aliis. Quid dedit ſibi? Dedit & ſibi, Auditores, numero plurimos; bonitate optimis, rerum geſtarum magnitudine maximis æquales, ſæpe ſuperiores: quorum tamen omnium opes, potentiam, virtutes, cum propriis decoribus mirifice copulavit PHILIPPUS II, vir non ſeculi ſui, ſed omnis ævi prudentiſſimus: quem paulo accuratius, quæſo, contemplamini mecum. Quæ enim illius fuit cautio in adminiſtratione Reipublicæ? In officiorum diſtributione circumſpectiſſimus & ita erat moderatus, ut quantumvis multos ex magnatibus impenſiſſime amaret, tamen non niſi idoneis, ſicque pro ſingulorum meritis munera concederet: cum ſciret, honores in homine inepto, ut cibos delicatos in malo ſtomacho corrumpi; nec cujuſlibet eſſe, magnam fortunam concoquere. Et ut omnia præclara ingenia ſibi devinciret magis, quoſcunque literis aut armis incly-

Th. H. l. 36. N. Iſthuanf. H. l. 21.

P. Matth. in hiſt. H. 4. l. 1. n. 4.

inclytos præmiis mactabat. Non enim sartorem pro Feciali, tonsorem pro Legato, medicum pro Cancellario habebat, quod factitatum a Ludovico XI Galliarum Rege, homine sordidissimo; qui idem ad ludibrium usque abjecte vestiebatur, pileo præpingui imagunculis plumbeis & cochleis squalenti, vesteque lanea vilissimi pretii ac tetrici coloris utens; cum in publicis rationibus exstent duo capita; quorum altero XX asses expensi feruntur, ut thoraci regio brachialia nova consuerentur; altero denarii XV. pro axungia ocreis regiis inungendis: altiori cothurno incedebat Philippi prudentia. Quodq; in illo summopere laudandum: nihil in Reipublicæ gravioribus negotiis tentabat unquam, quod *Consilio*, quod appellabat *Conscientiæ*, examinandum prius non proposuerit: quod ei maximo sæpe cessit lucro & commodo. Cumprimis autem in acquisitione regni Lusitaniæ multa modestiæ hujus suæ dedit specimina. Extincto enim Sebastiano Rege in bello Mauris temere facto, & postea etiam Henrico Rege mortuo, plures erant candidati, qui Lusitaniam ambibant, suis quisque titulis: *Philippus Rex Hispaniarum, Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, Ramutius Farnesius Alexandri Parmæ Ducis filius, Ioannes Dux Bragantiæ, Antonius nothus Prior Cratensis, & Catharina Medicea Galliæ Regina.* Vnde factiones, dissidia, & denique arma. Philippus legationibus quam legionibus rem conficere mavult, a vi adeo alienus, ut Antonium in quodam cœnobio

Cominæus Comm. l. 3. Bod. de Re. l. 6. c. 2.

H. Conest. l. 3. de Port. & Cast. cōj.

bio

bio latitantem, quamvis facile potuerit, tamen inde extrahere, & in illo velut torre extinguere incendium surgens noluerit; etiam Ducis Bragantiæ filium a Mauris captum per legatum suum redimi curaverit; eundemque cum retinere posset, contra aliorum opinionem liberum dimiserit. Ideo jus suum ante omnia d sputari a Theologis & consultis ejus facit, deque eo certior copias postea promovet. Jam vero in limite erat Lusitaniæ, & mora noxia; moratur tamen ille iterum, iterumque peritos convocat, & per DEUM & Fidem obtestatur, liberis vocibus sensibusque edicerent, ecquid juris sui esset: hoc non cupere se modo, sed jubere. Omnibus uno ore jus affirmantibus; tum demum Albanus invadit, & brevi tempore Lusitaniam totam subjicit, uno prælio Antonio, qui regem se ferebat, pulso. Cumque inter Academias Hispanicas, quarum *Salamanticensis* illustrissima, *Complutensis* religiosissima, *Ilerdensis* frugalissima est; in regno Portugalliæ *Conimbricensis*, maxime florens studiis; jus Regis Philippi verbis & scriptis obstinatissime impugnasset, & quidam auctotes essent illius, tanquam tumultuum seminarii, & in qua IV cIↃ juvenum quasi jurisdictione regia solutorum libere vagarentur, exstirpandæ: Rex tamen, & innata clementia & causæ suæ fiducia impulsus, non tantum Academiæ antiqua jura, privilegia, ac libertates servavit; sed etiam eos Doctores, qui contra ipsum legerant aut scripserant, dissimulata generose injuria fovit, & præcipuo favore prosecu-

Lips. in Mo: Pol. l. 2. c. 3. Conest. passim. Camb. in. Ann. Ang. A. Ch. 1581.

Conest. l. 8. Thu. H. l. 73.

secutus est, confirmatis & auctis stipendiis. At vero qui Philippi amor fuit in Rempublicam? *Ingens est gloria Principis, Rempublicam magis amare, quam filios.* Philippus profecto ita amavit, Auditores. Erat illi filius unus & unicus *Carolus*, qui more Gallieni *censuram parentis ferre non poterat, votivumque illi erat, ut imminentem cervicibus gravitatem paternam non haberet.* Et quidem Carolus insidiarum suspicionem patri non vanam pepererat: cum non solum sclopetulos binos summa arte fabricatos femoralibus gestaret, sicque somnum caperet, ut sub pulvillo duos gladios strictos & totidem sclopetos ad displodendum paratos semper disponeret, item in arca asservaret duos majores sclopetos pulvere & glandibus oneratos; verum etiam sacerdoti confessus esset, habere se in animo quendam occidere, & hac de causa Absolutionis repulsam passus ab eodem petiisset, ut sibi saltem ad publicam offensionem vitandam panis non consecratus coram populo traderetur. Philippus hæc & alia omnia edoctus, filii conatus antevertit, & ipsum redigit in potestatem; mox S. Inquisitionis Senatui facinus filii detegit, & ab eo exquirit, quomodo sit animadvertendum. Senatus censet, cum Rex per clementiam ignoscat illis, quos amet minime, non posse eum non ignoscere illi, quem inter omnes homines debeat amare maxime: & addit preces, ut Caroli Magni imitari velit exemplum, qui filium Pipinum gibbosum, ob initam conspirationem extrema meritum venia digna-

Fl Vopisc. in Tac.

Treb Pollio in Gall.

Vide Thu. H. l. 43 P. Mat in hist. H. 4. l. 1 n. 4. *G. B. Adrianella Storia. l. 10.*

dignatus est, sed ad nequitiam denuo prolapsum monasterio inclusit. Sed Rex respondet; ex naturæ lege se plus filium, quam semetipsum diligere, ex lege vero DEI salutem populi filio, & publicam charitatem privatæ antehabere;

Seneca in Troade.

(*præferre patriam liberis, regem decet*;)

simul quærit, num illæsa conscientia filio criminum gratiam facere, nec tamen miseriarum, quas forte clementia sua in Repub. creaturus esset, accusari queat. Theologis ad hanc inopinam quæstionem nutantibus, & invitis quamvis dicentibus, *salutem populi filii incolumitati præponendam, multaq; ingeniis donanda, sed donanda vitia, non portenta esse*; Rex tandem omnino illis Carolum submittit, hoc procedendi ordine præscripto; in negotii totius disceptatione regiam authoritatem suam non plus æstimarent, quam subditorum vilissimum, & filium Carolum non aliter, atque si ipsemet Rex esset, respicerent, donec criminis enormitas talem respectum non rejiciat: & præcipue animo memori repeterent, ipsos gerere imaginem judicis illius, qui Angelos judicaverit, & olim sine discrimine Reges terrarum & Regum filios, uti alios homines, sit judicaturus. Ita Inquisitionis Senatus judicium tulit, mortisque sententiam dixit; & Philippus pater subscripsit, DEUS bone! quos conflictus sustinuerit, dum sententiam signabat, & affectus paternos catenis justitiæ ligabat? dum semetipsum in sententia de filii capite lata condemnatum sentiebat? Pater erat: nunquam hi

Seneca 10. Controv.

affe-

affectus in tantum vincuntur odio, ut non ad naturam suam tandem revertantur. Sed debuit patrem exuere, ut pater patriæ, ut verus & justus Rex esset. Ita Carolus, cum sibi sæpius parricidales manus inferret, sed sine successu; tandem vim ultimam tanquam reus damnatus passus est: ita sol novus, quem Grandes Hispaniæ jam adorabant, cum totius Europæ stupore, in ætatis Oriente occidit, plurimis simul ad istud Bonæ spei caput naufragium facientibus; anno Christiano, quem vates e bicipiti Parnasso prædixit isto versiculo, A. Ch. 1568.

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos. Ovidius.

Sed quid dicam de Philippi pietate? Quæ tanta erat, ut Paulus IV Pont. Max. moriens dixerit, A. Ch. 1559. se DEUM vocantem æquo ac propenso animo sequi, præsertim cum Philippum Catholicæ fidei defensorem a DEO datum relinqueret; quo vindice Remp. Christianam quantumvis adflictam Th. H. l. 23. recreari, & in pristinum statum restitui posse minime dubitaret: & Gregorius XIII pro salute sua Romæ preces concipi audiens, liberum hoc ad familiares protulerit verbum: *Vitæ meæ prolongatio parum potest Ecclesiæ conferre utilitatis; siquidem Pontifex me melior facile habebitur: sed orate pro incolumitate Hispaniarum Regis: illa universo Christiano orbi est necessaria.* Non nescio, P. Matth. in hist. H. 4. l. 2. n. 4. Philippum a Protestantium orthodoxa doctrina fuisse alienum; atque utinam non fuisset! ille tamen suæ Pontificiæ religionis propagandæ fervor satis indicat, in eo pietatem altissime radices

egiſſe, admirabiles allaturam fructus, ſi præſcripta tot ſeculis ſuperſtitione non fuiſſet impedita. Conſtantia ejus & Patientia Chriſtianiſſimum animum pulcherrime produnt. Erat extra aut ſupra adfectus; non gaudio, non dolori pervius; vultu æquabili; nec ſpe, nec metu fractus. Quando enim curſor lætum attulit nuncium de victoria Lepantina, cognito pugnæ navalis ordine & ſucceſſu, ſine ullo lætitiæ ſigno frigide ſubjiciebat: *D. Ioannes multum periclitatus eſt.* Et quando curſor alius mœſtum attulit nuncium magnæ illius claſſis in mari diſſipatæ & perditæ, nihil commotus dicebat; *contra homines, non tempeſtates claſſem ſe emiſiſſe.* Morbos tulit ſæviſſimos, & quidem extremum pedicularem paucis hominibus communem: ſed pertulit tanta conſtantia & animi præſentia, ac ſi dolores, impatientia, & quicquid ſatellitii ſecum invaletudo alias ducit, ad ſe nihil pertinerent. Voces etiam tum quaſi ex oraculo effabatur, quibus ſub exemplo ſui præclare filium & filiam admonebat, ut reputarent animo rerum humanarum inſtabilitatem, ac miſerrimam vitæ conditionem. Cum enim accitu ejus adſtarent ægro, *En*, inquit, *adſpicite in hoc afflictiſſimo corpuſculo, quam tenui filo pendeat pompa & ſplendor magnitudinis terrenæ! de vita mortali quidem actum eſt, ilicet: ſola ſepulchri cura reſtat, & ſupremus honor exſequiarum*: de quo multa ſigillatim & curioſe præcipiebat, ita ut de ſuo ex hoc mundo egreſſu non aliter, quam de magnificentiſſimo

D. Baud. in N. ad Poem. Cervera de Tur. de exc. Th. II. Hiſp. Reg.

mo in primariam Hiſpanici imperii urbem & triumfali ingreſſu, atque de ſepultura veluti de regia inauguratione diſſereret. Et ut aſſidua mortis commentatione firmaret ſe ſe adverſus imminentem metum, juſſit pheretrum, quo componi corpus defuncti oportebat, in conſpectu ſuo collocari; coronamque, regium capitis decus, una cum mortui calvaria ſuper imponi; non abſimili ritu, quam quo veteres Romani triumfantibus adjungere ſolebant infimæ conditionis hominem, qui eodem curru vectus identidem inculcaret, HOMO ES, HOMINEM TE ESSE MEMINERIS. Quid vero denique de Philippi majeſtate dicam? Illa ut familiaritate nimia in contemptum, ita ſeveritate nimis auſtera in odium abire ſolet. Sicuti Fridericus Vrbini Comes tam erat comis, ut obvios quoſcunque compellaret, & pileum quaſi continuo manu teneret; ab Octaviano Vbaldino neceſſario ſuo propterea dicterio petitus, qui, ſi quando hominem valde negotioſum & feſtinantem conſpiceret, eum *Comitis Friderici pileo occupatiorem* eſſe dicebat. Et Turcorum Sultanus Bajaſites I ita erat rigidus, & præcipitis ſimul iracundiæ atque implacabilis, ut conſiliarii ejus percuſſi formidine, humi dejectis oculis ne mutire quidem auderent; capitali proinde, eique juſtiſſimo & communi omnium odio ſubjectus tyrannus. Philippus vero noſter ita erat familiaris, ut autoritatem & gravitatem nunquam exueret; ita ſeverus, ut clementiam non deponeret. Amoris

C. Ens Epiſt. dorp. l. 1.

Leuncl. H. Turc. l. 6.

R 2 admi-

admirabile est, illum perpetuo fere in Escuriali suo inter amicos diversantem, calamo tamen plus sibi venerationis apud omnes subjectos in tam dissitis locis parasse, quam si multis legionibus armatus semper terrorem secum circumtulisset: adeo ut unicus ab illo in provincias missus homuncio regio mandato & membrana instructus plura effecerit, quam in aliis imperiis multa militum millia & multi auri milliones expedire potuissent? Annon stupendum auditu est, illum, cum ducem Albanum tot adoreis illustrissimum, potentia etiam & ætate magnum Ducem, quia is Friderico filio e Tordesillarum carcere (in quem conjectus fuerat, quod data fide, de quadam Nobili virgine e Gynæceo Elisabethæ reginæ in uxorem ducenda, eam stuprasset) evadendi dederat consilium, simulque Albæ Mariam Garsiæ Toletani filiam uxorem ducendi consensum impertierat, Vzedam ad vitam quasi deportasset, eidem, licet jam Lusitanicæ expeditionis summo præfecto, veniam tamen in aulam veniendi & regiam manum deosculandi, quod summæ gratiæ loco petebat, denegasse; ut Albanus ad exercitum proficiscens dixerit, *se catenis & compedibus vinctum a Rege ad acquirenda regna mitti?* Quid multis? Rex Philippus, & reges Hispaniæ omnes, facinorum miraculis & operibus immortalibus demonstrant: nihil eorum virtuti esse reliquum, quod effectum dare non possint. Et quemadmodum DEUS, si ædificat, condit mundum; si irascitur mundo, diluvio absorbet mundum

P. Matth. in hist. H. 4. G. R. l. 1. n. 4.

Conestag. de Port. & Cast. conj. l. 4. Thu. H. l. 69.

dum; si mundo gratiam confert, filium cruci & morti tradit pro salute mundi; si præmia distribuit mundo, dat paradisum; si arma induit, angeli aciem ducunt, elementa in hostem irruunt, nubes de die, columnæ de nocte præeunt, maria ad transitum se findunt, sol ipse stat immotus, ut victorias illuminet: ita, si modo infiniti cum finito est aliqua comparatio, possit dici de Hispanis; illos ad magna tantum natos, & magna tantum patrare; & quando ædificant, tunc illos extruere palatia San-Laurentiana, templa Hispalensia, & talia; quando irascuntur, tunc illos Maurorum & Judæorum sordes omnibus regnis pellere; quando Reipublicæ incolumitati consulunt, tunc illos filiorum charitates saluti populi postponere, & pro Republica devovere; quando præmia exolvunt, tunc illos restituere Muleassem Tuneti, ex Præceptoribus facere Papas & Hispaniæ Primates; quando vero arma sumunt, tunc illos novos Orbes, Reges Mexici, Peruviæ, Galliæque, & Principes Germaniæ capere, Turcas in fugam vertere, inter spolia autem totas classes auro argento & margaritis plenas domum reducere, tormenta captiva Mediolani, Neapoli, in Indiis, & alibi ostendere, & denique toti Orbi tacitam vel subjectionis vel imparitatis confessionem extorquere.

Hadr. VI Papa fuit Præceptor I. Caroli V. & Io. Mart. Siliceus, Primas Hispaniæ, fuit Præceptor Ph. II. Hisp. R.

Quare, charissime mi frater, FRIDERICE ACHILLES, sicuti aliis Europæ provinciis suas & proprias laudes non subduco; & nulla non peculiari quadam prærogativa lætatur: ita

cum videam & ſciam, Hiſpaniam inter omnes ſolium gloriæ occupaſſe, & nulla tanta ſit in orbe poteſtas, quam majeſtas illius & meritorum amplitudo fulgore & lumine ſuo non hauriat, lubens merito eidem ſuffragio meo decerno principatum.

PRINCEPS
FRIDERICVS
ACHILLES, &c.

ET TUAM SENtentiam, cognate perdilecte, D. RUDOLFE MAXIMILIANE, *Dux Saxoniæ, perquam audire aveo.*

ORA-

ORATIO
RVDOLPHI MAXIMILIANI,
DUCIS SAXONIÆ,
Angariæ, & Westphaliæ &c.
contra
GALLIAM.



Iderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
stare urbem, & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Iuppiter arceis
objice, & illa tui mœnia Martis, ait:
Sic pelago Tibrim præfers. Vrbem adspice utramq;
illam homines dices, hanc posuisse Deos.

Hoc perelegans hexastichon cum in Venetiarum urbis honorem & gloriam condidisset Actius Syncerus Sannazarius, Poeta Maroni

——Musa proximus, ut tumulo: P. Bemb.

S. P. Q. Venetus, carminis acumine & venustate oblectatus, Poetæ in grati & benigni animi signum pro singulis versibus singulos centenos aureos liberaliter donavit. Multo vero merita tua, *cognate Princeps, Ioachime Erneste, Dux Slesvici-Holsatiæ,* in Galliarum regnum sunt majora; qui, quicquid laudabile in imperium aut popu-

Fr. Schot. & H. Capu. in Ital. itin. p. 1. I. B. Crisp. in vita Sannaz.

lum dici poteſt, id ſingulari quadam adſectus benevolentiſſimi ubertate omne in Gallos prodegiſti: ut vel ob hoc unum beneficium proprie Gallicum a Rege inter Conchiliatos Equites San-Michaelios, & Regni Pares, eſſes connumerandus. Sed omiſiſti unum, quod omittendum non erat; & quod Joan. Bodinus contra Ariſtotelem negantem, excandeſcens & totus in fermento, Galliæ ſuæ fortiter ibat aſſertum; ita conqueſtus: *Neque tamen verum eſt, quod Ariſtoteles ſcribit; nullos in Gallia Hiſpanis proxima aſinos reperiri; cum tota fere Gallia, ac potiſſimum in agris Andium* (Bodinus autem eſt Andinus) *& Arvernorum robuſti ſint aſini; unde muli prægrandes ac robuſtiſſimi naſcuntur.* Tanti ſcilicet Bodino eſt patriæ caritas, ut etiam ab aſinorum majeſtate illius ſupremum præconium mutuetur. Potuiſſet addere, in Galliis lepores quoque permagnos eſſe: ut Varro jam olim annotavit. Quid vetat in gratiam Bodini par verſuum proludere?

In theat N. l. 3.

Ariſt. de H. anim. l. 8. c. 28. ἐν δὲ τῇ Σκυθικῇ καὶ Κελτικῇ ὅλως οὐ γίγνονται δὲ ὄνοι.

de re R. l. 3. c. 12.

Ita fere Beza in Ponticum.

Dum laudas aſinos patriæ, Bodine, quid erras?
Ignotumne tibi γνῶθι σεαυτὸν erat?

Extra jocum: Bodinus immoderato patriæ amore cæcus, in eodem luto hæſitat cum illo ſtulto; qui, quoties aliarum civitatum referri encomia inaudiret, hactenus ea admittebat, ut ſemper patriam ſuam præferret; & cum aliquando etiam fatuorum fieret mentio, nec ille patriæ gloriam obſcurari patiebatur, in hæc verba prorumpens: *Quid illi illepidi? Non enim præſtantiores uſpiam ſunt fatui, quam in mea patria.* Atqui omnem Gal-

liæ felicitatem esse personatam & bracteatam tantum, intus contemptibilem si despoliaveris, nunc jam liquidum & sic faciam planum, ut te, *Princeps Ioachime Erneste*, pœniteat sententiæ tuæ, & collegæ nostri intelligant omnes, Galliam, quando abest proxime, tum valde procul adhuc distare a fastigio quæsiti primatus. Multa per noctem habita terrori, dies vertit in risum. Ideo equum empturus, solvi jubet stratum; siquidem ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt; cum mangones, quicquid est quod displiceat, aliquo lenocinio abscondant: Sen.Ep.80.

Regibus hic mos est, ubi equos mercantur, apertos inspiciunt: Horat. Sic nos de Gallia judicaturi, prius ei demamus personam; & deprehendemus, multum mali sub illa latitare. Nisi mali nimium est, aut si quod nimio exuperantius malum esse potest; quod Gallia in Furiarum vinculis jam animam agit, & postremas exspectat dapes. Quod capitale periculum vir Gallus, sed Gallia sua melior; qui dum cæteri proceres ac belli duces Galli, sive ævi sive aulæ vitiis corrupti, gentis suæ existimationem decoquerent, unus antiquum Gallici nominis decus innocentia vitæ, fortitudine, astricta militari disciplina, ac prudentia, quæ cunctæ simul in eo virtutes incomparabiles & sine fuco fuerunt, domi forisque assertum conservavit; capitale, inquam, periculum *Fr. Lanovius* prævidit, & patriæ suæ imminentem πανωλεθρίαν intimis & justis singultibus deflevit. Quemadmodum enim aqua torrens de- Th. H.l.46. Lan.Disc.1.

fluit ſemper; nec curſum ſiſtit, niſi quando fluvii aut maris ſepulchro excipitur: ſic Galli enormium vitiorum Rhodano abrepti certatim præcipitant in abyſſum perditionis. Ecquæ autem illæ ſunt Furiæ, quæritis? Lanovius ingenue commemorat: & profitetur, IMPIETATEM, quæ conſcientias; INIUSTITIAM, quæ communem hominum ſocietatem; & DISCIPLINÆ CORRUPTIONEM, quæ familias perpetuis fidiculis excarnificat, hodie in Gallia regnum obtinere, & interitui illam conſtituere vicinam, mox cadaver futuram, niſi divinum numen dexteram ſalutis clementiſſime porrexerit.

IMPIETATIS autem Gallicæ Tragœdiam ſpectabat nuper cum horrore mundus univerſus; qui munerarios ſive editores tam execrabilium ludorum unanimi omnium bonorum conſenſu æterna infamiæ nota condemnavit. Quæ enim gens tam fuit temere ſuperſtitioſa unquam, aut tam religioſa crudeliter, ut conſanguineos ac fratres ſuos, ſecum eundem DEUM adorantes, eundem Salvatorem Chriſtum venerantes, quia tantummodo opinionibus alicubi ſcindebantur, tanquam fœdiſſima carcinomata e corpore expunxerit? Parum nempe erat, prætextu Religionis Religionem ipſam, & cum Religione DEUM in crucem agere, in exilium pellere, charitatem & fraternum amorem in immanem tigridis furorem convertere, purpura ſanguinis Proteſtantium & innocentium (heu quot myriadum!) campos & flumina inficere; niſi ad tantorum

torum malorum Iliada accessio fieret *Conjuratio San-Bartholomaana*, omnium scelerum & flagitiorum panthera: cujus memoriam Chr. Thuanus, Parlamenti Parisiensis Præses, tota vita graviter detestatus, illos Papinii Statii versus in dispari re licet, huc accommodare solebat:

Th. H. l. 52.

Sylv. l. 5. in Prot. ad Cr.

Excidat illa dies ævo, nec postera credant
secula: nos certe taceamus, & obruta multa
nocte tegi propria patiamur crimina gentis.

Namque ut impietas eo splendidiorem tunc ageret triumfum; perfidiæ cassibus Rex Carolus IX, qui cum lacte hanc disciplinam hauserat, ut dejerare, pejerare, contumeliose nomen DEI ciere, (quin sexcenta aureorum millia in nauci hominem *Albertum Tudium*, institoris Lugdunensis filium, a quo Divinum nomen dejerationibus impie lacessere didicerat, post summos in eum indigne collatos honores, uno quinquennio donationibus prodegisse scribitur.) scortationibus & adulteriis se polluere, fidem, religionem, consilia dissimulare, vultum componere, ludum duxerit, implicabat nimis credulos & nimis bonæ fidei plenos Protestantes; paratis ab illo magna cum pompa sorori Margaritæ & Henrico Navarro nuptiarum festivitatibus; palam tamen verissimo augurio civibus Parisiensibus primariis in colloquiis passim jactantibus; *in illis nuptiis plus sanguinis quam vini effusum iri.* Initium tragœdiæ factum *Parisiis*, & quidem e vulnere *Gasparis Colinii* Thalassiarchi, herois incomparabilis; quod mox truculentissima & maxime

Ph. Cam. Med. H. Cent. 1. c. 4.

xime sanguinaria clausula secuta, omnes regni provincias in metum, luctum, & turbas conjecit. Quam putatis tum fuisse rerum faciem, Auditores? Sæviebatur Lutetiæ a carnificum cohortibus in insontium capita & fortunas sine discrimine; peculiari hoc veluti penso illis attributo, dum plebs a decurionibus & centurionibus huc illuc circumvolitantibus irritata in conciveis, effusa ad omnem intemperiem licentia, baccharetur. Tum strepitu concursantium ad cædes & prædam plateæ & viæ personare, morientium aut proximorum periculo queruli ululatus exaudiri, cæsorum cadavera per fenestras deturbari, ædium areæ ac conclavia ipsa cæsis oppleri, cadavera per compita & lutum provoluta raptari, cruore per alveos vicorum tanta copia exundante, ut sanguinei huc illuc torrentes in subjectum flumen dimanarent. Innumera multitudo cæsa, virorum, mulierum, etiam prægnantium, & puerorum. Spectemus tragœdiam propius. Colinius igitur ante Villemurianas ædes pedes iter faciens, dum libello forte porrecto legendo intentus lentius incedebat, ex fenestra, linteo velata, sclopeto a *Morevellio* Guisicæ factionis sicario disploso, duabus glandibus ictus est: cum Rex quidem, quamprimum tam atrocis facinoris nuntium in sphæristerio acceperat, statim illiso in terram reticulo, quasi casu inopinato consternatus, facti indignitatem scriptis ad præfectos provinciarum literis detestaretur, & tanti criminis polliceretur severissimum exemplum;

plum; quinetiam Regi Navarro & Condæo abitum ex urbe molientibus, fidem, re in majus exaggerata, vehementissimis pro more diris obstringeret, se de percussore, auctoribus, fautoribus, ac consciis eas pœnas sumpturum, quæ & Colinio & amicis satisfaciant; imo Colinio ipsi, quem una cum Regina matre, fratribus, & multis Principibus comitatus inviserat decumbentem, & subtristi anxioque vultu de valetudine diligenter interrogaverat, additis in laudes illius invidendis & præclarissimis elogiis, eadem prolixe confirmaret; nihilominus contraria omnia (ô minime Regium Regem!) cum alibi, tum postremo in Lateranis ædibus, ubi conscii adultæ & diu coctæ conjurationis, inprimis Rex ipse, Regina mater, Andinus, Nivernius, Engolismensis nothus, Biragus, Tavanius, & Radesianus, consilium deambulandi specie habebant in commune omnium Protestantium exitium & excidium; (siquidem morte unius hominis Colinii, in cujus tamen corde & anima totam Protestantium vim ac potestatem acquiescere, vivere, ac vigere asseverabat sanguinaria factio, omnes illius asseclæ extingui nequeant) impie & proditorie machinaretur. Itaque profunda jam nocte, quæ festum Bartholomæanum antecessit, summa violentia prorumpunt latrones; *Ad arma*, *Ad arma*, ubique vociferantur, furentem plebem ad cædes promiscuas inflammant, & primo impetu in ædes Colinii facto, gladium in pectus imperatoris fortissimi scelerate intorquent, quem repe-

repetitis ictibus exanimant, sanguine deturpatum per fenestram in aream præcipitant, contumeliose calcibus impetunt [a], cadaver miris modis injuriose fœdatum in stabulum proximum abjiciunt, & postremo capite amputato, quod Romam usque perlatum est, pudendis item & manibus ac pedibus truncatis, per vicos ad Sequanæ ripam trahunt; cumque in eo esset, ut in profluentem a pueris mergeretur, inde retractum ad furcas Monfalconias, cruribns in altum sublatis, & propendente corpore, ferreis catenis suspendunt; igne præterea subjecto, quo tantum ustularunt, non etiam consumpserunt; ut ita omnium elementorum carnificinam experiretur. In terra enim occisus, aquis mersus, in aere pendulus factus, & denique igne ambustus est. Eadem tempestas sine ulla mora & confestim *Franciscum Rupifulcaudium Comitem*, regi alioqui ob facetias & venustatem gratiosum, cum hesterna die ad intempestam usq; noctem, sed intempestive, cum Rege jocatus fuisset, domi, cum a personatis sicariis seminudus crudeliter interficeretur, absorpsit. Sic & *Telinius*, Colinii gener, per tegulas domuum discursando frustra refugium quæritans: sic *Antonius Claromontius Renelii Marchio*: sic *Antonius Marafinus Guerchius*, *Baudineus*, *Pluvialius*, *Bernius*, *Carolus Quellevetus Pontius* Armoricæ regulus, *Carolus Bellomanerius Lavardinus & Bellovarius*, uterque olim pueritiæ Navarri moderator: sic *Claudius Gaudimelus* excellens Musicus, qui Psalmos Davidicos, vernaculis versibus a Clemente Maroto

& The-

& Theodoro Beza expressos, ad varios & jucundissimos modulationum numeros aptavit: sic *Briolius* Marchionis Contii pueritiæ admotus canitie veneranda senex, inter amplexus alumni sui, brachia protendentis & se ad ictus opponentis: sic *Franciscus Nompar Caumontius* cum filiolo: (nam *non feras tantum, sed cum feris catulos omnino perdendos esse* ingeminabant Assassini.) sic *Petrus Ramus* Aristoteli-mastix quidem, & propterea communi & gravissimo Professorum odio flagrans, sed ex eo commendatione dignissimus, quod ingenio, diligentia, assiduitate, & opibus etiam suis, quantum in ipso fuit, rem literariam juvit ac promovit; instituta Mathematices Professione, cui annuum vectigal Iↄ librarum e facultatibus suis attribuit; sic, inquam, Ramus ille a Carpentario æmulo Philosopho, & seditionis camino oleum copiose suffundente, immissis sicariis, e cella in qua latebat eductus, & post depensam pecuniam inflictis aliquot vulneribus, e summis ædibus in aream dejectus, effusis visceribus, quæ pueri frementes magistellorum pari rabie incitatorum hortatu per vias sparserunt, & cadaver ipsum scuticis in Professionis opprobrium diverberantes, contumeliose & barbare raptaverunt: sic *Magdalena Brissoneta* Guilielmi Brissoneti Cardinalis neptis, fæmina lectissima nec mediocriter erudita, ad ejerationes frustra adacta, contis confossa, & cum semianimis in fluvium projecta supernataret, concursu naviculariorum quasi

ad

ad canem rabidam suffocandam facto, variis ac lentis ictibus summa immanitate obruta: sic *Petrus Placius* Curiæ vectigalium primarius Præses, *Annas Terrerius Chapius, Montamarius, Montalbertus Robereus, Ioach. Vassorius Cunerius, Rupius, Colombarius, Velavaurius, Gervasius Barberius Francurius* Navarri Cancellarius, *Hieronymus Grolotius* Aureliani præfectus, *Stephanus Cevalerius Pruneus* regiæ gazæ in Pictonibus curator, *Pardallanius, Sammartinus, Bursius, Armannus Claromontius Pilius*; Sic multa millia hominum, utriusque sexus, omnis ætatis, omnis conditionis, sine ullo humanitatis pietatisve immanium tyrannorum sensu, crudelissimo fato, paucissimis diebus, & Lutetiæ tantum, involuta sunt. Fuitque inter Canibalicos illos conjuratos *Cruciarius* quidam aurifex, qui sæpius postea cum horrore bonorum visus & auditus est vesana confidentia jactare, cum nudum exereret brachium, *isto se* CCCC *amplius homines in illa laniena mactavisse.* Neque etiam illa summæ impietatis tempestas in unos Parisienses detonuit;

sed velut infecto morbus crudescere cœlo
incipiens, primo pecudum depascitur artus,
mox populosq; urbesque rapit;

& quoquo venit, sandapilarios occupat opere diurno nocturnoque: ita isti Vejoves Gallici fulminibus suis Galliam pene universam funeraverunt. Cumprimis *Augustobona Tricassium, Andegavi, Aureliani, Meldis, Avarici Biturigum* (ubi Franciscus Hotomannus & Hugo Donellus, Ju-

ris

ris Professores, discipulorum suorum ac præcipue Germanorum ope præsenti periculo erepti sunt.) *Valentia Cavarum*, *Romanii*, *Tolosa*, ubi ex primoribus Parlamentarii Senatores aliquot, & nominatim *Ioan. Corasius*, à profligati pudoris & perditæ vitæ homuncionibus, qui juris civilis scientiæ operam dantibus immissi gladiatoriam in ea urbe faciunt, inter quos excellebat *Turrius*, immaniter trucidati, & deinde geminata sævitia ad ulmum in area palatii Senatorio cultu suspensi sunt.) *Charitai*, *Rotomagi*, *Burdigala*; & multò crudelissima strages edita est *Lugduni*. Huc cum Petrus Autissiodorensis fisci procurator, homo ingenita pravitate & probrosis libidinibus infamis, per veredarios equos advolasset, & sine ullis literis, quasi in ipsius dignitate satis ponderis fideique esset, ac Francisco Mandeloto Vrbi præfecto hanc esse Regis atque Reginæ voluntatem confirmasset, ut Protestantes, qui comprehensi essent & comprehendi possent, ad unum omnes quamprimum, nec expectato alio mandato, delerentur; continuo Mandelotus, à circumfusa multitudine seditiosa, sanguinis sitientissima, instante victus dat manus, & ad horrendæ sententiæ nuncium conversus; *Idem tibi*, inquit, *Petre, quod Petro olim Christus, edico*; *quicquid ligaveris, quicquid solveris, ligatum solutumq; esto*. Hac publicatâ licentiâ, repente e vestigio nefarii quique, & ad omne flagitium prompti, ad cædes & rapinas discurrunt. Verum cum illi carnificis urbici opera in ea re patranda uti

vellent, ille omnino recusabat; & legitimi magistratus sententiæ se quidem parere paratum ostendebat, atqui promiscuis cædibus fatigari aut immisceri se nolle. Cumque idipsum præsidiariis arcis postea mandaretur, illi pariter ultra modum commoti, non carnifices se esse, nec militari decori tam probrosum factum convenire, indignabunde respondebant; nullam a miseris hominibus sibi illatam injuriam, dictitantes. Itaque e macello & fece plebis purgamenta, & postremi mortalium denique conducuntur. Et sic quod carnifices, quod homines exteri constanter a se rejecerant; illud cives in cives suos alacriter susceperunt. Nec mora, in supplices illos, qui in Episcopio attinebantur, ac DEI hominumque fidem implorabant, statim irruunt novi tortores, eosque immisericorditer, prius tamen miserorum crumenas sagaciter scrutati, occidunt; luctuosissimo utique spectaculo; cum filii patrum collo implicati, patres filios complexi, fratres, amici, se ad constantiam invicem hortantes; ab efferatis laniis, bajulis, naviculariis, ceu pecudes mactarentur, inter ululatus, lamenta, clamores horrendos, qui tota urbe personabant. Inde sub vesperam ejusdem diei iidem lanii ad Rhodamnensem publicum carcerem veniunt, & novo crudelitatis genere in vinctos sæviunt, laqueisque in colla insertis miseros cruciant, & semineces ad flumen proximum raptant. Et quia contrucidatorum cadaveribus in Archiepiscopalium ædium area jacentibus sepultura nega-

gaba-

gabatur, eadem quoque in fluvium ab effreni plebe præcipitata sunt: opimioribus & pinguioribus cadaveribus ad adipem conficiendam, pharmacopolis ea deposcentibus, concessis. Supernatantia autem per Rhodanum corpora tanto ad Turnonium cumulo ripas complevêre; ut oppidani casu inopinato territi, tanquam hostis adesset, ad arma conclamarent; mox horrore perculsi & sceleris auctores abominati, quamvis a Protestantium religione alieni essent, administros adhiberent, qui ad amovendum spectaculum rapido fluctu delata cadavera contis a ripa averterent. Nec minus illud execrabilis crudelitatis exemplum aversati homines sunt Viennæ, Valentiæ Cavarum, Burgi, Vivarii, ad Spiritussanum, etiam Avenione, ubi tamen majus Protestantium odium. Arelate vero, ubi puteorum & fontium penuria aquam e fluvio vicino haustam potant, ultra facinoris detestationem gravissimo incommodo oppidani conflictati sunt; cum esu piscium & aqua, quæ ipsis e solo Rhodano suppetunt, uti nollent, & a conspectu fluminis ipsius abhorrerent. At vero magitudinem perniciei in viros fortissimos, in regni proceres, in veræ pietatis alumnos, in florem utriusque sexus innocentissimum & pulcherrimum, ab orci emissariis sic immaniter exercitæ, *quæ*, si Wolfgango Prisbachio credimus, *triginta hominum millia interfecta, centum millia honestissimarum familiarum, triduo in Gallia, latrocinio & rapinis oppressa fuerant; viduis ac pueris orbis innumerabilibus ad* In Resp. ad orat. habitam apud Helvetios.

 sum-

summam vel mendicitatem vel inopiam redactis; nulla lingua satis edisserere potest. Quis enim

——————————*prodere tanta relatu*
Claud. in Ruff. l. 1. *funera? quis cædes posset deflere nefandas?*
Quid tale immanes unquam gessisse feruntur
vel Schinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Scyron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?
O mites Diomedis equi, Busiridis aræ
clementes! Iam Cinna pius; jam Spartace lenis
His Gallis *collatus eris.*

Hæc tamen Gallorum Auditores, est pietas; hæc Religionis eorum sunt sacrificia; hic divini numinis est cultus; hæc sunt Regis & sociorum in DEI honorem edita munera; hæc fidei sunt antiquæ monumenta; omnia tam illustria, omnia tam præclara, omnia tam sancta, & religiosa; *ut* Th. H. l. 53. *Enimundus Augerius ea ab Angelo* DEI *patrata, pro concione multoties repetito sermone, identidem Burdigalæ inculcaverit*; ut Parlamentum Parisiense SCto, IX Kal. VIIbr. quæ B. Bartholomæo dicta est, amburbiis supplicationibus quotannis celebrandam indixerit; ut Rex æmulatione veterum Imperatorum in memoriam victoriæ varios nummos argenteos & aureos, cum gloriosis talibus inscriptionibus, *Virtus in Rebelles, Pietas excitavit justitiam, Carolus IX Rebellium domitor*, flaverit; ut Pontifex de tragœdia feliciter peracta factus certior, statim cum Cardinalibus ad B. Marci concesserit, D.O.M. pro tanto beneficio sedi Romanæ collato gratias solenni ritu egerit, Jubilæum toto Christiano orbe publicaverit, in Hadriani mole

mole publicæ lætitiæ signum festa tormentorum displosione dederit; totam rei bene gestæ historiam parietibus artifici penicillo illeverit, nihilque eorum, quæ in cunctis ac maximis quibusque pro Ecclesiæ Romanæ victoriis fieri solent, prætermiserit; ut denique Cardinalis Lotharingus tam optatum afferenti Evangelium mille aureorum Evangelia numeraverit. Scilicet hæc omnia ab omni fide tam sunt aliena; ut inde unanimi Orbis Christiani sine adfectu judicantis suffragio, cum æterna & nunquam interitura infamia, atque odio in seram posteritatem transituro, antiqua LEVITATIS nota, antehac aliquatenus excusata, nunc plane credita & Gallorum propria facta sit: Hæc ab omni honestate tam sunt devia; ut inter ipsos Gallos viri dignitate, pietate, integritate, ac doctrina præstantes, & vanitatis fucique hostes, Schombergius, Morvillerius, Thuanus, Monlucius, Bibracius, Belleureus, Cujacius, passim in Polonia, Germania, Gallia, & alibi; ut regni regisque bono, famæ, & honori inservirent; officiosis mendaciis scelus patratum, quod intra se omnibus diris & imprecationibus flagellabant, aut simulate laudare, aut astute imminuere, vel exquisitissimis ex falsa narratione detortis ratiunculis ingeniose diluere necesse habuerint: Ita denique a bona conscientia illa omnia sunt exorbitantia, ut Rex ipse post infelicissimum San-Bartholomæanum casum ex horroribus nocturnis damna somni senserit terribilia; quem interruptum adhibiti symphoniaci

Th. H. l. 52 & 54.

Th. H. l. 57.

pueri expergefacto reparabant; & postea is Musices studio *Orlandum Lassum* e Norico paulo ante mortem evocarit. Non itaque

Iuv. Sat. 13.

evasisse putes illos, quos conscia facti
mens habet attonitos, & surdo verbere cadit
occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
quas & Cæditius gravis invenit, & Rhadamanthus,
nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

Cambd. in Ann. Angl. A.Ch. 1572. Th. H. l. 54. T. Brahe de de Nova Stella.

Memoria vero dignum vel maxime est; quod Theodorus Beza tunc *novam Stellam* (quæ post lanienam Parisiensem mense Novembri proximo sub Cassiopeæ asterismo apparere cœpit, tanta magnitudine, ut omnia alia ætherei mundi lucida corpora, atque plusquam trecenties ipsum orbem terrarum mariumque; tanto autem fulgore, ut Jovem etiam in perigæo eccentrici & epicycli superaverit, imo & latentibus cæteris astris, illa interdiu quidem etiam in ipso meridie aere puro, noctu vero sæpius per nubes non adeo densas videri potuerit; & propterea Cornelius Gemma Frisius scripserit, post natum Christum vix aliud phœnomenon illuxisse comparandum, sive sublimitas signi, sive raritas & diuturnitas spectetur) ad stellam illam, quæ Christo nascenti præluxit, & ad internecionem infantum sub Herode, ingeniose accommodavit; Carolumque Regem, qui se lanienæ autorem fassus jam erat, ut timeret, hoc versiculo monuit:

Herodes caveas tu tibi, quisquis erit.

Nec vana quidem fide. Mense enim post stellæ

hujus

hujus dispatitionem quinto ille sanguinis, qui etiam ex unguibus ejus eruperat, profluvio inter longos & graves dolores expiravit. Non autem immanissima ista Gallorum impietas sine comitatu & ministerio incedit: quin sequitur horrendum & vastum famulitii agmen. Videre ibi est *Atheismum*: homines sine DEO, creaturas sine creatore; lanienatum civilium genuinos fructus. *Ce sont nos guerres pour la Religion, qui nous ont fait oublier la Religion. Bella Religionis, tollere memoriam Religionis*; querela est prudentissimi Lanovii. Audire ibi est sanctissimi numinis exsecrationes ac contumelias omnino alibi inauditas, (quanquam ex Italia insolitarum blasphemiarum merces in Galliam invectas esse ajunt) exemplo ab aula corruptelarum sede in urbes, & ab urbibus ad paganos ac rusticos, a pueris virilis ætatis etiam in pueros infantes vix septennes, tanta licentia grassante; ut tertio quoque verbo, DEI caput, mortem, sanguinem, ventrem, & alia membra, cœlum & terram nefarie insectentur; sicque ex omni parte injurias in DEUM pestifere eructent. Intueri ibi est magorum & sortilegorum (& hoc ex Italia maxime venisse ajunt) culicum instar hinc inde circumsusurrantium tota agmina; ut *Triscalanus* Cenomannus illorum Princeps, cum judicio capitali in ipsum lato veniam hac lege impetrasset, si indicaret criminis affines, fassus fuerit ipsi Regi Carolo IX, *in Galliarum regno tunc supra XXX millia magorum esse*: qui tamen plerique omnes pessimo publico impune

Ev Reidan. Annal. l. 3.

Lanov. Discursu 1.

Th. H. l. 53. *Vide Novell. Justiniani 77. Vt non luxurientur homines contra naturam, nec jurent per capillos Dei, &c.*

A. Ch. 1571 Bod. de Dæmon. l. 3. c. 1. Lan. Disc. 1.

pune abierunt. De qua impia Caroli Regis gratia ita judicabat, & pie quidem, Joan. Bodinus; *Credibile esse, si Rex, qui alioqui bene compositis membris & lacertosa corporis mole erat, in Triscalanum & sceleris conscios, ex lege* DEI *morte dignissimos, merita ignis pœna animadvertisset;* DEUM *pro ista justitia administratione fuisse ipsi diuturniorem & beatiorem vitam concessurum.* Quanquam Catharina Regina, Caroli mater, vetitas artes cognoscendi curiosa mulier, & hujusmodi præstigiatorum opera non raro perfamiliariter usa, procul dubio illa infernalium muscarum examina auxisse videri potest. Certe tantum tribuebat execrandis hariolorum prædictionibus; ut etiam de filiorum fortuna, & eorum successoribus, ab illis edoceri voluerit: magistro quodam profanæ artis ei *speculum*, quod aulam sive augustum conclave referebat, exhibente; in quo Reginæ filiorum quilibet toties circumambulabat, quot annos regno esset præfuturus: cumque Henricus III suas absolvisset periodos, Dux Guisius quasi fulgur speculum percurrit; & postea etiam Navarræ Princeps bis supra vicies sese ostendens, confestim disparuit. Qui hæc & plura talia audit, non mirabitur, Poetam, nescio quem, istos versiculos in Catharinam licentius effundere fuisse ausum;

Th. H. l. 53. & 57.

P. Matth in hist. mort. H. 4. G. R.

Tres Erebi Furias ne posthac credite vates:
Addita nam quarta est nunc Catharina tribus.
Quod si tres Furias a se dimitteret Orcus:
Hac Catharina foret pro tribus una satis.

Nemo

Nemo etiam mirabitur, patrum memoria creditum, Parisiis *scholam magorum* haberi; cum nuperrime adhuc regia aula, imo tota Gallia, damnato studio nefariis libris de evocandis dæmonibus, & conjurationibus, Orcinum pruritum proritantibus, operam dederit; omnibus elementis, & quæcunque cœlum & terra complexu suo fovent; in execrabiles impiissimi servitii abusus raptatis: & ex præcipuis insani magisterii artificibus *Nostradamo* famosissimo Mathematico, veluti ex Apollinis Tartarei tripode de omnium cujuscunque conditionis hominum fortunis & vitæ mutationibus cum stupore oracula cottidie pronunciante. Nemo item mirabitur, non ita pridem ex sacro ordine *Normannum* quendam in vicinia Lutetiæ, sub patibulo, sacra Diabolo fecisse, Missæque horrendum carmen præpostere a calce ad caput recitasse. Quid? quod non modo domi suæ pietati bellum indixerunt Galli, verum etiam nomini Christiano universo vulnus inflixerunt incredibile, in detrimentum Religionis & Reipublicæ: dum Rex Franciscus I, qui tamen tot tantisque laudibus celebratur, & Henricus ejus filius, insigni ad omnem posteritatem infamia, stimulis tantum ambitionis & invidiæ, ob felicitatem & gloriam Augustalis domus Austriacæ, se se quaquaversum expandentem, perpetuo pungentibus fatigati, in viscera Europæ attraxerunt sævissimum hostem Turcam; fœdere utrinque solenniter sancito: quo factum, ut

Lan.Disc.

Le Mere.Fr. l. 5.

Leuncl. in Paud. H. T. c. 223. & in suppl. An. Turc. I. B. Hadrian. H. l. 3. & 4 W. ab Erenb. l. 2. Med. fœd.

gens inimica Deo Tyrrhenum invaserit æquor,
Turciam in Italiam portans;
& Hariadenus Ahenobarbus Sulimanni heri sui justu infaustas Gallicis rebus suppetias ferens; vastata Liguria & Hertruriæ ora; Ilva prætereа, Igylio, Ænaria & Lipara insulis, crudeli populatione adflictis; ingentem hominum miserorum, puberum & impuberum prædam sub intolerabile Turcicæ servitutis jugum miserit: cum antiquitus tamen Francisci Henricique majores, Ludovicus junior, Philippus Augustus, Ludovicus Sanctus, & alii, in Asiam & Africam lilia victricia adversus Muhametanos pro Christianorum salute & incolumitate gloriaque laudabiliter inferre consuevissent. Tametsi Galli causæ iniquitatem variis æquitatis coloribus, uti scilicet in culina interdum carnes rancidæ conditi embammate solent, infucare conati sunt: cum exemplis nihil huc facientibus ipsi vane persuasi, aut vanius persuasuri aliis, dicerent; Davidem Regem & Prophetam sanctissimum, a Saule inclementius habitum, ad Regem idololatram Achis confugisse; Azam Judæorum Regem contra Israelitam, Regis Syriaci suppetias expetiisse; Constantinum Magnum Gothis, Narsetem Langobardis; Imperatores Heraclium & Fridericum, Basilium & Constantinum Joannis Imp. Constantinopolitani filios, Henricum & Fridericum fratres Reges Castellanos, Saracenis; & Christianos alios plures paganorum & gentilium opera in expeditionibus bellicis usos fuisse:

Th. H. l. 3.

Vide Alb. Gentil. de jure belli, l. 1. c. 19.

B Monluc. Com. l. 1.

illo crudeli Blasio Monlucio, qui fere semper famulitio carnificum (quos vulgus appellabat *les Laquais du Monluc)* cingebatur, insuper dictitante, *ex quolibet ligno adversus hostem fingi debere sagittas, & se vel omnes infernales Dæmonum legiones in perniciem illius, qui sibi periculum creet, evocaturum esse*: sed hic idem Monlucius conscientia vellicante gratiam temerarii dicti Deum precatus subjunxit statim, *Dieu me le pardoint*; fassus præterea, post illam immemorabilem Muhametis & Christi confarreationem Gallorum res non habuisse melius. Quinetiam Antonius Pratensis, Franciæ Cancellarius, fœderis inter Regem suum & Sulimannum initi capita manus suę subscriptione confirmare constanter recusabat; quod totum hoc negotium & ad Regis, & ad universæ Reip. Christianæ ignominiam & damnum vergere judicaret. Equidem DEI ἔκδικον ὄμμα impiam istam confœderationem torvum aspexit. Et ecce vindictam divinam lento quidem passu incedentem, sed peccata parentum vel in liberis tandem animadvertentem, & tarditatem pœnarum gravitate probe compensantem! Etsi enim aulici quidam Placentini, qui quoslibet impios Principum conatus instar divinarum sanctionum venerari, & aliis ad assensum & obsequium minaciter inculcare solent, inter adversa Francisci I Regis forte numerent; quod ejus emissarii Cæsar Fregosius, & Antonius Rinco, uterque transfuga, ille Genuensis Germanici, Hispanus iste Hispanici Imperii subditus, quia

C. Ens Epidorp. l. 1.

N. Istuanff. H. l. 9. Kirch. in Leg. l. 1. c. 8. n. 18 &c. G. A Enenckel Baro inl. 2. Thes. n. 92.

quia per Italiam contendebant Constantinopolim, ut novas res cum Sulimano moliri, miseros Hungariæ populos, nihil tale meritos, in extremum discrimen impia legatione adducerent, atque immanitati barbarorum objicerent diripiendos, in Insubria trucidati fuerint; in quo facinore jus gentium violatum esse nemo sobrius Politicus, nemo juris publici bene consultus mihi persuaserit; cum proditores illi nomine & jure legatorum contra Dominum ac Cæsarem suum Carolum proficisci haud potuerint; deinde furtim & occulte transcurrerint per Insubriam cum exulum comitatu, quod ipsum capitale est ejus regionis consuetudine: tamen videri potest, omnia regis illius infortunia novissima felicitate prorsus obscurata & sublata fuisse; cum is ære alieno omni exoluto moriens amplius *millies sestertium*, id est, *decies septies centena coronatorum millia* in ærario publico reliquerit, præter tributa ac vectigalia, quorum dies venerat; imperii insuper finibus Mediolanum usque prolatis, & pace terra marique cum omnibus finitimis pacta. At simul ac Henricus filius mortuo patre regni gubernacula suscepit, sensim omnia mutavêre, & priori felicitati parvula quidem, duarumque tantummodo literarum, sed longe infaustissima syllaba accrevit. Novus enim Rex non modo annis paulo minus duodecim omnes opes pessundedit, Republica ære alieno usque adeo oppressa, ut *amplius decies millies sestertium* deberetur, accisis etiam imperii fini-

Guid. l. 14.

Bod. de Re. l. 1 c. 4. & l. 5. c. 4.

finibus, Insubria, Corsica, & Allobrogum provincia amissis; sed & ad Dianæ Pictaviensis, superbi & impotentis animi fœminæ, quæ philtris & magicis artibus sibi illum devinxerat, prostitutus libidinem, omnia pacis ornamenta, regni robur, florem & decus reliquum fidemque decoxit; demum inter nuptialia orgia & hastiludia in ludicro duello, ita numine justo volente, quod ille serium inter Vidum Cabotium Jarnacium, & Franciscum Vivonum Castaneum, duellum, rem Christiana religione vetitam, infaustis regni auspiciis adprobasset, a Gabriele Comite Mongomerio casu extinctus; relictis filiis pene pueris, sub uxore vidua Catharina Medicea, pessimam faciente medicinam, & factionum pocula, quippe quæ inter filios neque tutam pacem neque pertinax odium ferre poterat, nimis profuse miscente. Successit Franciscus II, non tam adversa valetudine, & pravo ab infantia corporis habitu, quam tumultu Ambosiano jactatus; mancipium *Guisianorum*: qui homines, privatis cupiditatibus lenocinantes, & ærario exhausto omni ratione vel cum aliena injuria supplendo intenti, cum ex cunctis fere regni provinciis ad novum regem confluerent, qui debita, remunerationes, beneficia exigebant, præfracti juxta & inhumani importunas illas petitiones unica responsione expungendi consilii auctores fuêre; ut patibulo erecto edictum ille proponeret, quo injungeretur, ut omnes, cujuscunque conditionis essent, qui quacunque de causa

Th. H. l. 6. & 22.

Th. H. l. 3.

Th. H. l. 23.

Th. H. l. 24.

causa vel debiti, vel remunerationis, aut beneficii a rege impetrandi, in comitatu essent, intra XXIV horas aula excederent; ni parerent, ignominiose patibulo suffigerentur. Franciscum, qui nondum exacto decimo octavo ætatis anno mortalitatem expleverat, alter frater Carolus IX secutus est: cujus, Cancellarii Hospitalii ore in primis Comitiis a fratre præter plorare nihil sibi relictum conquerentis, dolore commoveri possemus, nisi ipse excitatis civilium bellorum carnificinis, sacra profanis, cœlum terræ miscendo, causam subditis perpetuo plorandi & calamitates suas lugendi dedisset: suprema tamen voce charitatis erga suos indice testans, gaudere se, quod in ea ætate moriturus nullos liberos regni hæredes relinqueret; quippe qui proprio exemplo abunde expertus esset, quam misera regum puerorum conditio existeret, quamque deplorandus regni status foret, cui pueri turbata republica præessent; & de fratre Henrico sic existimans, futurum, ut is de se conceptam non solum Gallorum, sed & externorum Principum expectationem aliquando frustraretur. Quod livore dici ab ipso tunc creditum, cum favoris & gratiæ omnium ordinum in fratrem concursum non sine occulto morsu cerneret, non prorsus falsum fuisse postea eventus demonstravit. Siquidem Henricus profugus ex Polonia, quod ipsi regnum postea Poloni abrogaverunt, quamprimum rediit in patriam ad capessendum hæreditarium imperium, mox tristi exemplo suo fidem

Th. H. l. 27.

Th. H. l. 57.

dem

dem fecit illi veriverbio Xenophontis; ὑπερμέγεθες ἔργον εἶναι τὸ καλῶς ἄρχειν: & Diocletiani adhucdum privati; *Nihil difficilius esse, quam bene imperare.* Et adjuvabat ille statim ab Imperii initio male ominantium opinionem, moribus admodum a Gallorum indole alienis: cum non, ut decessores ejus consueverant, regio more se populo visu facilem & dictu affabilem ostentaret, sed plerunque cibum sumens septis ante mensam positis cunctos accessu prohiberet, ac post prandium audiendis supplicibus properanter defungeretur, interdiu intra privatum conclave se contineret, raros eosque juvenes, neque ullo digno operæ pretio gratiam ejus promeritos, ad colloquium admitteret, proceres & meritis subnixos excluderet, majestate regia & vetere disciplina paulatim in fastum & mollitiem soluta. His accedebat impotens effundendi cunctaque perdendi libido, constituto dignitatibus primariis & præfecturis militaribus immodico pretio; quo eas a dignis, & qui virtutis ac fidei ergo illas a regibus meruerant, mercaretur, atque in indignos transferret. Et quod a curiosis observatum est; Princeps alias profusus ac damnosus, nulla tamen in re, habita ejus ad alias impensas domesticas ratione, damnosior fuit, quam in catellis Lugdunensibus (Lugdunum enim & horum educandorum studio inter alia admodum celebre est.) comparandis: cum præter sumptus in canes venaticos & accipitres, qui in regia familia, ut & aliorum Principum, sem-

Xenoph. l. 1 Pæd. Cyr.

Vopisc. in Aurelian.

Th. H. l. 56.

Th. H. l. 5.

ſemper magni & ordinarii ſunt, in catellos hujuſmodi parandos alendos plus C aureorum cIↄ quotannis abſumeret, hominibus ad id ſtipendio magno conductis, qui aulam cum omni illo comitatu ubique ſequebantur; præterea nec parvos ſumptus in ſimias & pſittacos, & id genus alia exotica animalia faceret, quorum immanem copiam habebat, & faſtidio plerunque capiebatur, ita ut iis donatis mox deſiderio ſubeunte alia feſtinatis ſumptibus emeret. Sic creſcebat æs alienum in illa morum intemperie mirum in modum, & in dies magis magiſque, idque jam tum in Comitiis Blœſenſibus, An. Ch. 1579 habitis *quadragies millies*, ſive *centum auri milliones* excedebat: (ita enim Rex tunc ad regni ordines loquebatur, *d' adviſer au moyen d' acquitter ſa Couronne engagée a plus de cent millions d' or*) & quod cæteris regni calamitatibus miſeriiſque adhuc gravius erat, ſummopere cruciabatur ille capitali & contumaciſſima animorum ac voluntatum inter ſubjectos diſtractione. Quibus horrendis malis ſanandis cum impar eſſet Æſculapius, tantiſque monſtris eradicandis impar eſſet Hercules, & ſevera atque regia magnanimitate digna adverſus invaleſcentem contemptum & occultas familiarum machinationes in tempore non applicaret remedia; teterrimum tandem, & quantum Gallia ſuſtinuit unquam ſacerrimum LIGÆ monſtrum, peſſimo imminutæ & conculcatæ majeſtatis exemplo, ſuo aſſenſu formavit, omnibuſque viribus in ſuam propriam & com-

H. de der. tab. l. 1.

communem reipublicæ perniciem imprudentissime armavit; cum abominabilis & portentosa bestia illa sub speciosissima Religionis & boni publici persona exinde, non ut serpentes Indici solidos cervos taurosque, sed totas provincias & populos abliguriret: cum illa instar hyænæ, sermonem humanum inter pastorum stabula assimulantis, nomenque alicujus addiscentis, quem evocatum foris laceret, regis salutem ac subditorum incolumitatem proditorie mentiens, illius autoritatem, & istorum fidem & obsequium cum omnium præsentissimo discrimine cardinibus sic emoveret, ut isti illum cunctis famosissimis dicteriis & libellis dilaniarent, *Magum, Sathanæ discipulum*, (monstrantibus e suggestu imagunculam sacrificis, & illam idolum Diaboli esse, quod tyrannus adoret, dejerantibus) appellarent, ad Chilpericum in monasterium relegarent; infantibus quoque in precularum recitationibus ejus memoriam execrari jussis. Atque Tolosani quidem, cum Joan. Stephanum Durantium, amplissimi ordinis principem, Regi fidissimum, immanitate plusquam barbarica trucidassent, corpusque ut erat cruentum per vias raptatum, in platea S. Georgii ad portam ferream pegmatis in pedes erectum, laqueo ad collum alligato suspenderent, effigiem Regis ex adverso itidem ignominiose suspendebant, additis ad ludibrium insolentibus verbis; *Adeo Rex tibi carus erat! nunc licet ut eo fruaris, & cum eo jaceas.* Necdum satiata vesane amens

Plin. H. N. l. 8. c. 14.

Plin. l. 8. c. 30.

Le Catholic. d'Espagne. H. de dern. troubl. l. 1.

Thu. H. l. 94.

plebs, etiam imaginem Regis e Capitolio avulsam, & per totam civitatem unco tractam sub hasta injuriose vendebat, clamante uno quasi præcone, *Licitatur Regem carnifex V aßibus ad restim sibi emendam.* Parisienses autem ut docerent, quousque scelera progredi possent, illum Regem suum indulgentissimum, & ad superstitionem usque religiosum, quem antea insigni perfidia urbe pepulerant, mox capitalibus & irreconciliabilibus inimicitiis, inter ipsum & regni subditos horrendo exemplo accensis obruunt; exacerbati tamen, & detestanda impietate, detortis in pravum sensum S. Scripturæ locis, instructi a mercenariis concionatoribus ac scriptoribus; inter quos primas tenebant *Gul. Rosa, Ioan. Gincestrius, Ioan. Hamiltonius, P. Bernardus, Christoph. Auberius, Petr. Christinus, Gul. Lucinus, Mauclericus, Iac. Commoletus* Jesuita, *Joan. Guarinus, Iacob. Cuellius, Pichenatius, Gilbert. Genebrardus, Franc. Feu-ardentius, &*, qui omnium impudentiam & improbitatem superabant, *Matthæus Launæus, Ioh. Bucherus* libro carnifice digno *de justa Henrici III abdicatione* celebris, & *Claudius Sanctius*, qui postremo abominabile regicidium nefario scripto probavit; Sorbona quoque solemnia insaniente, quæ magna clarissimi toto Christiano orbe collegii infamia decretum fecit, quo Regis nomen, & preces pro eo in canone Missæ & collecta secreta concipi solitæ, inducebantur. Tandem adulta rabie, quæ non nisi in Reipublicæ occasu quietura videbatur, Parisienses & sicas expediunt, ac

Regem

Regem suum per Inferni prolem, *Iacobum Clementem*, tectum cucullo sicarium, ad Clodoaldi pontem confodiunt, atque ita *Valesiam familiam* (ecce vindictam divinam!) delent totam; tanto detestabiliori scelere, quod prius monachum amplissimis præmiorum, divitiarum, infulæ Episcopalis, galeri Cardinalitii, & prærogativæ in Paradiso super aliorum beatorum conditionem eminentis, promissionibus ad facinus parricidale audacter perpetrandum nequissime animaverunt; & deinde parricidæ confossi imagine ædes decoraverunt; eundem in Martyrum & Sanctorum numerum recensitum superstitiose coluerunt; omnibus, qui sanguine ipsi juncti erant, publica pecunia & stipe liberaliter ditatis. Perculsus erat Rex ante aliquot annos, cum jam illa *Liga* conjuratio passim glisceret in regno, memorabili somnio. Nam visus sibi fuit per somnum a leonibus laniari: quod ille de leonibus, quos more inter reges usurpato in area Luparæ subjecta alebat, interpretatus, illico eos a stationariis, suppresso nihilominus somnio, sclopetorum ictibus interfici jussit. Id mirati initio plerique, qui causam ignorantes ubi ex amicis in arcano resciverunt, somnium longe aliter ac verius interpretati sunt; cum Regem a miseris leonibus, quos caveis conclusos tenebat, securum degere, in factionis jam adultæ duces, qui jam tum Regis lanienæ multorum judicio fatis destinabantur, inspicere potius debuisse, si meus non læva fuisset, palam dicerent:

Frere Iacques Clement.
αναγε.
c'est l'enfer qui m'a cree.

Th. H. l. 7

Cæterum licet illa nefaria *Liga* conjuratio postea felicitate, sapientia, & fortitudine Henrici IV ad incitas & restim redacta, postremo profligata & penitus dissipata jacuerit: tamen, quod interdum in pestilentia contingere solet, ut etiam exuviæ ægrotorum veneno afflatæ longo tempore post creent periculum; ita *Ligæ* purgamenta tam diligenter everri non potuêre, ut non corripuerint turbam levium Gallorum bene magnam; qui patriæ funus gratioribus oculis, quam solem aspicientes, illi maximam capitis in ipso capite deminutionem, per tot bella, tot conspirationes, tot insidias, tot Barrerios, Castellos, Bironos, intentando, inexpiabile crimen concipere ausi, multoties quidem speratis successibus exclusi frustra fuêre, donec tandem perditissimus Engolismensis Alastor *Ravaillacus*, cultro impacto, nefaria & clandestina molitione, in omnium lætitia, inter gratulantium certamina, in alta pace, HENRICUM illum MAGNUM, illud os augustum, illud sacrum pectus extinxit, & Gallorum oculis eripuit, nescio an aliquid simile domi unquam visuris. O prodigium, non hominem! O monstrorum cubile Engolismiam! O parricidarum hospitium Lutetiam! O nomen *Henricorum* infaustum!

Quād Italie sera sanspeison, France sans trahison, Angleter e sans guerre; sera lors le monde sansterre. ita proverbiū habet.

Il ne faut plus nommer HENRYS *le Roys de France,*
La mort par deux cousteaux, & un esclat de Lance,
A tué trois HENRYS: *l' un joustant à cheval,*
L' autre en son cabinet, le tiers en son carosse.
Cinq Roys du nom de JACQUES (a) *ont fait croire à l' Escosse,*
Qu

(a) *Quinq. Reges Scotiæ, IACOBI, violētā morte perierunt. I. a conjuratis in cubiculo trucidatus: II, a machina vi ignis interne furentis, excusso cuneo ligneo exanimatus: III, a subditis interfectus; Ordinibus regni factum approbantibus: IV. in pugna contra Anglos occisus: V, veneno sublatus est.* Matth. in Hist. H 4. l. 6, n. 2.

Qu il y a dans le noms quelque secret fatal.

Verum enimvero facessere hinc jubeamus Impietatem: & alteram Galliarum Erinnyn, quæ INIUSTITIA est, ad censuram paucis vocemus. Illa autem tot atrocibus passim grassatur flagitiis, tot sceleribus & iniquitatibus texendis noctes diesque impendit solertissime dolosa, ut prima Furia huic collata fere perdat nomen primæ, & haberi possit secunda; adeoque facinorum & stropharum enumeratio non exiguam sit paritura molestiam,

tempora si fastosq; velis evolvere mundi.

Hæc secunda tamen ambitiosissima est, & gaudet sanctissimo *Iustitiæ* salutari & honorari nomine: quo eam etiam summo studio palliant ac imperiose venditant fucati & nequam magistratus bene multi; qui autoritatem juris præferentes, omnibus fraudum & mille novarum exactionum decipulis circumveniunt, opprimunt, tondent, & sic excoriant populum inopem & pauperem, ut vix oculos ad deflendum, vix linguam ad enarrandum propudiosa justitiæ miracula habeat integra. Quod ipsum publicæ furatrinæ artificium in illis patrimoniorum depeculatoribus cum dolore advertebat nuper oculatissimus Rex Henricus IV, cum queritaretur; duplex tributum a subditis exigi; unum pro Rege, alterum pro Officialibus; sed primum per secundum fieri intolerabile, vixque caveri posse, quin & Rex & subditi simul exspolientur. Qua in re illustre fecit tyrocinium superioribus bellis civilibus Præ- P.Matth.in hist. mort. H. 4. G. R.

Bod de Re. l. 3. c. 4. ſes quidam curiæ Normannorum; qui juſſus aureorum XXX millia iis, qui Proteſtantium religionem profitebantur, extra ordinem imperare, ipſe cum hanc procurationem ſibi decerni petiiſſet, trecenta millia extorſit, præmia popoſcit, & tulit etiam pro temporum calamitate maxima. At vero cum Injuſtitiæ in Galliis quamplurima ſternant latam viam, nihil tamen mea ſententia malo ſponte ſurgenti plus confert virium ac roboris, quam illud, quod per aulicorum avaritiam peſſimo more invaluit; nempe ut Juſtitiæ magiſtratus paſſim turpiſſima nundinatione proſtent, & infami auctioni publica autoritate ſubjiciantur. Cui portentoſo commercio tametſi nonnulli ſacra auri fame profanati adblandiantur, publice teſtati, *ex venditionibus officiorum, viginti annorum curriculo, in arcas regias centum & undequadraginta milliones libellarum*, ſive circiter *quadraginta ſex milliones coronatorum* illatos fuiſſe; atque hoc ipſum ita legitime & laudabiliter fieri exemplo Venetorum tueri conentur, qui cum in bellum, quod inter ipſos & Ludovicum XII Gallorum Regem geſtum eſt, ſupra quinq; milliones ducatorum prodegiſſent, ut exhauſtum ærarium denuo replerent, & ipſi quaſi ſub haſta publicis venditionibus officia & magiſtratus proſcripſerunt, unde centum milliones (valde immanem hanc ſummam cum periculo Scriptoris turbarum Galliæ refero) poſtea corraſiſſe feruntur: naturæ tamen quodam ductu hoc eſt conſequens, ut tam prodigioſo mercimonio probis

Hiſt. de der. troub. l. 3

ante-

antelati nequissimi, prudentibus imprudentissimi, doctis indoctissimi, ex justitia ipsa rem faciant promercalem: cum quæ emeris, vendere jurisgentium sit. Sicuti enim lanii bovem uno pretio emunt, quem post in macello per partes multis pretiis distrahunt: ita &, qui magistratum uno comparat pretio, eundem quoque veluti per partes postea in administratione, singulis jus officiumve postulantibus, tot pretiis sine ullo conscientiæ scrupulo divendere solet. Nam, si Præses aut Procurator Generalis *duodecim, quatuordecim, aut viginti millia librarum sive Francorum* in emptionem magistratus expenderit: (modo pretia hoc tempore non sint majora. *Car la vente des offices aujourd' huy est montée à sa periode*) nisi talis emptor contemptor sit pecuniæ & familiæ dissipator, procul dubio in omnes occasiones evigilabit, quo lacunam marsupii grandi emptione factam plurimis deinde muneris sui venditionibus iterum cum lucro explere possit. Lex quidem est sanctissima & vetustissima, ab Impp. Theodosio & Valentiniano lata, omniumque populorum usu firmata, ut nemo ambitione vel pretio ad honoris insignia promoveatur, & magistratum auspicaturus publice jusjurandum det, se nihil eo nomine neque per se neque alium dedisse, aut promisisse: in Gallia autem quamvis illud ipsum juramentum omnibus magistratuum mercatoribus in omnibus Parlamentis deferatur; plenissima tamen perfidiæ confidentia accipitur, conceptisque verbis præ-

F. Hotom. in Franco-G. c. 27.

Anti-Mac. l. 3. c. 35.

Merc. F. l. 50.

l. ult. C. ad l. Jul. repet.

ſtatur : cum pauci admodum , ac prope dicam nulli, tota Gallia monſtrari poſſint, qui præſenti pecunia officium ac juriſdictionem non ſint mercati. Atque ut ingenioſa eſt avaritia, etiam cum bonorum oppreſſione; ſic hæreditario tranſmittere in indignos ſatagit tam judiciaria quam quæſtoria munera *Edicto Pauleta*; annua penſitatione juxta taxationem de ſingulis factam impoſita, qua exoluta quadraginta dies conſtitutionibus Regiis præfinitos expectare minime opus eſt, ut illa ad ſucceſſorem per ejerationem tranſeant; ſed hæredibus ſervantur , ut de iis tanquam de re patrimoniali atque adeo hæreditaria ſtatuant arbitrio ſuo. Quæ res perniciosiſſimi inſtituti invaluit quidem auctore Ronii Marchione , ſed nomen ac famam habet a quodam *Pauleto* , cum illis uſitatis loquendi formulis, *j' ay Pauleté , & ay payé la Paulete.* Quare Eliſabetha Regina, Caroli IX Regis uxor, Imp. Maximiliani II filia , virtutis & inegritatis Germanicæ vel in juvenili ætate, & inter Gallos, retinentiſſima fœmina, cum defuncto marito reditum ad patrem in Germaniam pararet, & donationis propter nuptias , quæ ampliſſima ei in Boiis & Seguſianis attributa erat , adminiſtrationem Petro Gondio Pariſienſium Epiſcopo & aliis viris probitatis perſpectæ committeret ; pudendam illam honorum & officiorum mercaturam deteſtata, iſtis ſpeciatim in mandatis dedit , ut munera publica , ac eorum inprimis , qui jus dicunt , viris idoneis , de quorum integritate nullum

Hotom. d. l.

Th. H. l. 132.

Pauletă ſuſcepit Lud. XIII. A. C. 16.. Claud. Malingre.

Th. H. l. 60.

lum sit dubium, nullo accepto pretio concederent: quod & religiose observatum est, laudando potius quam imitando Gallis exemplo. Neque vero sperandum est, illam artem Injustitiæ institoriam meliorum & incorruptorum magistratuum subrogatione facile emendari posse: cum judicum, advocatorum, procuratorum, scribarum, accensorum, & reliquorum vulturum togatorum, forensi latrocinio misellorum clientum patrimonia deprædantium (in Justitiam enim a populo facti sumptus bis superant regni exactiones & vectigalia, ut Archiepiscopus Bituricensis in Comitiis Blœsensibus calculum subducebat) multitudo tam sit immanis; ut muscarum, culicum, pulicum, pediculorum, lendium, tinearum, erucarum, acarorum, cimicum, & id genus bestiolarum, hominibus divexandis natarum, examina æquare videatur; & qua vel decem mundi optime compositi turbari & corrumpi possint. Equidem hodie Rex Galliarum, etiam Steph. Paschasii, Galli eruditissimi simul & integerrimi viri opinione, citius & minori negotio domi collegerit *ducenta millia scribarum (de chiquaneux & gaste-papiers, suivans l'estat de la plume)* quam militum millia vel triginta tantum. Et Wolf. Prisbachius, aut quicunque tandem Gallus sub isto nomine, quo in sicarios Parisienses veritatis stylum stringere posset liberius, latere voluit, arbitrabatur: *in unica Galliæ Lutetia plures numerari tabulas, quam in universa Germania*; quæ tamen duabus partibus Gallia major esse memoretur.

Hist. de der. troub. l. 4. A.C. 1588.

Cl. Seyssel. de Monar. Fr. Budę. in Pand. F. Hotom. in Frãco-G. c. 17.

de Recher. de la Fr. l. 2. c. 5.

Placksch.

in Resp. ad orat. Helv.

retur. Et huc pertinet illud nobile scilicet forensium declamatorum & rabularum encomium; quod vix in omnibus Europæ regionibus & imperiis simul omnibus tot lites, quam in uno Galliarum regno concreverint; imo nullum sit caput legis, nullum verbum, nulla syllaba, nulla litera, ex qua Galli argumenta aut vera, aut verisimilia, ad litium propagationem exprimere non possint. Ac meminit Bodinus cujusdam judicis, propter vitæ infamiam postea relegati, qui novis legibus inhians, cum in Curia lex aliqua promulgaretur; dicere solebat; *Hem præsto sunt lites, & aureorum cumuli.* Neque vero minori periculo Justitiam involvit, & amplexibus suis pene enecat immensa & incredibilis legum multitudo; qua Gallia sola anteit & vincit reliqua Orbis imperia & regna universa. Atque hoc legum diluvium comitantur judiciorum in eodem argumento pugnæ, arrestorum ἐναντιώσεις, subtilitatum griphi, consuetudinum farragines, opinionum cerebrina æquitas; & quæ pestis est singularis, legum & Senatusconsultorum etiam optimorum aut brevissima aut nulla observatio. Et profecto nihil tam parabilis copiæ ac fere dixerim tam publicæ mercis, quam rescriptum impetrare super libello ἀναψηλαφήσεως seu revocationis arrestorum: ut jam suprema Galliæ curia, cujus olim sacrosancta autoritas erat, nihil propemodum ex pristina majestate retineat præter umbram magni nominis & inania dignitatis; & constitutiones regiæ, quibus tamdiu stetit

Bodin. de Rep. l. 6. c. 2.

De Rep. l. 6. c. 6.

La France a plus de loix, q; tout le reste du monde ensemble. Mô. tan. l. 3. c. 13.

D. Baudius cent. 1. ep. 2.

tit hoc imperium, pompæ tantum & ostentui ſint, ac vel inuſu, vel contemptu paulatim exoleſcant. Quem edictorum decretorumque & legum neglectum etiam Legatus Venetus, ingenioſius an acrius incertum, perſtringebat, cum Henrico IV Regi pro decreti alicujus Veneti abrogatione verba facienti reſponderet; *Domine,* inquiens, *Senatus Venetus diu deliberat, antequam decernat: ſed quod decrevit, revocat nunquam. Ce ne ſont pas cris de Paris: Venetorum decreta non ſunt Pariſienſium proclamationes.* Et nonne idem Rex in viſceribus ſuis poſtea ſenſit eam Galliæ Curiarum incuriam, & parricidalem in exequendis regiis ſententiis torporem? Etenim cum Rex Henricus II animadverteret olim, Lutetiæ viam Ferroneriam, qua ex Lupara ad Turriculas tranſiri ſolet, juſto eſſe anguſtiorem, edicto ſanciebat, ut omnes officinæ & ſubſtructiones, quæ tranſitum impeditiorem reddere poterant, diruerentur: quod licet ratum habuerit Parlamentum Pariſienſe, tamen quia executione fuit fruſtratum, nefario Ravallaco in Henricum IV illac ciſio vehentem, & ob plauſtrorum occurſum ſæpius morulas facientem, facinus dudum conceptum perpetrandi occaſionem demum præbuit. Sed quemadmodum in tempeſtuoſo mari nulla particula a commotionibus libera eſt, nihil ibi quietum, nihil ſtabile, unda trudit undas; & quæ navis anchoris nixa prius circumſpiciebat læta diffuſum ſine terminis æquor, nunc ea inter altiſſima fluctuum præcipitia cum naufragii

Mer. Franç. l. 6.

P. Matt. de mort. H. 4. G. R.

peri-

periculis luctatur, nec eluctatur: sic Gallia quoque illo pravitatis Oceano inundata tota, inter mille voragines, inter scopulos mille, hoc unum solatium habet reliquum, nullam sperare salutem. Ita nimirum domi justi sunt Galli. At quales sunt foris? Vt Gallicus morbus familiaritate & consuetudine Gallorum longius progressus in plurimis extra Galliam locis sævitiæ suæ stigmata inussit: ita si quando Galli regna & provincias subegerunt, quod factum est aliquoties, non minus immaniter & injuste semper se gessêre; sic tamen, ut pari fortuna cum eorum cognomine morbo, tandem ignem, ferrum, & omnia ultima remedia passi sint; nihilque foris præter suorum funera, cadavera, sepulchra, & infamem memoriam reliquerint. Quod demonstratu per est proclive Annalium memoriam retexenti; creditu perfacile audienti: sed aurium vestrarum patientiam tentabo, Auditores. *Carolus Andegavensis*, Sancti Ludovici Galliarum Regis frater, a Papa, magnificentissimo alieni largitore, utriusque Siciliæ regno donatus & Ψευδοβασιλεὺς factus; cum perfidia Nobilitatis Apulæ & plerorumque regni incolarum succollante, Manfredo Rege debellato & occiso, rege puero legitimo hærede *Conradino*, & ex Hohenstauffensium Imperatoria familia ultimo, jam victore, per insidias Alardi victo, & a piscatore prodito, & una cum Austrio Duce Friderico carnificis manibus obtruncato; O tyrannum!

Naucl. Vol. 2. gen. 43. Pand. Collenut. H. Neap. l. 4. Ger. de Roo Ann. Aust. l. 1. Crus. Ann. Suev. p. 3. l. 21. c. 15. &c. P. Mornæ. in H. Pap.

——————————*Quis talia fando*

tempe-

temperet a lacrymis, luctumq; coherceat altum? *Veramente di sasso sarebbe colui, che non fusse da un tanto crudele essempio commosso; che un Re tanto generoso, & da tanti Cesari derivato, & un Duca tanto valoroso, & amendui giovenetti, fussero trattati vilmente con sommo vituperio; & poi senza alcuna ragione per consiglio di Papa Clemente quarto decapitati*; ait scriptor Italus: Ille Carolus, ille Petri Aragonici Regis elogio, *Nerone Neronior, & Saracenis crudelior*; cujus truculentiam gener ipsius Robertus Flandriæ Comes ea ferebat impatientia, ut protonotarium Robertum Barium, qui e cathedra capitalem sententiam tenuissimæ conditionis homo, adversus tantæ excellentiæ Principes pronunciaverat, tanquam vita indignum, ense confoderit: Ille, inquam, Carolus cum omnem Siciliæ utriusque ditionem cepisset, magistratus ex popularibus suis Gallis ubique constituebat, qui jura dicerent, & provinciæ præessent: quod officium illi ita obibant; ut fastu, luxuria, crudelitate opplerent omnia, insolita vectigalia imponerent, intolerabilia tributa exigerent, fœminas nobiles & opulentas ad matrimonia adigerent, nuptas adulterarent; sub prætextu laneorum substragulorum, quæ Judæi ac cæteri pro viribus facultatum militibus & ministris regiis curiæ jussu exhibere tenebantur, domos ingressi supellectilem omnem excuterent, mulieres impudice tangerent, in cives non aliam ob causam, nisi quia lautioris fortunæ essent, proscriptionibus, relegationibus, bonorum

M.Guaz. in Chron.

Consultus Papa respō-dissete.tur: *Vita Conradini, mors Caroli: Mors Conradini, vita Caroli.*

T. Facel. de reb S post. dec. l. 8. c. 4.

norum publicationibus, infremerent. Verum Siculi XVII annorum tyrannidem composito animo, inter murmura tamen tacita perpessi, simul ac illos primum zelotypiæ sensus incessit; tum quoque indignari, excandescere, concurrere, consilia, arma, bona & sanguinem in Gallorum excidium conferre cœperunt. Inprimis ad Nicolaum III Pont. Max. mittunt legatos, qui eum tali exordio affati, *Miserere mei fili David: Filia mea male a Dæmonio vexatur*: ad Gallorum feritatem & petulantiam compescendam longa serie recitatis criminibus excitant: inde per Jo. Prochytam etiam Palæologum Imp. Constantinopolitanum, & Petrum Aragoniæ Regem, sibi contra Carolum conciliant; & denique communibus suffragiis conjurant, de omnibus Gallis in tota Sicilia, nullo sexus, ætatis, conditionis, discrimine habito, uno eodemque tempore, ut primum circa vesperam campanæ signum auditum fuerit, improviso occidendis. Igitur An. Chr. cIↃ CC LXXXII[do], Caroli vero regni XVII[mo] 3. Kal. Aprilis, ad æris ὁμόχρονον per totam insulam pulsum Siculi in Gallos nil tale unquam veritos summa violentia, & uno quasi impetu derepente insurgunt; omnibus, qui quidem arma ferre poterant, monachis quoque punctim cæsimque rem agentibus: qua re ultionis ardori sic indulgebant, ut etiam prægnanteis exenterarint, & parvulos (ne quid Gallici generis superesset in Sicilia) saxis illiserint; bihorii tantum spatio *octo Gallorum millibus* interfectis. Hæc,

Audi-

Auditores, hæc Gallorum in Sicilia fuit justitia: hæc licentiæ diu exercitæ fuit remuneratio: hæc dæmonii filiam exagitantis fuit profligatio: hic proverbio celeberrimus fuit SICULUS VESPER. Et quis ambigat, si Galli vel sexcenta imperia subjugarent, quin undique Vesperum Siculum sint habituri? Equidem vicini quid in Gallos machinaturi essent, Attrebatum docere possit; quo a Rege Ludovico XI expugnato, & in potestatem redacto, multi ex civibus maluerunt suspendium sustinere, quam dicere, *Vive le Roy*, *Vivat Rex*. Quid dicam de *Francisco Alençonio*? Ecquod Justitiæ monumentum, ecquam fidei, integritatis, & clementiæ memoriam reliquit ille Belgis suis? Credebatur primum a Rupellanis, Montalbanensibus, Nemausensibus, & aliis Protestantibus, quasi *Hercules* novus, (& erat id ei olim nomen) ad mala pellenda & monstra Galliæ debellanda e cœlo in terras demissus esse: sed quia is domi fastum & ambitionem saturare non poterat, captata ex turbis Belgii, cui jampridem inhiabat, occasione, protinus ad Ordines, qui a Philippo II Hispaniarum Rege defecerant, Fugereum mittit cum mandatis, quibus se suamque operam & opes prolixe deferebat. Interea VIII cIↄ peditum & cIↄ equites ex voluntaria Nobilitate conscripsit: quibus cum stipendium non numeraretur, immane quam sæva ubique grassati sunt licentia, ne Nobilium quidem domibus per agros parcentes; patiente Rege Henrico III, qui fratrem quavis conditio-

M. Mont. l. 1. c. 40.

Th. H. l. 62.

Th. H. l. 64.

ne cum sequacibus suis extra regnum esse percupiebat; nec illi tanquam auxiliares, sed quasi infestissimi hostes Belgium ingressi sunt. Intellecto autem ex legatis, quos deinceps alios miserat Alençonius, adventum suum Belgio non ingratum fore; venire nihil cunctatur, & quantum potest iter maturat. Sed antequam proficisceretur, ex compacto cum parente regina ad levandam invidiam, dissimulatis veris causis, (solenne enim hoc est imperiorum invasoribus. & ô quoties hanc fabulam jam spectat hic orbis? quoties in hanc scenam novi prodeunt histriones?) specioso programmate enarrat & testatur, procerum & ordinum Belgii rogatu se invitatum esse, ne provinciam Hispanorum tyrannide tamdiu vexatam, & olim coronæ Franciæ beneficiariam, in tantis calamitatibus desereret. Et vero, quamvis dissuadente carissima matre cæterisque Principibus, eorum preces contemnere noluisse, sed boni Principis officium se facturum existimasse, si honorificis adeo conditionibus oblatis, in tam necessario bello occasioni non decesset. Nam suum hoc votum ac desiderium unicum esse, non ut rebellanteis adversus legitimum Principem populos protegat; verum ut pacem concordiamque ordinum tueatur, & quæ per superiorum temporum injuriam perversa sunt corrigat, atque antiqua privilegia ac libertates conjunctæ Gallico nomini nationi opera sua conservet. Proinde DEUM se obtestari, non avaritia aut ambitione, vel convellendi cujusquam

quam imperii desiderio; sed officio tantum & adflictæ adeo provinciæ commiseratione stimulatum, hoc bellum suscipere. Post hæc, cum certis conditionibus cum Ordinibus transegisset, *Defensor Belgicæ libertatis* promulgatus; & Arausionensi annitente autoreque biennio post in *Principem Belgii* electus est: Henrico Rege in gratiam fratris non solum ad Belgicum bellum magnam pecuniæ vim concedente, sed etiam ad delectus, quos novus Princeps per regnum habiturus esset, dissimulaturum se promittente; lege tamen addita, ne sibi in bellum, contra Hispanum in Aquitania proxima Navarri hoc ipsum urgentis ductu gerendum, consentiendi necessitas imponeretur. Etsi vero Henricus Philippo Hispano ea de re per Oratorem expostulanti se excusaret, causatus, a fratre illa omnia se invito fieri, & injussu suo Nobilitatem extra regnum militare: tamen sic Philippo minime responsum, nedum satisfactum est; qui inde etiam ad antiqua consilia de rebus in Gallia turbandis odium irreconciliabile adjecit, quo tandem occasionem nactus ad florentissimi & potentiæ suæ æmuli regni perniciem defunctus est. Alençonio postea ex Anglia, ubi totam hyemem apud Elisabetham inter hastiludia ac nocturnas pompas nuptiarum fiducia, de quibus jam tabulis confectis convenerat, erat moratus, in Belgium appellenti triumfales & sumptuosissimi ac plane regii honores Vlissingæ, Midelburgi, Brugis, Gandavi, alibi, exhibiti sunt; & potissimum

Th. H. l. 71.

A. Ch. 1580.

Th. H. l. 71.

Th. H. l. 75.

Cambd. in Ann. Angl.

Antuerpiæ : ubi cum in capita *Læti Introitus* ju-
rasset, *Brabantiæ*, *Limburgi*, *& Loterii Dux* pro-
nunciatus est ; Arausionensi, dum ei inter sole-
mnia togam induebat, hæc verba usurpante:
*Hoc Principale pallium, quod sumis, arcta tibi fibu-
la nectendum est, ne quis illud detrahere posit.*
Atenim *læti introitus* parum memor Alençonius,
nec sacramenti religionem diu veritus, mox con-
tra Belgii libertatem tyrannica agitat consilia,
& futuri anxius præcipua Belgii loca sui juris fa-
cere molitur. Re inter conscios deliberata, &
functionibus tam infamis executionis distributis;
ad diem condictam Eindovia, Dunkerka, Dix-
muida, intercipiuntur : Brugis tamen & alibi
fraude conjuratorum successu carente. Antuer-
piæ occupationem Dux ipse sibi sumpserat, va-
na potiundæ urbis spe ita exultans, ut quasi jam
re confecta jactationi minime temperaverit, &
humero Consulis Philippi Schonovii ter percus-
Th. H.l.77. so subjecerit : *Hæc illa dies erit*, (erat autem XVI.
Kal. Febr. An. Chr. 1583.) *quæ inani Principatus
imagine deceptum adhuc, me deinceps verum rei Bel-
gicæ summumq; Ducem imponet.* Monpenserius,
Lavallus, ac Rupifulcaudius, quibus tunc pri-
mum res communicabatur, facti atrocitate per-
culsi intercedebant, gentis decus, ex qua ille
prognatus esset, non pati, ut claritudini ejus
tam fœdam labem aspergeret ; & propterea pa-
rendi necessitatem deprecati, ut se excusatos ha-
beret, Ducem rogabant. Verum Duce in sen-
tentia obstinato, Gallisque jam in urbem ac ci-
veis

veis impetum vertentibus, & modo se amicos clamitantibus, modo cædem & exitium interminantibus; cives imperterriti generose sese opponunt furialibus Gallis; & quamvis diversitate religionum scissi, tamen conjunctis viribus pro vita, liberis, uxoribus, in communi causa miscent iras, tanto ardore, ut quibus glandes plumbeæ deessent, animis industriam facientibus, numos marsupiis promptos & dentibus mansos protinus sclopetis indiderint & exploserint. Eventus Gallicæ hujus proditionis hic fuit: ut Dux amissis cIↃ cc flagitii tam nefarii sociis & administris, ipse & gentis existimationem, & fidem, & denique semetipsum perdiderit: nuncio postea de casu Antuerpiensi & strage Gallorum in aula & regno varie accepto; illis tamen, qui divinam providentiam profundius scrutantur, justo Dei judicio id tribuentibus, cui perperam dominantium vindicta, & salus bonorum æque curæ esset. Tandem Dux sive sera pœnitentia ductus, sive sinistrorum rumorum pertæsus, e Belgio discessit inglorius, & in Castro Theodorici, quod erat ejus ditionis oppidum, IV. Eid. Junias, proximo anno, ex hac vita migravit; non sine suspicione veneni, a Medico per Matrem ei commendato præbiti, inter horrendos dolores extinctus, sanguine ex omnibus membris emanante. Sepeliri quidem voluerat tanquam Brabantiæ Dux ac Belgii dominus, cum insignibus illarum provinciarum: sed regii consiliarii nequaquam consultum existimarunt, & E. Reidan. Annal. l. 5.

Th. H. l. 79. offensionem Regis Hispaniarum veriti ab illis titulis abstinuerunt. Et eandem ob causam patrocinium Cameraci, quod frater petierat, Rex suscipere recusavit. Mortuum laudavit vir summa facundia & eruditione *Reginaldus Belnensis* Archiepiscopus Bituricensis, olim ipsius Cancellarius, qui res ejus in Belgio gestas a Rege monitus uti scopulum prætervectus est, magnitudinem familiæ & solas de mortalitatis conditione querimonias multis verborum pigmentis exornatas quasi solenne carmen addere contentus. Quis, mei Auditores, quis hic Dei, præfervidum Alençonii fastum & nimis altos spiritus desubito deprimentis, justitiam non veneretur supplex? Quis perfidiam & injustitiam Galli Ducis & sociorum non insectetur imprecationibus omnibus? O minime *lætus introitus*, quem sequitur & brevi temporis intercapedine tam *tristis exitus*! O minime patranda Principibus illa facinora, quæ post autorum mortem aut honoris causa silentio damnantur, aut cum eorum infamia ad posteritatem eunt! *Fidei religionem*, ait

De Rep. l. 5. c. 6. Bodinus, *plerique Principes nullam esse putant oportere, si publica utilitas agitur. Quinetiam tanta est hominum perfidia, ut cum maxime fallere proposuerunt, omnibus exsecrationibus se se devovere non dubitent: ut Lysandrum dicere solitum ferunt; pueros quidem astragalis, cæteros jurejurando falli oportere.* Id tamen Bodinus demonstrare non poterit melius, nisi exemplis e Gallia petitis. Quare cum Henricus Fitz-Alanus Comes Arundeliæ, fami-

Plutarch. in Lysand.

liæ

liæ ſuæ ultimus (qui primus rhedarum, quas *Coches* vocant, uſum in Angliam induxit) illos improbos Gallorum mores & illam indolem tempeſtuoſam haberet exploratam, nuptiis reginæ Eliſabethæ, quas Alençonius tantopere ambibat, ſe palam oppoſuit, profeſſus GALLOS SIBI MINIME PLACERE; *ſeque a patre in Suſſexia Gallis vicina nato edoctum eſſe*, NE GALLIS CREDERET. Verum iterum iterumque dico, quod dixi ſæpiùs; Gallos *fraudibus agere, & Fidem publicam, quæ perire non debet*, quadam juris ſpecie a quibuſdam legitimis & juſtis conventionibus ſine fronte & nullo pudoris indicio exterminare, vaniſſimis ratiunculis innitentes; quaſi Galliæ Reges, quia regnum non hæreditario jure, ſed lege Regia obtineant, majorum obligationibus & pactis conventis non vinciantur. Sic enim curia Pariſiorum jampridem judicavit. Hinc Ludovicus XII, Caroli VIII ſucceſſor, repetentibus tormenta bellica, quæ Carolus commodato acceperat, repoſuit illud, *ſe Caroli hæredem non eſſe*. Et Franciſcus II Helvetiis patris debita repoſcentibus negavit, ad paternorum debitorum ſolutionem ſe teneri: ſiquidem non hæreditate, ſed lege Salica imperium ad ſe fuerit delatum. At vero quæ hæc inſania eſt; Principes, qui ſupra omnes homines ſunt, & quorum vitam & actiones alii homines pro vitæ regula & canone obſervare ſolent, ab hominum converſatione ſic imprudentiſſime arcere, & cum levis armaturæ homuncionibus, & tantum non cum Va-

Gutſchen.

Cambd. in Ann. Ang. A Ch. 1580. Th. H. l. 70.

Flor. l. 3. c. 10. l ult C. de re jud.

Bodin de Rep. l. 1. c. 8.

A. Ch. 1559.

Enenkel. B. de Privil. l. 3. c. 11.

sconum illis contemptissimis componere velle? Est enim in Vasconia, & præcipue apud Bigerrones & Benearnenses despectum hominum genus, quos *Capots*, & variante dialecto *Gahets* vocant, plerumque fabri lignarii, vietores, aliisque mechanicis artibus dediti; quorum commercia nemo non fugit & abominatur, quia creduntur lepra infecti, & alios inficere; ideoque oppidis excluduntur, & in suburbia removentur; in templis quoque certis eis stationibus, ne odore & halitu suo, quem spirant graveolentem ac tetrum, vicinis sint molesti, assignatis: servorum habentur loco, ne ausi quidem mutire, si quid injuriæ inferatur vel a vilissimo: si quis eorum forte ditior moriatur, liberi tamen non fiunt hæredes, nisi rerum mobilium, quas omnes alii tanquam certam luem aversantur. Sed & nos ab hisce Vasconibus sermonem nunc avertamus. An vero ita luscitiosi, aut ita talpæ, & asini sunt Galli; ut non animadvertant, fide Principis vacillante, neminem cum eo, aut certe invitum gementemque contracturum; Principe contractus & pacta majorum non observante, vicissim nec illos, qui cum majoribus bona fide contraxerunt, promissa isti præstaturum, parique ratione contra juris rationem, legatum Principi relictum, qui antequam dies legati cedat ab hominibus ereptus est, ad successorem non perventurum? Quorsum illud Francisci I Galliarum Regis dictum? *Etiamsi Fides toto orbe exsularet, tamen*

Merul. Cos. p. 2. l. 3. c. 38.

arg. l. 7. C. de resc. vend. & l. 1. ff. quod quis. jur. in al. stat.

l. 56. ff. de legat. 2.

Lips. M. P. l. 3. c. 13.

tamen Regibus tenendam esse; qui ea sola, & nullo metu, cogi adstringiq; possint. An fides Gallica jam est extorris & exul? Aut, an fides Gallica jam sterilescit, nec fert amplius bona opera? Quorsum etiam illud toties a Gallis jactatum: *Reges Galliæ non moriuntur?* An reges vivent, & fides illorum non vivet? An reges non morientur, & tamen fides illorum morietur? An, quod credibile est, iste fidei publicæ ludus dependet ab antiquissimo gentis præconio, *Gallos esse Leves?* Quod a Cæsare scriptum, a Tacito & Trebellio confirmatum, ab Italis & Germanis sæpissime repetitum, frustra refutare conatur ille *Audius sine bono*, vernaculo more, vitia quibus ipsius populares abundant, aliis per calumniam levissime adscribendo; veluti meretrices quadrantariæ, quæ ut turpitudini suæ fucum aliquem objiciant, probas fœminas probris & maledictis incessere non cessant. Et ut semel dicam, Bodinus *homo*, sicuti a Cujacio laudatur, *est temerarius & insolens, falso admodum pro more suo & manifesta mendacia scribens, propriaq; sibi convitia perperam in omnes effundens:* vel, uti a Cambdeno honoratur, *auditionibus & incertis rumoribus nimium serviens:* cui mea sententia in multis scriptis consuendis mater errorum Ignorantia, obstetrix ignorantiæ Levitas, & nutrix levitatis Calumnia, sæpe cerebrum stylumque implevisse & circumduxisse videntur. Cumque is licitum sibi putaret, *popularium suorum dignitatem honesto mendacio tueri*; hac ille viro bono indignissima credulitate in

Bod. de R. l. 1. c. 8.

Bod. in M. H. c. 5. & de Rep. l. 5. c. 1. *Ioannes Bodinus.*

Cujac. Obs. l. 18. c. 38.

Cambd. in Hibernia.

Bod. M. H. c. 4.

Tileman. de hist. del. syrtes calumniarum & vaniloquii euripos abreptus, passim in Germanos tota mendaciorum plaustra evomit; indeque Germanos & *stupidos, & rusticos, minimum rationis & plurimum roboris habentes, leves, suavitatem orationis ac Veneres dicendi respuentes, Principes Germanorum ligios vasallos Regis Galliæ, Germaniam provinciam Galliæ, Imperatorem Germanorum Sultani Turcarum tributarium, Mauritium Saxonem Electorem perfidiæ Licentiatum*; & ejusmodi plurima levitatis περίσματα scribere non erubescit. Quod si autem *vir bonus hæc præstare debet, ne mentiatur*: quem ille locum inter bonos viros habere poterit, qui in viros bonos, in virtutum proceres, in Imperii optime meritos Principes, in nationem longe honestissimam & nobilissimam, tot cumulatis putidis mendaciis grassari audet? Tametsi nebuloni Bodino, quem sanitas ambigua cum talia scriberet excusat, non tam indignor; quippe qui hunc assertionum suarum fructum jam collegit apud cordatos, ut, quod ipse de Paulo Jovio scripsit, *etiam cum vera scribit, sit suspectus*; quam quibusdam mente spuria præditis Germanis, qui illius mendaciis ingratitudinis in patriam mantellum circumponentes, strenue cum eo contra Imperii majestatem stylo digladiantur. Ita *nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat*. Romæ olim tanta veneratione & religione Imperatorum statuæ imaginesque colebantur, ut ne conflare quidem eas ac vendere sine capitis periculo, & citra majestatis crimen licuerit; quin erant perfu-

Marginal notes: Bod. in M. H. c. 5. & de Rep. l. 1. c. 9. l. 5. c. 6. — Bod. M. H. c. 6. — In M. H. c. 4. — Plin. H. N. l. 8. c. 22. — l. 5. §. 2. l. 6. ff. ad L. Jul. M.

perfugium ingenuis & servis, injuria adfectis; cura ista cultus eo usque demum progressa, ut apud Aspendios impietatis damnatus quidam fuerit, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat. At si in tantula olim peccatula animadversum est: quid hodie faceret Tiberius aliquis Bodinianis illis; qui pestilenti inutilium disputationum hectica furentes Imperii Germanici Monarchiam arietant, (quia forte Albertus Moguntinensis Archiepiscopus in rejectione Francisci Gallorum Regis, Cæsaream dignitatem ambientis, Aristocratiam retinendam esse sensu haudquaquam Bodiniano dixerat) qui subditos quosdam Imperii refractarios, rebelles, & transfugas, jure suo liberos esse pronunciant; qui Florentinum, Sabaudum, Lotharingum, Genuenses, Senenses, Helvetios, & alios, amplius ad Imperium nihil pertinere magno nisu vociferantur? Illi enim, Auditores mei, non Imperatoris statuæ vel imagini inferunt injuriam; sed ipsummet Imperatorem augustissimum, ipsummet Imperium, quod sacrosanctum nobis esse debeat, furialiter adoriuntur, decusque Germanicum & legitimum civium obsequium, per cuniculos monstrosarum opinionum subruere pro virili conantur. Profana scripturientium rabies, & dirum cacoethes: quod in Republica, & præsertim in literaria tolerandum non sit. Nam cum Imperator sit Academiarum pater & fons, & illius gratia Doctores, Magistri, & Studiosi,

Philostra. de Apol. l. 1.

Sleid. Com. l. 1.

honores & privilegia ampliſſima conſequantur: qua impietate ſe illaqueant illi, qui ſummum illud Imperii & totius Chriſtiani orbis caput voce calamoque deprimunt? qua ingratitudine ſe collutulant Academiæ, quæ talia dicta ſive ſcripta impune graſſari permittunt? aut, quod gravius, ea cenſuris & teſtimoniis publicis probant? An vero illa curioſolorum grandiloquentia ſic bacchabitur ſemper? An illam licentiam ſiſtet pœnitentia nulla? Plinius avunculus in montis Veſuvii incendio (quod ſub Tito Imp. contigit: & non ſolum tanto fragore mugituque ex imis cavernis flammas denſiſſimo fumo mixtas expuit, ut aerem omnem & ſolem ipſum obſcurarit; cineribus quoque ventorum vi Romam uſque, & in Africam, Syriam & Ægyptum ejectis: verum etiam duas integras urbes, Herculanium & Pompejos, populo ſedente in theatro, penitus obruit) cum ille miraculi cauſas exploraturus accederet propius, & jam flamma undique incumbente inceptum perſeverantius exequeretur, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo periit: & tamen Plinius hac curioſitate contemplandi publice nocuit nemini. Sed ut in via ſi beſtia luto me adſpergat, non excandeſco ſtatim, & viciſſim in illam regero ſordes: ita hic mihi faciundum; & Bodinus atque Bodiniani omnes pro beſtiis habendi, quæ non judicio, ſed protervia lædunt Germaniam, & Germanos noſtros.

Dio Caſſ. hiſtor. l. 66. Plin. junior l. 6. ep. 16. Leand. Alb. de Camp.

TERTIA FURIA, quæ privatas inprimis peſſumdat familias, Gallis jamdudum exautorata

ta virtute omnem decussit honorem. In hujus diræ famulitio valde numeroso primas tenet *Temeritas*: quæ Cæsaris testimonio *Gallorum genti maxime est innata.* Adeo ipsa natura quoque Galliæ est adversa & novercalis. Vt Insulæ quædam semper fluctuant: sic Galli perpetuo temeritatis æstu agitantur. Sive ut Circius ventus, *quem ex sua terra flantem Galli sævissimum patiuntur*; & cui Augustus, ne Galliam rapidus infestaret, aliquando votum exolvit, & sacrum fecit; vertigine turbat regiones: sic Galli singuli Circium in capite gestant, qui illorum consilia & cogitationes quasi turbine quodam perpetim versat, raptat, circinat & emasculat. Cæs. l. 7. de bello G. Plin. H. N. l. 2., c. 86.

Mens oculosq; pedesq; rapit, rapit undique mentem,
quicquid in occursum pesq; oculusq; rapit.

Disputant Medici; an vermes ex putrefactione in homine nati, alibi quam in ventre vel stomacho generentur: ego existimaverim, nullam nationem æque vermibus divexari atque Gallicam, sed illis bestiolis natale solum ac domicilium in cerebro, stabili Gallicæ instabilitatis stabulo, esse. Exemplar autem, & vivam Gallicæ temeritatis hominisque in moribus atque actionibus omnibus semper variabilis imaginem, singulari studio & bona fide delineavit Alexander Pontamarius, & ipse Gallus, in descriptione Gallicæ Nobilitatis: nemo artifex Gallum pingere vel fingere potuisset diligentius & verius. *La jeune Noblesse de France* (ait) *est d'autre humeur: elle ne se* M. Savonarola de Vermib. c. 1. en l'Acad. de la. Nob. Françoise.

plaist

plaist qu' a une espece de mignotise, ou elle rend plus preuue de lascheté, que de valeur: elle est tellement imbue de je ne sçay quel mespris, que tout son maintien n'est q'un perpetuel desdain: elle a plus de mouuement aux espaules, plus de bricolles aux pieds, plus de singeries aux mains, & de tournoyements en la teste, qu'il n'y a de goutte d'eau en la Seine. elle se contrefait, elle se desguise, elle begaye au lieu de parler, elle Pantalonne a cheual, & se comporte en toutes ses actions si ridiculement, qu'un peintre ne sçauroit avec plus d'artifice esbaucher la figure d'un fol, que ce pauure gentilhomme François en donne de tesmoignage. Et puis oyez le discourir, c'est luy qui ne craint personne, & n'a jamais appris de se faire craindre: c'est luy, qui bat tout le monde, & il ignore le moyen de se defendre: c'est luy, qui est bien a cheual, & il ne sçait pas tenir la bride: c'est luy, qui entretient bien les dames, & le filles de chambre se mocquent de ses discours: bref, c'est celuy mesme, qui est la fable du peuple, l'ordinaire pitié des honnestes gens, & la scandale de sa ligneé. Va-il par la ruë, il ne fait pas une desmarche, qu'il ne regarde en arriere pour se glorifier en la suite de ses valets; chasquefois il aura les yeux sur les souliers, il portera sa main au collet de sa chemise. Homme sot & miserable, &c. Hoc dicit Pontamarius, Auditores: *Gallica juvenis Nobilitas generosi honesti parum curiosa, sed potius ignavi otii deliciis ac vanitatibus mire dedita est, cum perpetuo rerum omnium fastidio: ubique in mimicis pedum manuumque gesticulationibus, motationibus scapularum, capitis*

pitis vibrationibus prodigiose frequens; incessu, vestitu, sermone, & in omnibus actionibus ita ridicula & histrio, ut omnibus numeris absoluti fatui indolem & personam exacte repraesentet. Ad colloquia si ventum sit; videas homines lingua feroces, qui mortalium timent neminem, ipsi tamen vix ulli mortalium formidandi; audias verbis meros Hercules, qui oris sui clava sternunt & humi dejectant robustissimum quemq;, ipsi tamen ad corporis sui defensionem nihil recte atq; ordine facturi; credas, jactantibus equitandi peritia nusquam pares esse, ipsi tamen in hippodromo ludibrium vel tyronibus debituri: putes deniq;, prater ceteros, unos illos magnificos sui pracones merito sibi vendicare Gynacei applausum; sed quos a tergo famularum multa ciconia pinsit. Summa; sunt illi fabula vulgi, bonorum miseratio, ordinis sui macula; homines stolidi, & publicis Christianorum supplicationibus includendi. Ex hac Protei Academia omnes pene artes expullulant, quæ familias fortunis honoribusque evertunt. Interque eas *Alea lusus* mirum quantum invaluit: qui licet in aliis bene compositis Rebuspub. graviter inhibeatur, constituta in transgressores pœnali actione famosa: sitque receptum, ut susceptori aleatorum, qui aleatoribus longe nequior est, impune fiat furtum, & injuria damnumque detur impune; ut quoque, qui cogit ad ludum, gravi multa coerceatur, vel ducatur in latomias aut vincula publica; atque insuper domus, quibus alea luditur, publicentur: nihilominus hodie tota Gallia est alea, & permissione publica alea-

l. 1. & 2. ff. l. 1. & 2. C. de aleat. Cuj. in parat. ibid. P. Gre. in Synt. jur. univ. l. 39. c. 3. Iac. Concenat. Qu. l. 4. c. 6.

[Mert. Fr. l. 5.] alearum gymnasia fervent. Tesserarii ibi non in res nihili, non in argentum comicum, sed in aureos Hispanicos, quos acervatim ponunt, & in tota patrimonia ludunt, vereque Imp. Justi- [l. 2. C. de aleat.] niani verbis, *quidam nec ludentes, nec ludum scientos, sed numeratione tantum proprias substantias perdunt die noctuq; ludendo, argento, apparatu lapidum, & auro.* Ac nuper Medici cujusdam filius in tali publica aleæ Academia (hoc enim nomine corruptionis officinæ indigitantur) *sexaginta coronatorum millia* dilapidavit. Non enim viri magnates solum, (quanquam nemo magnus esse potest, quem turpia & infamia delectant) verum etiam Doctorum & Advocatorum filii pueri, adolescentes quæstores & mercatores, eandem fortunæ scholam frequentant; qui minoris faciunt nunc mille pistoletos aureos, quam ipsorum majores Francisci I ætate solidum unum (constituunt autem hodie LXX solidi, aut præter propter, aureum Hispanicum pistoletum) faciebant. Gallica autem justitia interim nec segnem dat operam, ne Alea quid capiat detrimenti. Res alibi insolita, & propterea creditu difficilis, aliquo exemplo demonstranda est. Annis enim proximis cum *Ionas* quidam, hujusmodi tesserariæ Academiæ Rector, ad infame illud exercitium ædes quasdam Lutetiæ, in San-Germani suburbio, tempore nundinarum [1605. Fran-cum.] conduxisset, *in dies tantum quindecim mercede mille & quadringentarum libellarum constituta*; & vero locatore solutionem postulante, conductoris uxor,

uxor, quæ divisas & omnino separatas bonorum rationes a marito habebat, a magistratu facultatem peteret, res suas mobiles e domo conductitia alio transferendi: Senatus judicavit, ut petitrix suppellectilem suam ablatura exolveret aureos XX, venia locatori concessa reliquum ex conductoris bonis excutiendi. Proh rem stupendam & dolendam! In Gallia, in Galliæ metropoli, in primaria Regis sede, in justitiæ Gallicæ domicilio, in clarissimæ Academiæ facie; impurissimas illas Academias ferri, pro pro alea judicari, pro alea tantum pecuniarum perditissima prodigendi voluptate consumi! O tempora! O mores! Ne tamen quid dissimulemus; accepimus, severum admodum a Ludovico XIII Rege edictum in aleatores nuperrime conditum fuisse: quod, ut malum tollat penitus, aut minuat saltim, vovemus quidem; sed qui ingenium & indolem nationis habent perspectam, non sine causa verentur, ne improbissimorum morum contumacia edicti sanctitatem contumeliose vincat. Verum in obscœna *Veneris alea* non minus fortunati Galli, adeoque istic prorsus omnino sunt galli: & cum alii populi, jactatis istiusmodi voluptatum talis, vix *canem* aut *senionem* mittant, illi *Venerem* jaciunt frequentissime; quæ tamen inexplicabilibus studiis, nec non infamibus expensis, sæpe extremis vitæ periculis constat. Equidem aversæ Veneris flagitio Galli, & præsertim Massilienses inquinati jam ante plurima secula turpissimo proverbio, Cl. Maling.

πλεῖν

Lipf. not. ad Taciti Germ. n. 29. πλεύσῃας εἰς Μασσαλίαν, *Maſſiliam naviges*, locum fecerunt. Credebantur enim γυναικοπαθεῖν. Atque hunc ſceleratiſſimum puerorum amorem molles Græculi cum aliis pluribus ſceleribus tradiderunt non Gallis ſolum; ſed & eodem fœdarunt Hiſpanos, Illyrios, Italos, & ex his maxime Romanos. Germani tamen huic abominabili peccato neutiquam erant obnoxii. Itaque Quintilianus pro Mariano milite, qui tribunum, pudicitiæ ejus nefariam vim inferre tentantem occiderat, & ad primum ſtatim obſcœnæ libidinis ſermonem ferrum per pectus infandi corruptoris exegerat, veriſſime excipit, & meretriciam neceſſitatem hoc revellit oraculo: Decl. 3. *Nihil tale novêre Germani: & ſanctius vivitur ad Oceanum*. Batavi quoque duce Civili propterea arma vertebant in Romanos; Tac. H. l. 4. quod illorum liberi impuberes ad ſtupra & muliebrem patientiam a furioſis iſtis naturæ ſexuſque temeratoribus vocarentur. Sed quid hæc exequor extrema flagitia? In aliis forſitan cauſis, Auditores, permittitur indignitatem rei oratione exaggerare: hic parcendum verbis eſt, pudoris gratia: & pudet me, quod dicentem intellexiſtis. Hodiernis autem moribus in Gallia perperam quæritur, an in ſcortationes & vagas libidines animadverti debeat: ſiquidem ſecundum Franciæ mores etiam adulteria non puniri magni hominis JC. Joannes An. Robert. rer. jud. l. 1. c. 14. Faber & nonnulli alii olim ſcripſerunt. Et memini, cum Aureliani Landa Molinus, qui Godardam Jo. Godini uxorem, dum vir in caſtris

mora-

morabatur, corrupisse convictus & ad mortem damnatus, amboque Landa & Godarda in publica platea laqueo suspensi essent; Pigreterio prisci moris ac severitatis viro, qui a Ludovico Condæo urbi præpositus fuerat, judicium urgente, & grassantibus vitiis exemplo opus esse dictitante; aulam regiam adeo male illud accepisse, ut plerique summa impudentia palam testarentur, *se a Protestantibus semper alienos futuros, & vel ob eam causam nunquam in eorum verba juraturos esse; qui adulteriis hucusq; impunitis nova & apud Gallos inaudita severitate pœnam capitis statuerint.* Quid? quod & Aula ipsa facit lenocinium. Quo enim spectat illud, quod Catharina Medicea, ut arcana scrutaretur, e comitatu suo nobilem puellam Antonio Navarræ Regi, nimia cæteroquin proclivitate in vagas voluptates decurrenti; & istam efflictim deperennti, submisit? Quo illud, quod eadem Medicina parique astu Condæum inescavit? tum auctor esset virgini cuidam cognatione sibi conjunctæ, ut Condæum, quem sciebat in istam oculos crebro conjicere, occultis mutui amoris eoque acrioribus stimulis inflammaret, & penitiores ejus sensus rimaretur: quæ tamen cupido amanti copiam faciens ex nobilium Gynæceo postea *ob prægnantes causas* ejecta est! prudentius factura Medicea, si totum Gynæceum, lupanar cogitans, ex aula exturbasset. Quid enim in Gynæceo pudicum, quid verecundum restabat? Quota Gynæcei pars Gagatem (a) cum aqua tritum sine

A. Ch. 1561.

Th. H. l. 28.

Th. H. l. 31.

Th. H. l. 35.

(a) *Protocal lo-hium uterinam* P iov in Sc: Plin. H. N. l. 36. c. 19. *sed fabulose, lapidem vocat* Meoth: l: c prast: 891 n: 18

Lipſ. not. ad Taciti Germ. n. 19. πλεύσῃας εἰς Μασσαλίαν, *Maſſiliam naviges*, locum fecerunt. Credebantur enim γυναικοπαθεῖν. Atque hunc ſceleratiſſimum puerorum amorem molles Græculi cum aliis pluribus ſceleribus tradiderunt non Gallis ſolum; ſed & eodem fœdarunt Hiſpanos, Illyrios, Italos, & ex his maxime Romanos. Germani tamen huic abominabili peccato neutiquam erant obnoxii. Itaque Quintilianus pro Mariano milite, qui tribunum, pudicitiæ ejus nefariam vim inferre tentantem occiderat, & ad primum ſtatim obſcœnæ libidinis ſermonem ferrum per pectus infandi corruptoris exegerat, veriſſime excipit, & meretriciam neceſſitatem hoc revellit oraculo: Decl. 3. *Nihil tale novêre Germani: & ſanctius vivitur ad Oceanum.* Batavi quoque duce Civili propterea arma vertebant in Romanos; Tac. H. l. 4. quod illorum liberi impuberes ad ſtupra & muliebrem patientiam a furioſis iſtis naturæ ſexuſque temeratoribus vocarentur. Sed quid hæc exequor extrema flagitia? In aliis forſitan cauſis, Auditores, permittitur indignitatem rei oratione exaggerare: hic parcendum verbis eſt, pudoris gratia: & pudet me, quod dicentem intellexiſtis. Hodiernis autem moribus in Gallia perperam quæritur, an in ſcortationes & vagas libidines animadverti debeat: ſiquidem ſecundum Franciæ mores etiam adulteria non puniri magni nominis JC. Joannes An. Robert. rer. jud. l. 1. c. 14. Faber & nonnulli alii olim ſcripſerunt. Et memini, cum Aureliani Landa Molinus, qui Godardam Jo. Godini uxorem, dum vir in caſtris mora-

morabatur; corrupisse convictus & ad mortem damnatus, amboque Landa & Godarda in publica platea laqueo suspensi essent; Pigreterio prisci moris ac severitatis viro; qui a Ludovico Condæo urbi præpositus fuerat, judicium urgente, & grassantibus vitiis exemplo opus esse dictitante; aulam regiam adeo male illud accepisse, ut plerique summa impudentia palam testarentur, *se a Protestantibus semper alienos futuros, & vel ob eam causam nunquam in eorum verba juraturos esse; qui adulteriis hucusq; impunitis nova & apud Gallos inaudita severitate pœnam capitis statuerent.* Quid? quod & Aula ipsa facit lenocinium. Quo enim spectat illud, quod Catharina Medicea, ut arcana scrutaretur, e comitatu suo nobilem puellam Antonio Navarræ Regi, nimia cæteroquin proclivitate in vagas voluptates decurrenti; & istam efflictim deperéunti, submisit? Quo illud, quod eadem Medicina parique astu Condæum inescavit? tum auctor esset virgini cuidam cognatione sibi conjunctæ, ut Condæum; quem sciebat in illam oculos crebro conjicere; occultis mutui amoris eoque acrioribus stimulis inflammaret, & penitiores ejus sensus rimaretur? quæ tamen cupido amanti copiam faciens ex nobilium Gynæceo postea *ob prægnantes causas* ejecta est! prudentius factura Medicea; si totum Gynæceum, lupanar cogitans, ex aula exturbasset. Quid enim in Gynæceo pudicum, quid verecundum restabat? Quota Gynæcei pars Gagatem (a) cum aqua tritum sine læsæ

A. Ch. 1561.

Th. H. l. 35.

Th. H. l. 35.

Th. H. l. 35.

(a) *Provocat lotium utinam?* P lov In Sc: Plin. H. N. l. 36. c. 19. sed *fabulo, ara lapidem* vocat Meeth: l. 6 præf: 891 H: 18:

læsæ virginitatis indicio bibere poterat? In *matutinis Parisiensibus* inter occisos erat Carolus Quelleveus Pontius Armoricæ regulus, qui Catharinam Parthenæam Jo. Subizii filiam & hæredem in uxorem duxerat; sed cui a Parthenææ matre frigiditatem generi caussata de dissolvendo matrimonio lis movebatur. Itaque illius & aliorum interemptorum cadavera cum ante arcem in Regis, Reginæ, & totius aulici comitatus conspectu abjicerentur; frequentes e Gynæ-
Th. l. 52. ceo fœminæ, nequaquam crudeli spectaculo eas absterrente, curiosis oculis nudorum corpora inverecunde intuebantur, & in Pontio præcipue aciem defigebant, si qua ratione frigiditatis illius causam aut notas pertimari possent. Quibus impudice curiosis & illas mulieres, ac si Diis placet, virgines hic merito jungo; quæ, post Ducem & Cardinalem Guisios cæsos, indictis execrabilibus in Regem supplicationibus, frigido adhuc cælo linteis solis amictæ incedebant,
Th. H. l. 94. candelas manibus tenentes, quas post epodas dissono clamore decantatas extinguebant, & quasi Meleagri titione extincto, sicuti in fabulis narratur, vitam Regis extinctum iri aut optantes aut sperantes; ac pleræque inter eas erant, quæ quo formosiores, ut pietatem suam circumspicientibus magis approbarent, lineis tantum tunicis tenuibus quasi multitiis velabantur, ita ut corpus pelluceret, & ad curiosos nobilium adolescentum, dum incedenteis officiose adjuvant, oculos interdum & improbas manus pate-

rent.

ret. Verum ubi, per DEUM immortalem, castitati est locus in Gallia? Vbi locorum non regnat Venus in Gallia? Et heu scelerum societatem!

Sævus amor docuit natorum sanguine matres
commaculare manus: Virg. Ecl. 8

ut ita furtivo complexu gravidæ, utero celato, partuque ad extremum enecato, & vel in sterquilinium seu profluentem abjecto, aut in locum profanum defosso, famam virginitatis quacunque ratione conservarent. Quod crimen antea impunitum, nunc severissime vindicatum, nihilominus est frequentissimum: nec ulla fere septimana etiam hodie abit, quin in classe, quæ de judiciis capitalibus Lutetiæ cognoscit, una pluresve tam horrendi flagitii reæ producantur. Adeo malus pudor in verecundo & impotenti sexu supplicii terrorem, & quod omni corporis pœna gravius est, conscientiæ morsus vincit. Quin etiam virorum gravium & sapientum in illicitis illis vagæ Veneris castris stipendia legimus. *Henricus Guisius*, ille toties nominatus, qui tanta Gallici populi gratia, virtute & audacissimis facinoribus parta, præpollebat, ut & Regem ipsum contumacissimo factiosorum fœdere fere oppresserit; (Mompenseria jam tum, cum in aula forcipeis aureos e zona, ut fit, dependenteis ostentaret; *His fore*, dictitante, *ut Rex brevi tonsus in monasterium tanquam regno indignus truderetur, & eo dignior, qui religionem, quam ille dissimulatione & ignavia perditum ibat.* Th. H. l. 8. Th. H. l. 9. Th. H. l. 92.

a sectariorum peste defenderet, in regni solio consti-tueretur; fratrem Guisium innuente) in Comitiis tamen Blœsensibus, in quibus de republica in meliorem statum vertenda, & potissimum de capite ipsius Guisii agebatur, atque adeo ultima nocte, quæ cædem ejus antecessit, sic fuit etiam spretis amicorum monitis securus, ut & furtivæ Veneri cum quadam gynæcei matrona, quam perdite deperibat, indulserit. Etsi Guisium nihil a cæteris moribus valde alienum commisisse vel inde forsitan conjici possit; quod homo versatili ingenio ea facilitate negotia explicaret, ut inter seria jocari, ac cum maxime negotia urgerent otiari videretur; multis quoque fidem & candorem, quem verbis præferebat, in factis ejus sæpicule desiderantibus, ut propterea gynæcei regii dicterio *jucunda Guisii malitia* in proverbium abierit. Sed audiamus Galliæ sapientem, & quidem Guisio non parum sapientiorem. *Et militavi non sine gloria*, de se scribit Michael Montanus; *neque fortuna in Quartillæ Petronianæ comparationem venire potest, quæ Junonis iram sibi imprecatur, si unquam se meminerit virginem fuisse.* Quanquam dum Montanum hic sapientem prædico, simul recordor judiciorum, quæ vehementer diversa vel potius adversa patitur vir ille; aliis ejus ingenium, stylum, judicium laudibus ad cœlum extollentibus; quibusdam humiliter deprimentibus & pene nullo censu censentibus. Hoc in eo putidum nimis, & puerilis jactantiæ est, quod toties delamentatur ad nauseam

de Essais l. 3. c. 13. Petronius lib. in Satyr.

Baud. in notis ad poemat. p. 206. &c.

& irrisum legentis, quam sit labili ac nulla prorsus memoria: cum domestico testimonio ipse sibi fidem demat, tot lectissimis Poetarum versibus, tot sapientum dictis velut ad nutum paratis, tam apte scriptis suis instar emblematum intextis. Vti & hoc in eo ambitiosum, quod negat se recordari servorum, nisi eos officiorum nominibus appellet. Videor mihi in scena audire Petronii Eumolpum, cui tanta familia scilicet erat, ut Carthaginem capere posset. Gloriæ nempe cupiditatem specie contemnentis manifestius ostentat, quam si palam præ se ferret. Hisce & similibus aliis vitiis abundat quidem Montanus, sed quæ non temere nisi in præclaris & excellentibus ingeniis deprehendantur; & quæ compensantur pluribus longe virtutibus, inter quas vitia illa blandientia stationem honorificam tueri possunt. Vt herbæ quædam inutiles non innascuntur nisi solo præpingui ac feraci: sic luxuries illa efflorescit ex redundantia & fœcunditate generosæ indolis. Vix est, ut unquam supra mediocritatem assurgant ingenia, quæ se continent intra terminos artium & scholasticarum præceptionum: in quibus tamen umbratici doctores jejunam laudem anxie venari solent. Equidem, si punctum omne fert scribendi dicendique recte, qui facillime felicissimeque cogitata mentis enunciare novit, vix quisquam hac facultate cum Montano conferri potest. Sensus & conceptiones ejus summovent plebem: sermo ne tum quidem humile aut ab-

jectum quidquam sonat, cum res minutas exsequitur, & positas in quotidiana consuetudine vivendi. Verbis e trivio quæsitis dignitatem ac splendorem conciliat. Dicas aliquem e plebe per adoptionem transire ad patres. In metaphoris dominatur; nisi quod interdum exemplo summorum oratorum peccat nimis in iis audendo. Montani amor, Auditores, paulum me, etsi non invitum, a proposito abduxit. Et volupe mihi est, subinde excelsi ingenii viros spectare, qui ex illo luctuoso Galliæ virtutum naufragio inter medios decumanosque vitiorum fluctus in portum felicitatis & tranquillitatis incolumes enituntur. Ast

apparent rari nantes in gurgite vasto.

Sed enim salacissimi Galli, qui in turpissimis Veneris castris, fere sine ulla pudoris & honesti memoria, sine metu pœnæ, arbitratu suo domi luxuriantur; foris sæpe præter sententiam, ultricem DEI dexteram experiri solent. Inprimis insigne memoratur exemplum ab iis, qui res Anni 1578. scripsêre. Tribunus quidam Gallus, *Pontius* nomine, qui Alençonii militiam in Belgio sequebatur; ad Becurtium pagum sibi hospitium sumpserat in domo *Ioannis Milleti*, probi & ditis agricolæ, cui tres filiæ eximia forma erant. Harum major natu, annorum circiter sedecim, & cæteris formosior, ut placato hospite uteretur, sedulo omnia domus ministeria obibat. In eam oculos conjecerat tribunus, occasionemque libidinis explendæ quærens patrem

Th. H. l. 66. Meteran. H. Belg. l. 8.

cum

cum filia mensæ accumbere jubet, & libidine inter pocula incalescente per ludibrium rogat, an sibi filiam in uxorem dare vellet. Agricola, qui imparem conditionem suam prætexebat, se modeste excusante, tribunus statim irarum fulminibus debacchatur, & proximus cœnaculo patrem pulsatum facessere jubet: quem filia pone sequens a militibus vi retenta, moxque a furente tribuno inter lamenta & ejulatus compressa, ac postea temulentis sociis pariter ad stuprum exposita est. Inde ad mensam reditum, & juvencula, magnos supraque sortem & ætatem generosos spiritus gerens, sedere juxta tribunum jussa paruit, & composito ad dolorem dissimulandum vultu, post crebras ad injuriam adjectas per lasciviam contumelias, tempus nacta Pontium, dum ad aurem insusurranti cuidam faciem averteret, cultro in cor violenter adacto conficit, disjectisque subito mensis, dum commilitones ad tribunum accurrunt, illa per posticum elabitur, & ad patrem in proximo diversantem properat, reque exposita, ut fugam mature capessat monet. Ipsa post ereptam virginitatem vivere non sustinens, cum vitare periculum potuisset, grassatores intrepide expectat; a quibus illico comprehensa & arbori alligata, ut sclopetorum ictibus conficeretur, post commendatam DEO animam, *Feri, inquit, miles, & certis ictibus mortem ei optatam accelera, quam vi illata indignam effecisti, quæ viveret; haud utique injuriam, quam jam in duce vestro inultam non sivit* DEUS, *diu impune laturus.*

Nec verbis augurium defuit. Nam pater tali filia dignus, ubi rem rescivit, geminata injuria efferatus, vicinos ex pagis agrestes ad arma ciet; qui milites facti complices, cum iisque quatuor alias cohortes circumventas ad unum omneis ceciderunt. Verum ut prisci fabulatores Veneri baltheum tribuunt, sive cestum discolorem, in quo suavitas & dulcia colloquia, & benevolentia, & blanditiæ, suasiones, fraudes, veneficiaque includantur; sic & Gallica Venus tali cesto tot imposturis prægnanti incingitur. Quæ enim *Lingua* conciliandis amoribus est aptior, quam *Gallica*? Quæ Lingua a mascula constantia est remotior, quam Gallica? Non illud commune ingemino diverbium, quo Italos & Gallos aliter scribere quam loqui, & aliter loqui quam sentire, significamus: sed hoc affirmo, nullo unquam tempore linguam Gallicam in turpiora adulationum & illecebrarum adulteria fuisse prostitutam, [ut]æ quam hodie ea est abjecta, & servilis: in qua *Vita*, *Anima*, *Devotio*, *Adoratio*, *Servus*, *Mancipium*, & hujus farinæ verba alia levissimam quamque adfectus declarationem infarciunt, ut in seriis & severis propensæ voluntatis animique benevoli motibus exprimendis nulla propemodum dicendi formula supersit. Videas permultos tam cæco linguæ suæ meretriciæ amore efferri, ut boni amici, quam forte verbuli aut scommatis venustuli, jacturam facere malint. Vnde miror, quid causæ sit, cur

Nat. Com. Myth. l. 4. c. 13.

Itali dicũt: *I Francesi non dicono, come vogliõ fare; non leggono, come scrivono; nõ cantano, come notano*

M. Montã. l. 1. c. 39.

Ger-

Germanicam nostram linguam quidam Gallicæ, aut alii ulli exteræ posthabeant; eamque aliter placere posse negent, nisi ex admistione vocum Latinarum, Italicarum, Gallicarum, aut aliunde peregre petitarum novam sumat personam: cum majores nostri talem cum peregrinis copulam inter dedecora & nomine Germanico indigna facta recensuerint. Non enim ea nostratis est vel paupertas vel rusticitas, ut foris opes & fucum arcessere debeat; imo vero tanta illius est majestas, & dignitas cum pari ubertate tanta, ut cum aliis omnibus de elegantia, de selectissimorum verborum splendore & dicendi Veneribus, de pulcherrimis periodorum simulque admirandis ductibus, & de universo plane orationis ornatu certare possit. Neque ea hodie patriæ incumbit barbaries, quæ temporibus fuit vel Taciti scriptoris Romani, cum tunc Germani literarum secreta, viri pariter & fœminæ ignorarent; vel Otfridi Monachi, qui vixit ante annos abhinc amplius septingentos, & Germaniæ sermonem omnium primus literis tractare aggressus linguam appellavit scriptu perdifficilem, propter sonum incommodum & literarum plerumque congeriem, multis in eam sententiam collectis argumentis. Sicuti etiam sero admodum scribi cœpit vernacula nostra: & solebat Imp. Maximilianus I studiosis antiquitatis præmia constituere, si qui diplomata ante quingentos annos Germanicis literis conscripta reperissent. Sed quicquid tandem de scripturæ difficultate con-

C. Lehman, Ch. Spir. l. 5. c. 107.

Clapm. de Arc. R. l 1. c. 22. P. M. Wehner. in præf. ad obs. Pract.

Ta. de mor. Germ.

M. Welser. rer. Boi. l. 2.

B. Rhenan. rer. Germ. l. 2.

Lips. cent. 8. ad Belg. Ep. 44. M. Freher. in not. ad fœd. Lud. Germ. & Kar. Gal. Regum.

ceperint majores nostri; hoc tamen compertum habemus, in ipsa Gallia jam ante aliquot secula honestiores & nobiles Germanica, rusticos autem & viliores Romana illa corrupta, sive hodierna Gallica, quam *rusticam Romanam* & *squamam Latini sermonis*, & *rubiginem trivialium barbarismorum* dicebant, usos fuisse. Scio quidem, multos inter linguas ita distinguere, ut cum DEO ob majestatem Hispanice, cum Principibus ob gravitatem Italice, cum fœminis ob gratiam Gallice, cum hostibus vero ob terrorem Germanice loquendum esse autument. Sicuti & illa fabula, de quodam Legato Germanorum narratur: qui apud Imp. Carolum V Germanice dicere jussus, cum sermonis & linguæ autoritate Hispanos ad applausum commovisset, ex istis unus ita censebat; opinione sua Germanicam linguam & graviorem & severiorem esse, atque se credere, & DEUM, cum expelleret e paradiso Adamum, & Angelum gladio formidabilem, qui paradiso custos datus est, terroris majoris causa Germanica lingua illum nostrum Patrem increpuisse: cui tamen Germanus acute reposuit; Hispanicæ linguæ non minus se magnifacere pompam, quam subtilitatem; & persuasum habere; Diabolum, cum Evam circumvenire vellet, lingua Hispanica fraudum & callidiorum consiliorum tragulis aptissima, usum fuisse. Etsi, fabula omissa, historiolam maxime geminam addere nil vetat: quæ ita habet. Joannes Langus a Ferdinando I Cæsare legatus aliquando missus in Poloniam, in ista

M. Adam. in vita Jo. Lang.

aula

aula offendebat consiliarium regium, *Petrum Roytzium Mauraeum, Hispanum*; quem & ob eruditionem amabat plurimum, & quotidiano convictu dignabatur. Accidit autem, ut Roytzius inepto ex ignorantia risu Germanicam linguam incessere solitus, & famulos Langi, mensæ aliquando adstantes, atque dura pronunciatione & accentu affectate voces Germanicas exasperantes, isto scommate jocove illuderet; *Germani*, inquiens, *non loquuntur, sed fulminant: & credo ego, mi Lange, Deum ex indignatione hoc sermonis fulmine usum, cum primos parentes extruderet Paradiso.* Cui Langus, *Ego vero*, ajebat, *censeo, serpentem suavi & blanda vocis Hispanicæ fuco usum, cum imposuit Evæ.* Sed amemus nos victricem nostram linguam; & aliis delicatulis, qui hoc unum agunt, ut videantur a majoribus descivisse, Hispanicam, Italicam, atque Gallicam, illegitimas Latinæ filias, quæ etiam nostræ captivæ sunt, & a nostrate *verborum auxiliatium*, ut vocant, elegantiam habent, relinquamus. Vt Germani viri sunt, ita illorum lingua & facundia est virilis: quæ nemini, nisi qui virilem animum non gerit, ingrata esse potest. Cæterum illi Galliæ corruptelæ lascivia Poetarum etiam atque etiam patrocinata est; qui ingenio suo abusi, juventute a veris studiis ad ludicra, adulatoria, & amatoria abducta, præsertim ex virginum animis pudorem & verecundiam, per impurissimas versiculorum & cantilenarum strophas eliminaverunt. Mox etiam tristior & funestior emersit clades, ex damnatissima Th. II. L. 4.

Lanov. D. 6. Bod in M. H. c. 4. ma *Amadisi* bibliotheca: quæ Hispanis parentibus genita, plus tamen Galliæ & nominatim *Gorrao* Parisiensi debet; quo nutricio & duce ad summam dignationem pervenit, ut Henrici II Regis Galliarum ætate nemo adversum illam ne mussitare quidem auderet. O seculi insaniam! O morum infamiam! O bibliothecarum ulcera! Hi enim, hi Amadisi libri ut primum in lectionis familiaritatem sunt admissi, pedetentim quasi morum regimen affectant; ac demum regno per mille blandimenta constituto, sicque eversa temperantia pulsaque castitate, innumera prope adulteriorum & effrenatarum libidinum strategemata ostendunt, matrimonia furtivis iisque quotidianis complexibus quasi in antecessum consummare, & ante legitimum tempus polluere docent, etiam per Venerem pejerare nullum piaculum fore commonstrant,

Tibul. *(nec jurare time: Veneris perjuria venti*
irrita per terras, & freta longa ferunt:)

Lanov D. 6. libri flammis tradendi, aut in Siciliam deportandi, ubi viri perpetuis se macerant vigiliis contra vaferrimos noctium aucupes furesque nuptiarum. Lacedæmonii libros Archilochi, maximi poetæ, e civitate sua exportari jusserunt, Val. Max. l. 6. c. 3. quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt ea liberorum suorum animos imbui; ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. O factum bene & prudenter! Sed hodie pauci supersunt Lacedæmonii. Porro Gallica Venus non garrula &

dica-

dicacula solum, etiam *luxuriosa & gulosa est*; Coniculsque est vetax, *Sine Cerere & Libero friget Venus*. Et olim audiebant Galli, *vini avidum genus, affectans ad vini similitudinem multiplices potus; inter eosq; humiles quosdam obtusis ebrietate continua sensibus raptari discursibus vagis*. Hodie vero licet Liberi imperio liberos sese esse putent, & sobrietatem suam aliis in exemplum ponant: nescio tamen, an ubique sint invicti & sobrii: nescio, annon populi Walonici, qui sunt Galli, aliorum ebrietatem & compotationum certamina longe supergrediantur: nescio, annon *Franc. Rabelesius* exemplo suo plerorumque popularium madidos mores expresserit; qui literis Græcis Latinisque instructissimus, & Medicinæ, quam profitebatur, peritissimus cum esset, postremo tamen omni studio serio omisso se totus vitæ solutæ ac gulæ mancipavit, & ridendi artem hominis, sicut ipse ajebat, propriam amplexus, Democritica libertate & scurrili interdum dicacitate scriptum ingeniosissimum fecit, quo vitam regnique cunctos ordines quasi in scenam sub fictis nominibus produxit, & populo deridendos propinavit. Quid de hisce amphoris, de hisce gurgitibus & Bonosis, de hisce vinolentis scurris loquor? Producam fœminam, Montani encomio castam, & quidem non Walonicam, sed Aquitanicam. Ea erat vidua, & in pago quopiam Burdigalæ proximo habebat domicilium, quæ cum prima graviditatis signa in se adverteret, vicinis suis familiaribus referebat, vidui-

Am. Marti l. 15.

Thua Vita l. 6.

M. Montan. [illegible]

viduitate tantum se refelli, quo minus credat, se gravidam esse: sed ventre in dies magis magisque intumescente, & omnium συμπτωμάτων ac circumstantiarum evidentia contrarias integritatis spes & suspiciones excludente; tandem e templi suggestu per præconem renunciavit infortunium suum, testata, si facinoris autor nomen edat, & factum confiteatur, omnem culpam se condonare, & præterea cum eo, si ita censeat, matrimonium inire velle. Famulus itaque rusticarius, juvenis, benevolentia dominæ ista animatus delictum fatetur, & recenset, se festo quodam die illam, cum vinum bibisset, super foco indecentius supino corpore recubantem invenisse, & profundo somno oppressam nec expergefactam compressisse. Sic castæ bibunt in Gallia, Auditores. Paulo delicatius bibunt Cardinales Galli. Nam, ut priscis seculis Cyrus Persarum Rex Choaspis fluvii aquam decoctam, quo quo ibat, in argenteis vasis secum circumvehebat, siquidem ex alio flumine non potabat: sic inter Cardinales Gallus fuit, qui e media Gallia Romam usque aliquot lagenarum millibus comitatus profectus est: ignominia unius in omnes Gallos redundante, quos Itali inde vocant *botiglioni*; quasi *lagenarios*. In ciborum apparatu apud Gallos luxus est idem. Non tamen hic censoria nota pungo supra laudatum *Reginaldum Belnensem*, Archiepiscopum Bituricensem, virum equidem memoria, eloquentia, literis, & experientia maximum; quem insuper

Herod. l. 1.

H. Steph. in Apol. pro Herod.

Th. vita l. 5.

miri-

mirifice commendabant species oris decora, comitas & suavitas morum, tantaque mansuetudo, ut nunquam irasceretur, nunquam verbo quemquam læderet: quod in eo magis mirandum fuit, quod temperamento ad iram & violentos impetus natus videretur, quippe tam calido, ut continuo cibo refici necesse haberet, eoque copioso, non ad gulam, sed ad valetudinis conservationem. Vix enim ducebat somnos quatuor horis, quibus exactis ventriculi aviditate excitabatur: itaque post alteram horam matutinam aut temporius apponebatur mensa, in qua solus cibum capiebat: inde quieti potius quam somno se dabat, & negotia domestica plerunq; inspiciebat usq; ad horam quartam: tum surgebat, & altera mensa instruebatur, in qua non deerant convivæ jam cunctis expergefactis. Sub horam octavam tertio cibum sumebat, & inde ad negotia publica se accingebat, usque ad prandium, ad quod multos semper convivas adhibebat. Merendam dein quatuor post horis celebrabat, & cœnam non minus prandio opiparam sub vesperam adornabat: & antequam ad lectum iret, pocœnium denique sumebat. In sumendo autem cibo horam integram exigebat hieme; æstate, in qua tardior orexis, horæ etiam quadrantem addebat; ambulantibus, quales in Gallica aula, cœnis summopere offensus; adeo, ut cum sæpius a primario Principe ad prandium invitaretur, & toties se excusaret, rogatus cur id faceret, facete responderit, *illum non humano*

sed

sed canino more prandium usurpare; festinatas nimis epulas intelligens: quo cognito ille eum non solum laute; quod semper faciebat; sed & prolixe accepturum promisit; & eo invitato semper structorem monebat, ut missibus apponendis legitimum tempus interponeret. Verum illos tantum hic noto, qui ciborum luxu insolescentes convitium faciunt frugalitati ac temperantiæ: quales sunt in Gallia oppido multi: Cumque nuper naturæ cum injuria avulsi ex utero vivarum matrum fœtus in mensis vulgo apponerentur; aulicus quidam Apicius morem istum novis palati insidiis mox reddebat vilem; & verba propediem exprimendis aliis ejus circa cibos & ciborum περιεργίαν novitatibus defutura erant, si civilis Galliæ Mars illi parcere, & coquorum celebrium vota, quibus insigne sui desiderium reliquit, exaudire voluisset. Atqui hæc fortassis in Aula & apud Magnates tantum? Imo & extra Aulam hic luxus habitat, atque in humilioribus casis. Parisiis, si alicujus opificii administer vel tabernæ curator in caupona unico prandio coronatum unum; si magister ejus binos prodegerit; uterque bene & pulchre factum existimabunt. Et domi, lactucas aqua saccharata irrigari, insolens non est: ut eo minus dubitandum sit; quandam Avenionensem; quæ aulæ Pontificiæ ibi tum sedem Apostolicam habentis Lais fuerat, turdis & perdicibus aliisque avibus vesci solitam, quæ fœniculi, anisi, coriandri, aut similium semine, saccharo condito,

Bod. in Re. ad Malest.

H.Steph. in Apol. pro Herod.

passæ

pastæ essent. Glires etiam, immunda animalia; quos tamen Censoriæ Romanorum leges, Princepsque M. Scaurus in Consulatu, non alio modo cœnis ademêre, quam conchilia, aut ex alio orbe convectas aves; lurcones Gallici appetivêre: qui gulæ suæ mancipia voluptatem in impuritate quærentes rusticorum ædificia hyeme diruebant, ut glires dormientes ad delicias conquirerent. Sed in hac Sybaritica Gallorum ingluvie sæpe mentem ea subit cogitatio, qui fieri possit, ut homines alias gloriolæ in ceremoniis & gestibus captandæ solertissimi tam indecore cibum capiant, & superstitiosas mensarum solennitates tot solœcismis contaminent. Putes alios populos edere, Gallos autem vorare & glutire; qui præ nimio cupediarum appetitu sæpicule linguam & digitos morsicant, & jusculis fœde inuncti patinas non aliter ut sues trullas suas circumagitant. Diogenes olim puellum deprehendens Gallico isto more esitantem, ejus Præceptori faciem depalmavit. At quid in Gallia facturum fuisse opinamini, Auditores? Quot alios debuisset substituere vicarios, qui colaphis in Præceptores & Discipulos Gallos depugnarent? Quot item magistris Romanis opus esset, qui, quod antiquitus in Vrbe factum novimus, hodie Gallis belle gradiendi & belle comedendi modos præscriberent, & eorum animis inscriberent. Quo vero perniciabilem & maxime variam *Vestimentorum varietatem* Galliæ, *novitatis semper studiosa, semper hic peccantis*, nisi ad Furiam terti-

Plin. H. N. l. 8. c. 57.

Bod. in Th. N. l. 3.

M. Mont. L. 4. c. 13.

R. Gaguinus l. 8. in Phil. Val.

tertiam referam? Quis Proteus, quis Vertumnus, quis Chamæleon præ Gallo toties mutat, toties se transformat, toties alius est? Ut taceam, in Regum aulis id vestis genus, quod mane gestari cœperit, vesperi pro obsoleto haberi; id demum circa cultum corporis magnificum & splendidum ducitur, quod diu magnificum splendidumque esse non potest: ne videlicet novæ semper sumptuum occasiones desint. Rabelesius fabulatur, Panurgum in Italia LXXVIII modos parandi argentum observasse; sed ubi paullulum Gallis & Hispanis usus est familiariter, centum & amplius modos pecunias magnifice expendendi addidicisse: qua de causa ille messem & triticum suum semper in herba absumpserit. Hic vero Panurgicus mos hodieque apud Gallos durat; & quem sumptus vestiarii inveterata licentia probe confirmant. Vestis serica postremos hominum & fecem plebis tegit: sique vetemamentarius sutor biennium tantum cacularem militiam sequutus est, audebit is accingere gladium inauratum, quem tamen antiqua Nobilitas nisi Equestri dignitate ornata raro gestabat; audebit is in publicum prodire tibialibus indutus sericis, quibus tamen Henricus II Rex semper abstinebat. Qui monstrosas vestium formas, qui sinuosa femoralium volumina, quibus tertio aut quarto amplius, quam necessitas requirit, insumitur; qui fœminarum papiliones, (*vertugados* dicunt) quibus pene bipatentes portæ parum patulæ sunt; qui reliquum mundum vestiarium omnem

H Steph. in Apol pro Herod.

Ian. D. 23.

Ian. D. 9.

omnem particulatim ad calculum & rationes exigere voluerit; cognoscet, hanc esse tritam semitam, qua compendiosissime itur ad ptochodochium. Duanæ quidem Lugdunensis institores contendunt, ex ista vestiendi libertate reditus Regis *annuis trecentis coronatorum millibus* augeri: Lan. D 4. sed regni tabulis accepti & expensi bene & sobrie ponderatis & inter se collatis, manifestum est, *quotannis plusquam quadragies centena libellarum millia ex Gallia in Italiam transportari, atque pro mercibus luxus fomentis & instrumentis exponi*; 4000000. Francken. quæ in Galliam invectæ luculento quidem mercatorum fœnore, sed damno Regis & subditorum, *centies & vicies centena libellarum millia* superante, superfluas & non necessarias vestium pompas ac stultitias exhibent, quibus honestissime Gallia carere posset. 12000000. Francken. In Lapurdensium pago ut lingua peculiaris, sic & fœminarum vestitus pro ætatum diversitate & temporum conditione varius ac multiplex est. Th. vita l. Nam virgines, maritæ, viduæ, juvenculæ, vetulæ, alios atque alios amictus in funeribus, in nuptiali lætitia, in supplicationibus sumunt; propriis ad id sartoribus, qui urbi Bajonæ & Lapurdensi circum pago inserviunt. Siquidem nullus illarum vestium alibi usus: & si uspiam tale spectaculum occurreret, pompas personatas aut risui movendo personas ad scenam paratas diceres. Sed Lapurdensibus fœminis ignoscendum videtur, quod istæ se constantia ridiculi moris & quodam sexus excusatius delirantis privilegio tuentur: cum cæteri

Galli fastiditis plerunque hesternis ineptiis, quotidie fere novam magis pretiosam vestitus introducant histrioniam, & damnosissimis impensis se se aliorum populorum ludibrio prostituant. Multæ quidem sumptuariæ leges emendando luxui latæ sunt multoties: illæ tamen, *vicies centenis hominum millibus* repugnantibus, & in alia omnia euntibus, ponderis nihil habuêre. Ac licet in speciem fœminæ quædam parerent, textilis auri & argenti usum aliquantisper intermittentes; eæ tamen insigni legis fraude vestes, Mediolani Phrygio opere artificiosissime elaboratas, postea emerunt & induerunt; quingentis coronatis in singularum manupretium, sine materiæ ipsius æstimatione, erogatis. Et ut Galli luculento aliquo novo argumento proderent, temeritatem etiam vestiariam ut aliam omnem sibi esse innatam; unus de illis indusia sua Lutetia in Belgium usque lavanda misit; lotrici pro mercede Testone (sex baciûm nummo) in singula dato. Nisi hoc dementiæ proximum facinus potius ad aliud gentis vitium, *Fastum* spectat: qui in Nobilium ordine tam alto incedit supercilio; ut vix ferri possit. Quotusquisque inter eos familiam suam cum regio stemmate non conglutinat? Quotusquisque avorum & majorum catalogum non fingit ingentem? Vt Johannes Basilii F. magnus Moschorum Dux in superba ad Stephanum Poloniæ Regem Epistola absurde genus suum a Prusso quodam Octavii Cæsaris fratre deducebat: sic illi altum spirantes Galli in proavorum inju-

Bod. in Re. ad Malest.

Bod. ibid.

R. Heidenstein. de bel. Mosc. l. 1. Al. Guagn. rer. Pol. t. 1. C. Warsev. in Paneg. ad Steph. Reg. Pol.

injuriam novos imaginarios & ſpurios regillos plerunque mentiuntur. Quam ſtoliditatem facete exploſit inter eos vir primarius, ac præter cæteros prudens; qui in conventu Nobilium frequenti, cui unus aliquis interat reliquis titulorum & affinitatum prærogativa major, cum perſpiceret, alios omnes ad unius eminentiam commoveri, & conditionis ſe haudquaquam eſſe vilioris velitari, illo ex fallaci nominum ſimilitudine, iſto ex gentilitiorum inſignium collatione, hoc ex charta domeſtica tinearum pabulo, antiquitatis & dignationis argumenta extruente, & ex omni numero vel minimo quoque Regem aliquem tranſmarinum inter avos multis verborum ampullis denarrante: ille prudens menſa ſtrata & prandii ferculis jam appoſitis accumbere nolle, ſed prono in ſupplicem cultum corpore longa & profunda veneratione circumfuſam Nobilitatem honorare, temeritatem ſuam excuſare, qui hactenus cum ea nimis æquabiliter vixerit, ignorantia delictum velare, & tandem inter tot Principes prandere incivile & ruſticum dicere. Ad hanc mimicæ irriſionis & ludibriorum ſcenam mox cumulus accedebat inſectationum, *Acquieſcite per* DEUM, ait, *& vivite ea ſorte contenti, quam & hereditario a Patribus accepimus, & virtute noſtra acquiſivimus. Intra* M.Montan. l. 1. c. 46.

fortunam debet quiſq; manere ſuam.

Sapientem nunquam ſui, nunquam ma orum ſuorum pœnitet. Atque idem Nobilitatis typhus trecentos, & plures ex eodem grege, ambitionis ſti-

Lan Disc. 8. mulis adhuc nostra memoria compulit, & importunis precibus Reges impulit, ut hi illos in Equestrem S. Michaelis ordinem cooptaverint: quod an illustriori accipientium in re familiari detrimento, an vero dantium existimationis læsione factum sit, dijudicatu difficile est: cum illi novitii, ne novam dignitatem vilipendere viderentur, immoderatos sumptus facerent, & facultates graviter mutilarent, supra centum ex illis, mal soup- pe, qui tout dîne. postquam intellexêre, S. Michaelem ad S. Lazarum grallatoriis passibus properare, torquem in manticam mutaturum, veterem vivendi modum repetentibus, inutili famulitio dimisso, & torque in arculam incluso; hi vero Equestrem honorem virtuti ac meritis prius debitum passim vilibus conferrent, & sic, quos minime debebant, collegas suos crearent; C. Tiercellino Rupimanio antiqui moris Equite, mordaci dicterio indigna- Th. H. l. 23. bundo sæpius dicente, *Torquem conchyliatum, ex quo indignis promiscue communicari cœpisset, non jam esse fortium virorum insigne, sed omnium bestiarum cellare.* Fastus autem ille Gallicus etiam *Carrucarum* luxu non modice nunc insignitur. Primus, qui Lutetiæ in urbe curru vectus est, fuit extremo Francisci I regno Joan. Lavallus Boscodelphinus, vir illustri loco alioqui natus, & excu- Th. vitæ. l. 3. sandus, quod propter corporis obesitatem commode equo insidere non poterat: tantumque tunc in aula duæ erant carrucæ, ex Italia nuper usu invecto; altera Reginæ, altera aliquanto post Dianæ Henrici II naturalis filiæ. Prima deinde

inde in urbe fuit Christophori Thuani, postquam princeps Senatus creatus fuit; qua tamen nec ipse cum in Palatium cottide, & interdum jussus a Rege (nam nisi jubente Rege ex laudabili majorum instituto Palatinis magistratibus eo itare religio erat) Luparam iret, minime utebatur ; nec ejus uxor, cum ad invisendas officiose amicas & cognatione conjunctas fœminas per urbem incederet : quod & in causa fuit, ut diu post nemo currum in urbe haberet. Hodie ita multiplicatus est carrucarum numerus, ut quot Venetiis privatis vehendis naviculæ, tot nunc Lutetiæ carrucæ numerentur, nec habito ordinis & conditionis delectu etiam infimæ sortis homines iis promiscue utantur. Superest, Auditores, & aliud crimen, quod solum ad infamiam Gallis perpetim inurendam suffecerit: quod sint illi *ut in amorem, ita & in odium ac sævitiam nimii ac levissimi.* Et quemadmodum vehementissimas tempestates, quæ agris calamitatem inferunt, exhalationes ac vapores tenues generant ; sic illi ob nullius momenti ac ridiculas sæpe causas in proximi vitam, fortunas, ac honores petulantissime grassantur. Inquieta gens, tranquillitatis inimica, & turbarum rixarumque avida ; quod Flandri adagio innuunt isto ; *Quand le François dort, le diable le berse*: *Gallo dormiente, diabolus est motor cunarum.* Et liquidius Caspar Colinius in scripto quodam ad Regem Carolum IX testatur idipsum ; *Gallis hoc insitum esse, ut cum hostem extra fines non habeant,*

La France est le plus facile climat, qui soit au Monde, a recevoir de nouvelles impressions Le Cav. de Savoye.

A. Marcell. l. 15 A Gentil. de ju. belli. l. 1. c. 10. & l. 3. cap. 11.

Th.H. l. 51. *in commilitones ac concives ſuos ſæviant , & omnes pacis artes peroſi ſcelerata mente viatores hoſtiliter aggrediantur.* Et ut res memoriæ recentiores libemus ; Draginianum meminit *Antonium Ri-*
Th.H. l. 25. *chiendum* , virum honeſtum & pium ab efferatæ
A.Ch. 1560. plebe immaniter eſſe occiſum ; quæ exenterato cadaveris ventre , viſcera per vicos tracta poſtremo in cloacam mœnibus ſubjectam projecit, cor & jecur haſtæ affixa & per oppidum ferali pompa diu circumgeſtata tandem canibus , tanquam genus cibi, devoranda præbuit; averſantibuſque ea canibus , indignati qui dederant , in canes veluti Lutheranos ſævierunt. Cæſarodunum referens horreſcit Præſidis ſui , *Ioannis Bur-*
Th. H. l, 30. A.Ch. 1562. *geolii* , ſenis tota vita innocentis , indigniſſimam necem : quem plebeja rabies , cum is extra portas , incolumitatem magno pretio pactus , diſſimulata perſona ſe proriperet , agnitum ac fuſtium dolonumque ictibus nequiter contuſum, ad extremum exutum , & ad Ligeris ripam deductum , pedibus ſurſum ſublatis , & capite deorſum in aquam pendente ſuffixit, ita ut corpore tenus aqua extaret ; tum ſpirantis adhuc ventrem aperuit, avulſiſque viſceribus & in profluentem projectis cor exanimato extraxit , & conto affixum per urbem contumelioſis vocibus ad immanitatem additis circumtulit. Matiſco feralem præfectum *San-pontium* omnibus diris merito inſectatur ; cui elegantiores urbis fœmi-
Th.H. l. 31, A. Ch 1562. nas & vicinæ regionis nobiles matronas, quæ ad urbem ventitabant , plerumque convivio acci-

pien-

pienti, ſolenne erat poſt cœnam, dum ſecundum ripas amæni fluminis urbem alluentis inter militum greges deambularet, unum aut alterum e captivis, quos levi de cauſa plurimos in carcerem cottidie trudebat, producere ac de ponte dejicere: eoque ſpectaculo ſe ac convivarum oculos ſatiabat, dijudicans ac plerunque a commeſſantibus quæritans; *Ecquis expeditiore ſaltu & majore cum alacritate ſe præcipitem dediſſet?* Monbriſonium crudelem ſpectandi voluptatem in *Franc. Bellomontio Adretio* (homine oculis truculentis, naſo aquilino, facie macilenta, ſed ruboribus interfuſa, ut lutum ſanguine maceratum, quod in P. Corn. Sulla obſervatum eſt, ori inſperſum diceres.) Proteſtantium duce exſecratur: qui propugnaculo per deditionem capto, partem deditorum in editiſſimam turrem duxit, & poſt prandium quaſi ad oblectamentum e feneſtris præcipitavit. Inter quos unus repertus eſt, qui ad præcipitium ductus, cum tempore & ſpatio ad impetum capiendum ut deſiliret petito, ſemel atque iterum reſtitiſſet, increpante Adretio, quaſi tempus inutiliter conſumeret; ille nihil turbato vultu, *Atqui*, inquit, *quod me jubes ut faciam tam cito, id ut decies capto impetu facias per me licet:* quo audito Adretius præſentiam ac ſecuritatem animi in tanto diſcrimine jocantis admiratus, homini ignovit. Nonnæum inter lugubria deplorat, *mulierem e latebris, in quas ut primum militis furorem evitaret cum viro confugerat, eductam in con-*

Th. H. l. 31. A. Ch. 1562. Th. in Vit. lib. 1.

Th. H. l. 34. A. Ch. 1562.

ſpectu ejus ſumma contumelia vitiatam fuiſſe, tum gladium ſtringere juſſam, in quem uſum ignaram, cum aliena manu regeretur, & ab aliis a tergo impelleretur, in virum incubuiſſe, & lethali ictu confeciſſe; non contento milite innocentis fœminæ pudicitiam violaſſe, niſi etiam uxorias manus cæde mariti contaminaſſet. Piscarium prætorium domini ſui *Renati Campani*; ob naturalem quidem utriuſque coxendicis luxationem ex eaque claudicationem armis ferendis imparis, ſed aliorum qui arma tractabant truculentos mores ſuperantis, inhumanam vafritiem altum inclamat: qui bipedum nequiſſimus quoſcunque vel minima ſuſpicione inviſos per dolum aut vim nactus in profundiſſimum vivarium, quod *majus ſuum poculum* jocoſe appellitabat, dejicere ſolitus eſt; & ut immanitatem ludibrio cumularet, Carolo IX Regi interroganti, quot Proteſtanteis his ultimis bellis majore poculo ſuo ad bibendum invitaſſet, hoc eſt, vaſtiſſimo illo barathro ad lucios ſaginandos immerſiſſet, reſpondit; *Rerum nihili ac nullius valoris ſe repertorium conficere ſuſque deque habuiſſe.* Sic & Engoliſma *Vaſconum*, hominum licentiæ ac prædæ aſſuetorum, expilationem reformidat: qui præter infinita ſcelera ſe teterrimo ſacrilegio obligaverunt, in maneis *Iohannis Engoliſmæ Comitis*, Franciſci I avi, debacchati; capſula plumbea refracta, aridoque cadavere ſed adhuc integro disjecto, iſtud flammis abolituri, niſi prohibiti fuiſſent. Certe ex arcula conflata pilas

Th. H. l. 30. A. Ch. 1562.

Th. H. l. 30. A. Ch. 1562.

pilas majori pietatis contemptu, quam ſacrilegii fructu effecerunt. Quid verſor in minutiis? *Guillerii latrones* in Britanniam Armoricam, Pictonicum Andinumque agrum, & alias provincias, tantum nuper ſparsêre timorem, ut conturbata commerciorum libertate & itineribus omnibus infeſtis, neceſſe fuerit non ſecus atque in aperto bello vigilum ſtationes paſſim collocare; Præfectis & Juridicis provinciarum illos aggredi nec auſis, cum homicidiorum & crudelium populationum frequentia, atque publica arboribus affixa ſcriptura potiſſimum territarentur, qua latrones illi Nobilibus pacem, Præfectis & eorum ſatellitio mortem, Mercatoribus ſacciperii exinanitionem denunciabant; *Paix aux Gentilshommes, la mort aux Prevoſts & Archers, & la bource des Marchands.* Guillerius autem, a quo toti latronum factioni nomen, in prædatoria excurſionum venatione egregios ſæpe faciebat ludos; & quadam meridie, in regia via, quæ Condivicinum Nannetum fert, jacens pronus ſiſtit mercatorem eodem profiſcentem, quo cum una comitem ſe iturum ſimulabat. Sed mercator interrogatus, cum litis cauſa Condivicinum ſe tendere diceret; nec tamen pecuniam, niſi ſeptem ſolidos in futurum prandium, habere reſponderet: Guillerius ſtatim, *Et ego*, inquit, *pecuniam non habeo: ſed ut habeamus uterque, DEUM invocabimus: quicquid ille dederit, æqualiter inter nos diſtributuri*: & cum dicto libellum promit, mercatoremque in genua procumbere & preces dice-

Le Merc. Fr. l. 4. A Ch. 1608. Vide & H. furum. l. 1. c. 1, 2. 3. de Lycaone. & M. Zeil. in Th. trag. append. c. 6. ubi diſcrepantes narration.

dicere cogit; lectaque & finita una oratiuncula scrutari jubet, num aliquid cœlitus obvenerit. Cui manum in sacculum immittenti, & nihildum offendere posse affirmanti, simulque culpam, ac si obiter tantum & sine acriori cordis consensu preces demurmurasset, amolienti; Guillerius *quinque* solidos ex sacculo colligens, dimidium ex pacto offert. Ambobus ita preces iterantibus, & Guillerio jam *decem* solidos, deinde *quindecim* extrahente, mercatore autem semper vacuas manus reducente, Guillerius infit: *Magna in te cordis & oris pugna sit oportet; alias mecum perinde precum ferres pretium*: sed mercatori, quantum potuerit, animitus precatum esse denuo asseveranti, astute reponit Guillerius, *Tu igitur procul dubio habes nummos. nam si ego, qui non valde profundas preces fudi, argentum præmium accepi, quanto magis tu accipere debuisti*: & continuo illius scrinia explorat & excutit, ac reperit *quadringentos coronatos*; *ducentosque sibi societatis lege servat, & cum reliquis infelicem precatorem dimittit, atque increpat, quasi se circumvenire, & sociale lucrum solus auferre injuste voluerit.* Quid autem talibus immoror? Illæ enim historiolæ, sunt tantummodo veluti guttulæ ex immenso & profundo Gallicæ levitatis, crudelitatis, & malitiæ mari. Propius tamen gladiatoriam Gallorum intemperiem in *Monomachiis* illegitimis nunc considero: quæ omnibus increpationibus & detestationibus digna, tantopere excessit modum, ut fere plus patricii sanguinis harena ista hausé-

hauserit, quam si bello decertatum publice fuisset. Vt enim ille supra Lucernam Helvetiæ, vulgo dictus Pilatinus lacus ejus esse naturæ fertur, ut, si quid temere in aquas illius projiciatur, cœlum statim in atras coeat nubes, ac fulminibus, grandinis & nimborum fragore horrendum detonet, cum viciniæ damno & tremore; quod ipsum & de Bessino lacu Arverniæ tradunt: sic Galli quisquiliis, apinis, tricis, & si quid vilius istis, offensi, aut potius offensiunculas captantes, quia forte alter alterius ciliarium percusserit, puerum verberaverit, meretriculam blandiuscule appellaverit, aut etiam verbulum aliquod prolatum audacius, aut vitium etiam non fictum objectum sit; extemplo in duella proruunt, periculum facturi, uter citius alterius animam elidere & Orco oppignorare possit. Nusquam certius Diaboli lucrum: nusquam laniena hominum immanior: nusquam contemptus mandatorum contumacior. Interdicat licet DEUS ipse, Ecclesia vetet, Rex prohibeat, & per DEUM vivum juret, nulli gratiam delicti facturum, nullius intercessionem, ne Reginæ quidem auditurum; stet proxime carnifex; pœnæ etiam acerbissimæ gladii, suspendii, confiscationis, sepulturæ privationis, infamiæ, læsæ Majestatis, & aliæ, sequantur: quid tum? Galli rixari, decertare, furere, μονομαχεῖν non desistent; non, si in extremis Libyæ desertis agant, vel unum mensem transigent quietum. *Mettez trois François*, ait Montanus, *aux deserts de Libye, ils*

S. Münster. Cosm. l. 3. c. 71. I. R. Stumpf. in Chr. H. l. 7. c. 5.

Mer. Cosm. l. 3. c. 10.

Bod. de Rep. l. 4. c. 7. P. Matth. in H. H. IV. l. 1. n. 2. & l. 5. n. 2. Merc. Fr. l. 2. & 5.

M. Mont. l. 2. c. 27.

ils ne seront pas un mois ensemble sans se harceler & esgratigner. Quid obstat, quo minus, nihil proficientibus pœnis, Gallorum petulantia insanum Regni Narsingæ morem propediem vincat: ubi Rex non modo singularia certamina permittit, verum etiam victorem præmio torquis aurei donat, his legibus, ut alius paribus armis dimicaturus victo id rursus auferre possit. Apud Gallorum majores monomachiam antiquaverat Ludovicus IX, quam plane extinctam ab inferis revocavit, sed in quibusdam duntaxat casibus approbavit Philippus Valesius; demum Franciscus I plene restituit, *cum in Principum corona virum bonum esse negaret, qui mendacium oblatum armis non rejecisset.* Quod immaturum dicterium postea prava consuetudo arripuit, ut jam inter Nobiles aut milites gravem infamiæ labem contraxisse videatur, & nemo vir bonus aut fortis censeatur, qui injuriosum istum injuriæ revincendæ modum certaminis alea non expiaret: gravissimis inde controversiis, vulneribus, cædibus, ad omnes civium ordines permanantibus. Quanto Rege Francisco prudentius statuebat Henricus Borbonius Princeps Condæus: qui Mompelii ad prandium in ædes Fizanas vocaverat Jac. Aug. Thuanum: ibi injecta de nimia jam tum detestabilium duellorum frequentia mentione, cum Isaacus Valdræus Mojus ea decoris tuendi, cui vitam vere nobilis animus posthabere teneatur, necessitate excusaret, Condæus summa & tanto fastigio digna gravitate interfatus, magno errore homi-

P. Matth. in hist. H. IV. l. 5. n. 2.

G Papæ decis. Grat. Qu. 617. & ibi P. Mat. in not.

Bod. de Re. l. 4. c. 7.

Th. vitæ l. 2.

homines in eo decus & veram gloriam reponere dixit, quod gloriæ DEI, ad quam omnia consilia nostra & actiones dirigere debeamus, & mandatis ejus, in quorum observatione vita æterna consistat, adversaretur; nec nisi pro patria jussu Principis, aut inculpata corporis tutela, cuiquam gladium stringere fas esse pronunciavit; conversaque ad pastorem, qui post sedile stabat, facie, quo majorem sententiæ suæ fidem adstrueret, ab eo coram quæsivit, an salva conscientia privatis injuriis ulciscendis liceret ad certamen venire; & cum ille non licere, nec nisi cum certo damnationis æternæ discrimine id fieri posse respondisset; *Hoc iam constanter*, inquit, *tenete, & ductore me, qui pro decore vestro & gloria ultro me sponsorem & prædem offero, illas de decore & gloria erroneas opiniones ex animis vestris in posterum delete.*

Jam vero tandem, Illustrissimi cognati, & vos cæteri collegæ, judicate: annon Gallia Gallique commiseratione Europæorum potius, quam primatu inter Europæos sint digni? annon fortuna Gallica serpat humilius, quam ut in summo spectari possit?

Verum enimvero quid hoc rei est? Quæ Germanorum famæ accrescit ignominia & labes? Quis ignorat, hodiernos Gallos esse Germanorum sanguinem, nepotes, surculos, colonias? An virtus avorum ita obbrutuit in posteris? Dudum, Auditores, hoc doloris saxum volvi: dudum miseriam cognati sanguinis deploravi.

Vti-

Vtinam! Vtinam! Et quid possum nunc aliud, quam Vtinam? Peregrina terra est, peregrinus aer, & cœlum peregrinum est; quæ nostros sæpissime corruperunt, & pessima metamorphosi a se ipsis alienaverunt: ut ita Galli nepotes perinde avos Germanos hodie repræsentent, uti personata illa terriculamenta avibus & feris abigendis in agrò posita homines referre videntur. Et quemadmodum Poetarum Circe ex hominibus effecit bestias: ita Gallia Germanis Circe fuit, quæ illos avito virtutum patrimonio spoliavit, & eorum corporibus bellunos animos immisit. Sive, ut in Italiæ Albuneô, Aniene, Elsa, Silaro, & aliis amnibus ac fontibus quibusdam, ligna lapidescunt; nec ligna tantum, alicubi etiam fructus ex arboribus delapsi; quin narrat Titus Celsus Patricius Romanus, sua ætate cadaver humanum a percussore demersum Aniene fluvio ad arboris radices hæsisse, & aquæ vi conversum in lapidem; id se plurimosque alios lapideum vidisse: Aut sicuti argentum in aquam chrysulcam mersum, totum in aquam liquatur, nullo argenti vestigio apparente: eodem modo Germani in Galliam digressi degeneraverunt, & illa transmigratione tanquam legitimi successores veterum Gallorum commoda & incommoda susceperunt, eorumque virtutes ac vitia possessum iverunt: quod ipsum mecum & quidam Franco-Galli sincere & aperte, quæ Germanici candoris reliquiæ sunt, fatentur. *Les François* (inquiunt) *passans le Rhin ne cesserent de tourmenter les Gaules,* *jus-*

N. Comes Myth l. 6, c. 6.

Met.Cosm. p. 2. l. 4. c. 13.

Pigh. in H. Prod. Pflau. in Ne. desc.

Bod. in Th. N. l. 2.

H. des. der. troubl. de Fr. l. 5.

jusques à ce, que les François, les ayans tous si non chassé, du moins appaisé les uns, & forcé les autres à faire joug, y establirent en fin leur domination; lesquels reprenans comme par droict de legitime succeßion avec les commoditez du pays le bien & le mal, tant de l'insuffisance, que de la peu discrette legereté de ces peuples anciens, n'ont esté moins signalez pour un semblable naturel guerrier, que pour les grands troubles & trop animeuses divisions, lesquelles ont assez souuent approché l'estat de sa ruine, &c. Sed manum de tabula. Imo vero nondum; inquis, illustrissime Princeps cognate, *Dux Ioachime Erneste.* Quo enim, ais, spectant tot amplissimæ terræ Galliæ dotes? Quo pertinent tot clarissimæ laudes, quibus Galli ab Italis, ab Anglis, etiam a Germanis honorificentissime appellati sunt? Rhetorica, mi cognate, multas habet figuras, & multos tropos: & ornatus omnis non raro a verborum proprietate discedit. Audi quid Martialis dicat ad Cinnam:

Cum voco te Dominum, noli tibi, Cinna, placere: Epig. l. 5.
Sæpe etiam servum sic resaluto meum.

At vero ut Galliæ Gallisque omnes laudes non adimo: ita tu plures credidisti, quam ibi reperire possis. Quod etsi ex iis, quæ dixi, satis superque manifestum est: ut tamen palpes magis, aliquot adhuc argumenta quasi per saturam expromam. Dicunt Galli; *se clementißimo frui aere, nec ulla cœli gravitate flagellari.* Sed falsi sunt, mi cognate. Claudianus dicit *Galliam nive ferocem*: Petronius refert adagium, *Gallica nive frigidior:* Mer Cosm. p.2.l.3.c.3.

gidior: Lucianus memorat *glaciem Gallicam:* & Diodorus *glaciem Gallicam* asserit esse *tam robustam & contumacem, ut flumina congelata sint pervia totis exercitibus cum curribus.* Hæc veteres testantur: sed affero nobis propinqua & recentiora
A. Ch. 1565 testimonia. Rex Carolus IX cum aliquando esset in Septimania, quæ totius Galliæ maxime temperata & Australis est, venit Carcassonam, urbem Episcopalem in colle sitam; ex qua cum
Th. H. l. 37. postridie imam urbem regiam, brevi interjecto spatio distantem, regia pompa ingredi destinasset; nocte, quæ illam diem præcessit, tanta mole & impetu nix incubuit, ut eversis apparatibus ad eam magnificentiam extructis rex totos decem dies obsessus expectare coactus sit. Vti & olim Maria Andegavensis, Caroli VII uxor, toto trimestri à nivibus sex pedum altitudinem supergressis obsessa in eadem urbe moram fecit. Quoties etiam hominum memoria Sequana, Liger, & ipse Rhodanus, non minus quam quæ-
Th. H. l. 50. dam Germaniæ aut Sarmatiæ flumina, glacie concreverunt: ut jumenta passim ac carri onusti per ea transmitterent; hyeme tanto sæpe rigore sæviente, ut frugiferas arbores fere omnes in Provincia quoque ac Septimania gelu ustulaverit? Dicunt iterum Galli, *Galliam ubique fertilem, nusquam sterilem, & vere copiæ cornu esse.* Grandis error, mi cognate. In proximo Burgundiæ Co-
Mer. Cosm. p. 2. l. 3. c. 47. mitatu oppidum est *Orgeletum*, hoc elogio clarum, quod ejus incolæ habeant *campos sine graminibus, fluvios sine piscibus, montes sine nemoribus.*

Hæc

Hæc vero indigentia non unis Orgeletensibus propria, sed multis Galliæ provinciis communis est. Perlustra Guiennam, universim illam locustarum incursibus sæpenumero obnoxiam; non qua ad Pyrenæos vergit, ubi adsurgit horridior, frigida, vitibus haud idonea, & quam Ausonius nominat ἀσάφυλον χῶρον; nec qua versus Curianum promontorium humilior est ac paludosior, infestis inundationibus perpetuo fere subjecta; ut mirum non sit, agrum Medulicum, qui nihil propemodum est quam arena, in dies atteri, atque ab oceano sensim obrui & sepeliri; sed vastam illam regionem, quæ Burdigala Bajonam usque longe lateque excurrit, emetire; putabis, te in Ægypti deserta, aut Africæ Syrtes delatum esse. Partem hujus regionis pulchre depinxit olim Sidonius Apollinaris, cum ita scriberet ad Trigetium: *Tantumne te Vasatium civitas, non cespiti imposita, sed pulveri? tantum Syrticus ager, ac vagum solum, & volatiles ventis altercantibus arenæ sibi possident; ut te magnis flagitatum precibus, parvis separatum spatiis, multis expectatum diebus, attrahere Burdegalam, non potestates, non amicitiæ, non opimata vivariis ostrea queant? An temporibus hybernis viarum te dubia suspendunt? Et quia solet Bigerricus turbo mobilium aggerum indicia confundere, quoddam vereris in itinere terreno pedestre naufragium?* Non potuit melius solum Vasaticum describi. Quinetiam hodieque totum illum tractum Vasaticum usque ad fluvium Atyrium vernacula lingua vocant *Landas*, hoc est, deserta & incul-

Epist. 22.

l. 8. Epist. 12.

Vid. Scalig. Auson. lect. l. 2. c. 16.

ta loca. Et ne singulas provincias perreptando in dumetis, aspretis, & arenis, orationem cum tædio diutius circumagamus: age audiamus Bo- lib.6.cap.2. dinum pro Gallia sua in libris de Republica ita loquentem: *Peræquatoribus nostris exploratum est, deserta & inculta loca, si aquas & vias adjungamus, duos Galliæ trientes auferre.* Et post addit: *Iam grandium arborum tanta est inopia, ut ad navium & ædificiorum fabricam ex peregrinis regionibus trabes conquirendæ sint; & cum arbores fructiferæ ante cædantur, quam fructum pecoribus utilem proferre possint, rei annonariæ inopia sequatur necesse est.* Hæccine, mi cognate, est illa incomparabilis Galliæ fertilitas? Hæccine est illa beatitudinis sedes? Burdigalen- Mer. Cosm. p.2.l.3.c.34. ses valde jactitant se suo *cupresseto*: & qui illud non viderunt, magnis istis laudationibus decepti existimant, lucum esse ambitiosissime spatiosum; quam opinionem non parum roborat vetus mos, quo vinum Burdigala asportaturis solvere ante non licet, quam cupressinum ramum ab magistratu acceperint; pro quo pendit quælibet navis drachmam unam & drachmæ duas septimas partes: & tamen cupressetum illud haudquaquam Burdegalensium jactantiæ respondet, quippe, quod vix septem est jugerum: ita, si in rem præsentem eundum sit, de tota Gallia judicandum foret; quæ quidem sine pari est ab immodicis multorum rhetorum commendationibus, & a blandiloquorum peregrinatorum amplificationibus, quæ apud cupidos auditores plerumq; imagina-

ginatione crescunt; sed si visa & prudenti oculo perlustrata Gallia cum non visa & imaginaria conferatur, longissime illa adhuc ab ista aberit; quippe nec talis, nec tanta. De *Sale* autem, mi cognate, assentior: qui cum Gallis sit copiosissimus, adeo quidem, ut salinatores Narbonensis provinciæ lacum Marsilletum, qui est in agro Carcassonensi, & ardenti æstate totus in salem concrescit, sordibus ac stercoribus conspurcent, propterea tantum, ne vectigal salarium marinum minuatur; insulse tamen contendunt Galli, Belgas sive Inferiores Germanos sale Gallico carere non posse. Audi, quæso Princeps cognate, Lemnium: *Majores*, ait, *nostri salem confecerunt uberrimo sane quæstu, non ex aqua marina, solis ardore in salem concreta atque indurata, quale ex Hispaniis ac Galliis ad nos perfertur, sed ex maritimis glebis exustis atque in cinerem redactis, quem infusa aqua minutatim in salem reducebant splendidum ac nitentem; nec alio salis genere tota Belgica ad nostram usque memoriam usa est. Qui conficiendi salis modus cum inducto externo exolesceret, excogitatus est alius non minus quæstuosus. Siquidem advecto ex Hispaniis atque Aquitanico sinu, rudi ac nigricante sordidoque sale, exempto limo, excoctisque sordibus, candidissimum id nostrates efficiunt, rebus asservandis aptissimum. Sed alter ille modus facile in usum revocari potest, si externus sal hostili odio denegetur, aut ex quavis alia causa ejus copiam nobis deesse contingat.* Ac tametsi Belgæ hodie e Gallia salem abunde domum vehant; viliori ta-

Bod. in Th. nat. l. 2.

de occult. nat. Mirac. l. 3. c. 9.

men pretio illum, quam ipsimet Galli emunt, & nonnunquam e Belgio salem Gallicum in Galliam revehunt; atque ita salem Gallicum in ipsa Gallia, ipsissimet Gallis, cum illustri Gallicæ stultitiæ nota, lucrose vendunt. Extollunt præterea Galli totius gentis suæ libertatem, & Galliam *servos non pati* gloriantur. Olim, vel Cæsare teste, *plebs pene servorum habebatur loco*: hodie, nescio an sit conditionis melioris. Equidem patrum memoria Dominus Rupis-candidæ in Aquitania iis legibus operas a subditis exigebat, ut non solum agros colere, fructus legere ac terere, & omnia quæ juberet exportare & importare, ædes etiam caducas reficere, dominum captivum suis pecuniis ab hostibus redimere, & quatuor ex caussis capitationem pati cogerentur; verum etiam, si domicilium originis sine domini venia mutarent, capistro domum reducere sibi licere contendebat: quod postremum tamen Curia Tolosana suo decreto excussit. Sed an servos plane non patiatur Gallia; Galli ipsi non sunt unanimes. Vestigia servitutis in hoc ævi usque producta, hinc inde exhibent Burgundia, Marchia superior, Borbonia, Campani, Arverni, Bituriges. Et unius Caroli Molinæi assertio pro copia exemplorum sit. *Vrbs*, ait, *Parisiorum non habet hoc privilegium: car le seigneur de Chasteauroux en Berry vendiqua son serf, qui s'estoit retiré, & faiz bourgeois de Paris, & obtint la provision. Itaque Senatus judicio patroni caussa obtinuit adversus Abbatem divæ Genovefæ. Quidam dicunt pour le* *regard*

Bod. de Re. l. 6. c. 2.

l. 6. de bel. Gall.

Bod. de Re. l. 1. c. 5.

A. Ch. 1558.

R. Chopp. de Dom. G. l. 1 t. 13. n. 21. & seq.

in ann. ad Consuet. Bitur. tit. 1. art. 1.

regard des serfs des seigneurs, qui sont hors de ce Royaume: sed non est expeditum. Atqui Galli se omnibus *virtutibus ornatissimos*, sive potius virtutes ipsas esse volunt. Quis, mi cognate, in illo Furiarum imperio virtutibus possit esse locus? *In limite Lemovicano sum*, scribit Josephus Scaliger, & ipse Gallus, *ubi non solum librorum, sed & bonorum hominum maxima solitudo est; in regione, quæ ab omni humanitate & literis vasta est.* At si probi homines, ut numi statim ex inspectione externa dignosci possent; quovis pignore contenderim, Scaligerum in pleraque Gallia bonorum hominum insolitam solitudinem inventurum fuisse. Et cum ex illis, quæ supra ad ravim usque recitavi, quivis non imprudens intelligat, Gallos virtutem in vinculis tenere, & paternis vitiis non contentos in sceleribus mascule progredi, nihil forte horrentes magis, quam hiatum terræ dedignantis sui oneris improbitatem; sapientibus ita satis dictum esse puto: nisi, si confutare voluero & illorum errorem, qui heroica priscorum Celtarum & Gallorum facinora, eorumque res ducibus Brennis, & cæteris bonæ fortunæ ac Martis filiis, in Asia, Europa, & alibi fortissime gestas, unis Gallis, qui tum in Gallia habitabant, perperam adscribunt. Tam enim Germani quam Galli communi olim nomine dicti *Celtæ* (a) sunt; quod apud historiarum doctos est indubium. Κελτῶν γάρ τινες, οὓς δὴ Γερμανοὺς καλοῦμεν, ait Dio. Γερμανικὸς ὁ Φράγγος λέγεται: οἱ Γερμανοὶ, Κελτοὶ λέγονται: ait Suidas. Et Gal-

In Epist. ad R. D.

(a) Vide Dio. Cass. H. l. 39. & 53. Phil. Clu. Germ. A. l. 1. c. 2. & 3. Ios. Scal. l. 3. Ep. 276. Fr. Irenic. Exeg. Ga l. M. Welser. Rer. Boic. l. 1. Crus. An. S. p. 1. l. 2. c. 1. Lips. Sat. serm. l. 1. c. 6. T. Demp. Ant. Rom. l. 8. in par. ad c. 24. 26. 29. 34.

Gallorum nomen pro Germanis quoque olim promiſcue uſurpatum fuit. C. *Marius*, inquit Cicero, *cujus divina atque eximia virtus magnis populi Romani luctibus funeribusq; ſubvenit, influenteis in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit.* Verum Cæſar & Hiſtoricorum exarchi teſtantur, illos *Cimbros* ſive *Teutones* fuiſſe: uti & eos, qui Brenno Duce Delphos Græciæ diripuerant, *Cimbros* vocat Appianus in Illyricis: ut credibile ſit, illos invictos tot populorum victores moribus, corporibus, fortitudine, ſimilimos Germanis, imo genuinos Germanos aliquando ſub nomine *Gallorum* latuiſſe; & quæ laude digniſſima de antiquis Gallis ſcribuntur, ea Germanorum gloriæ accenſenda eſſe. Alias Germanis Gallorum militia tanti neque olim fuit, neque hodie eſt, ut illi ad horum bellicos ſtrepitus animos demittant: ſed quandocunque Germani Rhenum tranſierunt armati, tunc Gallis fuga in mente & alæ in votis ſemper fuerunt. Cum Imp. Maximilianum I quidam Regis Galliæ Conſiliarius contemptim appellaret *Conſulem Auguſtanum*: Rex Ludovicus hominem graviter coarguebat; *Taceſis aſine*, ait, *nec talia amplius effuti: quando hic Conſul tympanum pulſat, tunc tota Gallia contremiſcit.* Galli enim conſtantiam & pertinax Germanorum robur ferre non poſſunt. Et *experimento deprehenſum eſt; ſicut primus impetus Gallis major, quam virorum eſt; ita ſequens minor, quam fœminarum. Habent eorum corpora quiddam ſimile cum ſuis nivibus; quæ mox ut caluêre pugna, ſtatim in ſudorem eunt,*

In orat. de prov. conſ.

l. . de Bell. Gall.

Cambd. de [illegible] Brit. [illegible] Pont. in ap. [illegible]

J. Manlius in Collect.

Flor. l. 2. c. 4.

eunt, & levi motu quasi sole laxantur. Sed ne nimis multus sim, hoc denique nugantur Galli, *Galliarum Regem fere solum vere monarcham esse, & summa, perpetua, legibusq; soluta potestate frui.* In pulvere scholastico, mi cognate, & mei Auditores, multa sæpe de potestate Principum, tanquam de ideis Platonicis varie disseruntur; quæ si ad usum communem exigantur, videtur in somnis fuisse laboratum. Idem contingit illis, qui vel nimis majestatem Principum adulantur, vel nimis eandem arrodunt.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Rex Gallorum magnam quidem habet potestatem, (& vetus verbum est, *Gallum in suo sterquilinio plurimum posse.*) sed non habet tantam, quantam alii opinantur. Certe tenetur *lege Agraria*: qua publicos agros aut ullam domanii sui partem alienare prohibetur sine ordinum consensu; & ut maxime alienare velit, nullo modo possit, quin regius procurator mortuo Rege perpetuam habeat manus injectionem. Ideoque in Comitiis Blœsensibus cum Rex Henricus III Ordinibus propria voce significaret, decrevisse se C annua aureorum millia ex regio patrimonio in perpetuum alienare; idque ut accedente eorum auctoritate fiat, expetere; atque postridie Pomponius Belleureus a Rege missus necessitate, quæ potentissimum telum est, id licere contenderet; quippe cum constet, salutem populi supremam legem esse debere: Ordinum tamen, *Bodino* præcipue auctore; qui in illo

Seneca de mort. Cl. C.

Fr. Hotom. in Franco-G. c. 25. Bod. M. H. c. 6. & de Rep. l. 3. c. 4.

A. Ch. 1576.

conventu pro plebejo ordine Veromanduorum præfecturæ nomine, quæ secundum Parisiensem regni primaria est, aderat, & summa fiducia (dicendum enim, quod res est.) boni publici caussam liberrima lingua tuebatur, ita ut Rex Bodinum, quem unice diligebat, & ob raram eruditionem ac multam variarum rerum experientiam, dum cibum caperet, libenter audiebat, ab eo tempore non tam benigno vultu dignaretur; Ordinum, inquam, nomine Æmatus Burdegalensis præses respondit, & nullo casu a Rege patrimonium coronæ alienari posse multis verbis disseruit: quippe cujus Rex tantum sit usufructuarius, proprietate penes regnum manente; quam nullo tempore alienatam, ne quidem extrema necessitate urgente, cum Joannes Rex apud Anglos captivus esset, meminerint homines. fulcrum enim & columen regni illud esse, quod sacrum, inviolabile, & proinde inalienabile majores semper existimaverint. Sic quamvis Rex possit legem ferre, tamen superiores curiæ nullam habent legum rationem, nisi quas sua promulgatione comprobarint. Ita Ludovico XI Curiæ Parisiensi exitium minitanti, nisi leges a se latas promulgaret, purpurati patres constantet repugnabant; & rege ipso compellato, *Mortem*, ait Lavacrius Præses, *potius subibimus, quam tuas leges iniquas ferri patiemur.* Quinetiam Regis testimonium, si sit solum, in causis magni momenti faciunt non magni. Quare cum Henricus II Italum servum in carcerem

Th.H.l. 61.

rem duci jussisset, ac religiose sančteque jurasset, in turpissimo scelere hominem a se deprehensum, quod evulgari nollet; judices nihilominus fidem affirmanti Regi non habebant, & reum liberaverunt. Etsi lapsa recti consuetudine jam multoties de constantiæ via deflexerunt boni illi Parlamentarii patres. Id quod & alibi non infrequens est, certo pereuntium rerumpublicarum argumento: ubi nonnunquam fit, ut non solum scurras, adulatores, pestilentes novatores, & id genus nauci homines libentius audiant Principes, & ad familiaria colloquia admittant, quam aliquem Lavacrium, aliquem Thraseam Pætum, aut Helvidium Priscum aliquem; verum etiam ipsi moriones, nani, fatui, & cæteri hujus furfuris, aliquando plus animi habeant & sumant de Repub. cum Principe conferendi, quam mercenariorum Consiliariorum magnus numerus; qui servili præpediti timore sæpe evadunt ita elingues & excordes, ut malint Patriam & Rempublicam damnato silentio perdere, quam libera & generosa voce gratiam Principis, Regis, aut Cæsaris sui periclitari. Præter rem quidem est, quod nunc memoriæ incidit, & forsitan alieno loco dicendum non sit: quia tamen in rem est Consiliariorum, dicam. Bajasites I Turcorum tyrannus (talis enim proprie fuit) utebatur quodam Æthiope apud Indos nato familiarissime & suavissime: & quem ob facetias & lepores plurimum diligebat. Accidit autem aliquando, ut Bajasites castra meta-

I. Leuncl. Hist. Mus. Turc. l. 6.

metatus quadam in planicie tentorium figi juberet ad arborem sublimem. Hanc intuens, *Bre Areb* inquit; hoc est, *Heus Æthiops*; *si me amas, in hujus arboris verticem conscende.* Æthiops exutis vestibus actutum paret, & scandit. Ad fastigium vix pervenerat, & Bajasites mandat Solachis, (sunt satellites, qui circum Sultanum equitantem in albis subuculis cursitare solent) ut confestim admotis securibus arborem continuis ictibus dejiciant ac prosternant. Quibus strenue heri imperium exequentibus, Æthiops arbore prope tota jam resecta anxius, & præcipitio proximus, Sultani consiliarios obtestatur, uti pro se apud Bajasitem intercederent, & vitæ gratiam impetrarent. Sed frustra eorum sollicitabat intercessionem, qui nec prodire in conspectum Bajasitis, nedum unico verbulo eum orare audebant. Æthiops itaque consilio ex tempore capto, repentina machina extremum vitæ periculum prævertit, & subito solutis feminalibus sive subligaculis sordes suas excernit in satellites, qui arborem secabant. Hisce vero ad tam inopinam sordium grandinem ab opere diffugientibus, interim Æthiops ex arbore commode se demittit, & adpellatis Sultani consiliariis, qui spectaculo præsentes adstabant; *Utinam consiliariis vestri similibus idem hoc usuveniat*, inquit, *ut conspurcentur*; *quorum verba tantum non valent, quantum mea sordes.* Sed ad rem. Neque etiam *ærarii dominus* est Rex Galliæ: siquidem certus modus in largiendo legibus est definitus; ultra

quem

quem si progrediatur sine Senatus decreto, non paretur, nec rationum judices Quæstoribus sine gravi causa acceptum ferunt. Et amplius: Rex nec *monetam* sine publici consilii autoritate *mutare*: nec sine Parlamenti assensu *magistratum aliquem regni exauctorare*, aut *crimen abolere* potest. Minime vero omnium, Ludovici XI verbo, *pratum Gallicum tondere potest, quoties ipsi libuerit.* Tributa enim Galliæ Reges sine consensu ac suffragio generali regni conventuum instituere non posse, jam inde ab ætate Caroli Magni, testatur Aymonius Monachus. Et cui potius hac in re fidem habebimus, quam Philippo Cominæo, viro summati & prudentissimo, & cujus opera Ludovicus XI in maxime arduis negotiis utebatur. *Nemo*, ait ille, *omnium est Principum, qui jus habeat vel teruncium unum exigendi a suis, præter constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur. Sunt quidem Principes, quibus hoc frequens est in sermone, ut dicant; habere se privilegia, ut quantum velint exigant a populo: Galliarum tamen Rex omnium minime causam habet, ut istud de se jactet. Nec enim vel ipsi, vel cuivis alii licet.* Propterea etiam Ordines Galliæ in istum callidissimum Ludovicum, intemperantius potestate sua utentem, *Boni publici bellum* susceperunt. Pariter & alii reges cum populum ita exacerbarent, ejus obsequium & observantiam dissipaverunt. Carolus enim Crassus repudiatus, & a suis derelictus, brevi ad tantam egestatem delapsus est, ut ab Arnolpho jam rege facto victum sup-

Hotom. in Franco-G. c. 25.

l. 4. c. 116. 117. adde L. C. Buleng. de vectig. P. R. c. 58.

Com. l. 10. Hotom. in Franco-G. c. 23. Philip. Longus G. R. cum bona famacti- am bonam conscientiam exterminavit, cum a singulis subditorum quintã redituũ partem exigeret, ausus est. *Bod. in Resp. ad Malest.*

Cusp. in C. Crasso. Otho Frif. Ch. l. 6. c. 9.

supplex rogaverit, ne fame periret, *atque ab ipso paucos fiscos in Alemannia gratanter acceperit.* Et si ad nostra tempora decurramus : quam refrixit subditorum amor erga multos reges ? quam degeneravit in odium ? Cum An. C. 1578. Ordines Ducatus Burgundiæ libellum supplicem ad Regem Henricum III perscriberent, quo novorum tributorum & vectigalium ac salarii inprimis onera deprecabantur, antiqua minui postulabant, aut ad eum modum reduci, qui sub Ludovico XI fuit, quemque juxta provinciæ libertates ac privilegia successores ejus non egressuros se jurejurando ac repetitis sæpius diplomatis confirmaverint; illi qui libellum in aulam pertulerunt, cum verba apud Regem facerent, multa dixerunt viris Reip. & Patriæ studiosis digna, sed non perinde auribus impotenter dominantium & adulatorum, qui circa ipsos regnant, grata; ut illud Tiberii, *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere*; & illud horrida libertate ab Hybrea oratore, M. Antonio III viro, duplicari per Asiam vectigalia imperanti, repositum responsum, *Vt nimirum geminam æstatem & geminum autumnum*, hoc est, *binas messeis & binas vindemias eidem anno imperaret.* Quæ ægre a Rege audita, quanquam alte in pectus descendissent, tamen veritus ille, ne longius emanarent, & cæteræ provinciæ Ordinum Burgundiæ exemplum secutæ imperium absolutum & licentiosum, quod animo meditabatur, in ordinem cogerent, delegatos utcunque placatos cum bona in poste-

Th. H. l. 66.

rum

rum ſpe domum remiſit, fiſcalibus edictis, quantum ad eam provinciam ſpectabat, revocatis. Specialis vero notæ & obſervationis eſt, quod qui Divione, quæ Ducatus Burgundiæ metropolis eſt, in *Majorem* legitur, non tam honorem quam onus ſuſcipere vel invitus & renitens cogitur, juſque jurandum præſtare in templo D. Virginis, præeunte verba Procuratore Regio, *Se Regi fidelem futurum, defenſurumq; ſua civitati jura, libertates, & privilegia, adverſus quoſcunque, REGEM etiam, quoties flagitat neceßitas.* Tantum ſcilicet abeſt, ut Rex Galliæ *pratum* illud *Ludovicianum*, quoties voluerit & ubi voluerit, tondere poſſit. Quemadmodum autem olim a cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum, a talpis in Theſſalia; a ranis civitas in Gallia pulſa, a locuſtis in Africa; ex Gyaro Cycladum inſula incolæ a muribus fugati; in Italia Amyclæ a ſerpentibus deletæ: ſic hodie, mi cognate, & vos mei Auditores, in Gallia ſunt cuniculi & talpæ, quæ Remp. ſuffodiunt; ſunt ranæ ac locuſtæ, quæ civitatum concordiam pellunt; ſunt mures, qui reges fugant; ſunt ſerpentes, imo ſcorpiones & dracones, qui reges ipſos delent. Quod ſi electione Galliis daretur Rex; quis Principum in tanto & quotidiano pereundi periculo oblatum ſceptrum acceptaret? Quis ita electionem non præferret ſucceſſioni? Quis Germanicorum Imperatorum ſalutem in tranquilliori & feliciori ſede collocatam eſſe non diceret? Quanquam etiam cæteroquin per eſt incertum, Electio an Suc-

Mer. Coſm. p. 2. l. 3. c. 4.

Plin. H. N. l. 6. c. 29.

Eb. a Wehe in proœ. Reg.

Succeſſio ſit melior: nec minus incertum, quam illud, an Reges Galliæ ſtrumas ſanare queant; cum & hoc affirment alii, negent alii; & Petrus de Creſcentiis, Medicus Gallus teſtetur, multoties ſe quidem reges vidiſſe pro more tangere ſtrumoſos, ſed qui inde ſanatus fuerit, vidiſſe neminem; ut præſtet, ſtrumas in Moraviam ad Zabarovicenſes aquas deportari, ubi bitumine, ſale, chalcantho, quæ in iſtis, profligantur: tamen in noſtra Germania Electio longe ſaluberrimis temperatur & caſtigatur legibus, eaque nunc ita eſt conformata, ut omnibus aliis populis Succeſſionem non invideat. Etſi & Stephani Battorii Poloniæ Regis pro Electione gravis ſententia nequaquam oblivione tranſeunda eſt. *Efficiam vero*, dicebat, *ut intelligat orbis, quam præſtet Rex ſuæ virtutis merito in tantum faſtigium a volentibus provectus iis Regibus, quos invitis populis jus ſucceſſionis obtrudit.* Sed quo abeo? Jam tandem manum de tabula; & tibi *Franciſce Carole Dux*, frater chariſſime, adſentior: ſimulque adſenſum meum Æneæ Silvii, qui poſtea Pius II. PP. fuit, judicio firmo: qui ſic de Germanis: *Mihi ſeu nova conſideranti, ſeu vetera mente repetenti, inter omnes nationes, quas bello idoneas judicant, nulla expeditior, nulla fortior, nulla peritior, nulla audentior, quam veſtra, o Germani, videtur. Vobis homines, vobis equi, vobis arma, vobis pecuniæ ſunt. Nulla natio tam grandis ſub cœlo eſt, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut adeſt vobis Dominus* Deus *noſter. Et ubi obſecro tot*

cla-

M. Kirchn.

Epiſt. l. 131.

clarissimi Principes, tot generosi proceres, tot fortissimi equites, tot potentes civitates, tot divitiæ, tot auri, tot argenti, tot ferri mineræ? ubi tanta populi multitudo, tanta juventus, tantum animi, tantum roboris? Germaniæ fines, ut veteres tradunt, ab Oriente Viscella fluvius & Hungariæ limes fuêre: ab Occidente Rhenus: a Meridie Danubius: a Septentrione Oceanus & mare Balteum, quod Prutenicum vocare possumus. Nunc quantum extra hos terminos possideatis, ipsi videtis. Vos Angliam, pulsis Britannis, occupastis: vos Belgarum Helvetiorumque fines, ejectis Gallis, obtinuistis: vos Rhetiam & Noricum invasistis: vos usque in Italiam pedem extendistis: vos Hulmerigros, qui nunc Pruteni vocantur, ex manibus infidelium detraxistis. Vos igitur magni, vos bellicosi, vos potentissimi, vos fortunatissimi, ac DEO accepti Germani estis: quibus adeo fines extendisse licuit, & super omnes mortales Romanæ potentiæ datum fuit obsistere. Nam terrarum ille calcator omnium, & orbis domitor Julius Cæsar, quamvis subactis Gallis sæpe Rhenum transiverit, resque maximas in Germania gesserit, bellicosam tamen & asperam Suevorum gentem dimisit indomitam. Augustus Octavianus, cui & Parthorum & Indorum reges munera miserunt, qui unus omnium Romanorum fortunatissimus creditus est, de quo illa sunt metra;

Augustus Cæsar, divûm genus, aurea condet Secula.

Iste inquam felicissimus Imperator nullibi unquam, nisi apud Germanos succubuit. Ego hodie bello contra Turcam suscipiendo, etiam Italis, Gallis, Hispanis, Hungaris, Bohemis, Rascianis, Bulgaris, Illyri-

cis, Græcis, Asiaticis, domi manentibus; solam Germaniam sufficere non dubitaverim. Scio enim Gotfridum, qui fuit Lotharingiæ Dux, cum solis transRhenanis Teutonibus, & aliquibus Gallicis, paucis Italis, Hungariam percurrisse, Græciam penetrasse, Hellespontum transisse, Asiam permeasse, Hierosolymam ex potestate infidelium vendicasse; victis & prostratis omnibus, qui occurrerent, in medio gentibus; quamvis & Turci & Saraceni numerosi resistere conarentur. In ejus exercitu ducenta millia pugnatorum fuisse traduntur: atq; multo majores copias sola Germania cogere potest. Hæc Italorum doctissimus & prudentissimus de nostra Germania. Ecquod encomium possit esse illustrius? Ecquod magnificentius? Ecquod pulchrius? Dicam & desinam, mei Auditores, sacri Vatis verbis:

Psalm. 147. DEUS NON FECIT TALITER OMNI NATIONI.

PRINCEPS

FRIDERICVS

ACHILLES, &c.

JAM ET TU DIC, MI

GEORGI FRIDERICE,

Baro Limpurgi.

(o)

ORA

ORATIO GEORGII FRIDERICI, *LIMPURGI BARO-nis, S. R. I. pincernæ hæreditarii, & semper-liberi,* contra HISPANIAM.



VARIE hactenus, illustrissime Princeps & Præses, & prorsus inexpectatis sententiarum divortiis decertatum est. Quicquid tamen illud sit; Galliam ego nihilominus omnibus Europæ provinciis longe præfero: pro qua, si post inclytum Principem, *Dn. Ioachimum Ernestum Slesvici-Holsatiæ Ducem*, aliquid dicerem; futurum id esset insigni cum temeritatis argumento, & non levi existimationis meæ læsione. Ante oculos enim Cicero ipse stare videtur, & dicere: *Illam orationem solam populus Gallicus parem imperio suo habet.* Neque etiam excutio, quæ adversus Galliam satis acerbè, pro Germania magnifice satis, & utrinque accurate satis dicta sunt; quamvis contrariis armis fortiter depugnare possem, & res plurimas non invita circumflueret oratio: sed quia inprimis Hispania passim

Europæ reliquæ luminibus officit, & potentiæ suæ confidentia ad monarchiam nostri orbis aspirare creditur; cum ea in arenam paucis descendam, & cum bona tua gratia, *Princeps Magne, Dux Würtembergiæ*, ostendam, Hispaniam tibi tantopere amatam, & tibi tantopere laudatam, nec amore tanto, nec tanta laude dignam esse. Quemadmodum enim umbra corpus aliquod majori longe modo repræsentare solet, quam re ipsa est: sic amor tuus Hispaniam nobis depinxisse videtur.

Audacem faciebat amor.

Equidem, nisi oculorum & ingenii mei acies obtorpuit omnis, terram Hispaniæ ego invenio præter cæteras Europæ regiones incultissimam & sterilissimam; populo rarissimam; desertis quæ *Sierras* vocant plenissimam, adeo, ut etiam ad illam hominum infrequentiam haud sufficiat; ac proinde Germaniæ atque Galliæ, nutricibus suis; nisi alumna haberi velit ingrata, debeat cultum & venerationem. Gallia certe *quatuor milliones auri* quotannis ex Hispania capit. Et Henricus IV Rex cuidam opulentiam Hispaniæ laudanti; quod *Pistoleti & Regales*, numi Hispanici, ubique fere pretia rerum constituerent, reliquis monetis quasi ferias agentibus; ingeniose respondebat: *Hispanica moneta domi significat abundantiam, foris indigentiam & necessitatem: Hispani ad nos veniunt, non nos proficiscimur ad illos: neq; nobis donant suas pecunias; sed debent nobis, tanquam creditoribus suis.* Vixdum enim

Strabo l. 3. Bignon. de la Fr. l. 2. Bod. ad Parad. Malest. Consil. de Pott. & C. conj. l. 1. 8.

P. Matth. in Pan. H. IV.

enim triticum in ſpicas exit, granumque indureſcere & trahere incipit colorem; & Hiſpani frumentarii ſtatim adſunt, emunt, auferunt. Et quidem in Luſitania, ubi loci ex cunctis mercibus ac venalibus rebus vectigal exigitur, aliis in decimam, in quintam aliis, aliis in aliam partem obnoxiis; ſingulari exoticum triticum privilegio immune ac liberum eſt; in tantum, ut ſi quis illic triticum venum expoſiturus deferat in forum, & clara inclamet voce, *trabo tridigo, triticum fero*; non poſſit eum ducere vel in carcerem compingere lictor; niſi idem apparitor eadem opera etiam operæ pretium a plebe exſpectare velit fuſtuarium. Cumque alias aurum argentumve extra Hiſpaniam exportare nulli liceat impune; ſoli frumentarii inſuper ſunt exleges. Quamobrem & illi Angli, qui olim Lancaſtrii Ducis ductu ſuppetias tulerant Regi Portugalliæ, in Hiſpaniam redire nolebant, cum dicerent; *in Caſtilia nihil niſi rupes aſperas, quæ in omphacio comedi nequeant; & præterea præaltos montes, aërem durum, flumina turbida; plebem egenam, ſpurcam, & peſſime veſtitam, tantum ibi eſſe.* Et qui adhuc de ſterilitate Hiſpaniæ dubius eſt; is utinam voti obligaretur eo proficiſcendi, & hoſpitiorum deguſtandi delicias; ſi non aliud, ſaltem diſceret ibi ſplendide eſurire; diſceret ventri importune obſtrepenti aurem obturare, famem ſpecioſe diſſimulare; & a prandio mox prodeambulans, mantili fauces mundando, calamoque dentes carnis non viſæ pridem reliquiis exonerando,

Bod. ad Parad. Malc.

Bignonus ex Froiſſ.

ſaturitatem diſceret ſobrie mentiri. Longe alia ibi hoſpitiorum eſt facies, quam in noſtra Germania: quæ tamen hoc nomine a multis inhumaniter vapulat. Nam quod in Marchia Brandenburgica, Pomerania, Mechelburgia, & illa priſca Saxonia, (non loquor tamen de urbibus majoribus & elegantiarum amantibus) Germani noſtri pro Gallorum, Italorum, aut aliorum genio & ingenio parum interdum ſint civiles; & multa prece pretioque multo ſæpe non poſſit impetrari ab illis cibus potuſque; id non regionis penuriæ, ſed magis hominum militari diſciplina viventium, qua ſinguli ſecum cibaria ſua ferebant olim, ſeveritati imputandum eſt. Sicuti & antiqua multis in locis hoſpitiorum in menſis lectiſque frugalitas & tenuitas non ex delicatulorum & effœminatorum, quibus corpus nimis charum, judicio æſtimanda eſt: ut *Eraſmum* dicaculum dicere poſſimus; qui ex unius aut alterius cauponis ruſticitate, cujus vultibus forte fuerant tormenta, omnium aliorum diverſoriorum dotes falſo & inique metitur: & *Lipſium*, aliique id genus κακοζῆλοι non boni fuerint Stoici; qui *Weſtphaliam* vocabant provinciam gregibus quam Regibus paſcendis aptiorem, *Scytharum eremiam, barbariam ſupra omnem barbariam barbaram*; ac cognominabant ipſos Weſtphalos, *Suillios, Scrofas, Porcos, putriphagos, homines ſemi-homines*; & eorum hoſpitia, *haras*: & *Æneas Sylvius* fidei derogaverit, qui omnem ſordium & impuritatum ſentinam in aulico Germanorum

in Colloq.

in Epiſtol.

in Ep. 166.

con-

convictu collocabat; & tam ſpurca de menſis atque lectis illorum ſcribebat, ut de media Turcia vix potuerit ſpurcius; privatas patriorum hoſpitiorum ſordes, cum ita ſcriberet, plane oblitus. Quippe in Italica diverſoria delati peregrini Germani, plerunque egeſtatem ibi non ſine triſti ſenſu mox & mirantur & oderunt; quos ſubinde jejunis ſqualentibuſque epulis inter aviditatem & faſtidium diviſos, tum tricliniorum ſitus, tum culicum cimicumque omni genere infeſta cubilia, acer demum diverſitor & inclementis hoſpitii gravis merces multo cordolio & punctionibus divexare ſolent. Quanquam optandum ſit, alicubi in noſtra Germania diverſoria eſſe plura, & interdum magis munda, & ad mores peregrinantium magis conformia: qua in re Galli omnibus aliis nationibus ſine controverſia præripiunt palmam. At in Hiſpania, ô mei Auditores, quam omnia in barbariem abeunt? quam ipſum regionis exſuccum & aridum ſolum cum incolarum inhoſpitalitate certat? Pauci, pauci peregrini ſunt, qui ibi diu morari cupiant; & *beati ſunt, qui miſeram illam terram non viderunt, & crediderunt*: tantum abeſt, ut pro aliorum opinione ſint pecudes, qui Hiſpaniam non viderunt. Nam uti in Gallia, velis nolis, pecuniam profundes: ita in Hiſpania, ſi velis maxime, non tamen poteris. Magnæ paſſim ſolitudines; magna paſſim armentorum, pabulorum, herbarum, lignorum, & aliarum rerum neceſſariarum inopia; ut viatores ſæpe pro tecto cælum, pro

Euph. Sat. in Icone Anim. c. 6 adde & P. Beb. l. 1. Ep. fam. Ep. 4.

N. Clenard. in Epiſtol.

pro cibo famem, pro potu sitim inveniant; aut si bona fortuna ostendant diversorium, sæpenumero in illo nec comedendi nec dormiendi habeant copiam; & ita plerunque reperiant prandium cœnamve dubiam, dubii incertique, an jejunare cogantur. Et tamen umbra cœnæ lective tanti constat, quanti in Germania aut Gallia magnificum epulum; ut terra vel flumina in Hispaniis ideo aurifera nominari possint; non quia ferant, sed quod auferant aurum. Quævis autem in Hispania civitas fere unum saltem habet diversorium: in quod dum divertis, invenis arietis cornu parieti annexum, ad quod jumentum, si quod habes, religas tuum: deinde tibi dicitur, si aliud quid petas, *Vade ad forum.* Quod si roges, ut vel famula vel famulus tibi commodetur, te operam remuneraturum; mox audies, *Vade tu ipse, opus habeo famulitio meo.* Neque est quod avenam, paleas aut fœnum petas: istis caret Hispania. Hordeum emere poteris, & equo tuo dare. Terram pro strato boni consules: pro lecto vel culcitra mattam a vicino forsan emendicabis pretio: tibi coquus, tibi famulus eris: vix oleum & acetum, prætereaque nihil, habebis in hospitio. Et audite amplius, mei Auditores; audite alibi inauditam inhospitalitatem, & egestatem. Cum *Fridericus II Elector Palatinus* cum Aulico XX tantum hominum comitatu ad Imp. Carolum V proficisceretur in Hispaniam, etiam Cerveram (oppidum est.) venit; ubi die *Corporis Christi* quiescere constituebat, ut

Hub. Thomas Leod. Annal. l. 6. de Vita Frideric. II. Elect. Palat.

ut equi nimio æstu defatigati reficerentur: sed loci magistratus confestim Principem accedebat rogabatque, ut mature discederet cum suis; nec panis, vini, & reliquarum rerum annonam longiori mora redderet cariorem. Promoto ita itinere, venit ille Gomortam, urbem non inelegantem; cumque edendi appetitum diurni caloris vehementia corruptum patrio aliquo & familiari cibo reparare discuperet, interrogat in hospitio, num venale reperiatur butyrum? & annuente caupone, atque satis reperiri confirmante, conversus Princeps ad dispensatorem ait; vade & eme butyrum, quantum uni mulæ onerandæ sufficiet, & ut cottidie ova frixa habeam, cura. Iste cum dicto abit sciscitaturus de butyro, & ductus ad aromatarium poscit ducentas vel trecentas libras: sed hic admirabundus, *Atqui*, inquit, *tota Castilia non suppeditaret tantum: in Extremaduram tibi foret eundum, ubi sunt boum armenta: in his terris nihil herbarum crescit: & nos alibi emimus, pro emplastris ad ulcera conficiendis, alias nobis nullus est butyri usus*: & simul attulit capellæ vesicam axungia potius, quam butyro plenam, & ibi esse omne suum butyrum dicit. Quod cum dispensator ita renunciaret Principi, fuit id solutioris cachinni argumentum. Eadem vero hospitiorum difficultas toto itinere Principem comitabatur: qui cum Marescalcum præmisisset Granatam, illic de hospitio prospecturum; reversus iste denarrabat, non aliter potuisse obtinere, nisi ipsemet Imperator rogaret ci-

 vem

vem aliquem, qui ægre etiam advenas in ædes admittere promisit, in quibus tamen nec lectus, nec stramen erat. Et quia Imperator Principi extra Granatam honoris causa obviam ire volebat; Princeps ea causa in pagum Allabalath dimidio milliari ab urbe distantem, & ibidem in domum per metatores Cæsarios ejus mansioni destinatam concessit. Sed quid fit? Dominus domus sub tempus cœnæ supervenit ex Granata cum tribus famulis armatus & hastatus, Principem cum suis Germanis inde exturbaturus, vociferans, *ædes ad se, non ad Imperatorem pertinere*; neque ab illo quicquam epidemetici impetrare poterant; donec prodiit Princeps, cujus augustam faciem intuitus importunus nebulo, tandem conticuit & acquievit. Verum quicquid de fertilitate Hispaniæ aliunde affertur; id plerunque vetus est. Hodie enim copia rerum disparuit, raritas omnium terræ bonorum successit, opulentissimis quoque auri & argenti fodinis exhaustis. Et quemadmodum *Cabillonum* Galliæ binis ornatum quondam erat nundinis, utrisque ad totum mensem durantibus, alterisque *Brandoniis*, alteris ab *Augusto* mense nuncupatis; quæ tamen urbe suis cladibus fere sepulta primo quidem Genevam, quæ tunc etiam regni Burgundici erat, postea Lugdunum, ubi nunc quoque habentur, sunt translatæ; sed ita, ut retineat Cabillonum adhucdum, quas nundinarum beneficio solitum habere, immunitates: usurpat enim Cabillonensis magistratus *nundinarum*

Mer Cosm. p.2.l.4.c.41.

rum & mercatuum magistri nomen, & quo anni tempore nundinæ celebrantur, nemo Cabilloni adparitor, vel Regius vel alius, quemquam potest jure sistere, vel in ejus bona manus injicere: sic quoque Hispani hodie præsentem terræ suæ sterilitatem inanibus jactationibus superbe colorare solent, cum ex prisca illa fertilitate, si tamen talis ibi fuit unquam, retineant ejus vix umbram, & prope nudum nomen. Et quod supra dixi de hominum infrequentia; quæ tamen vel maxime notabilis est in Valentiæ regni mediterraneis; in Aragonia item, ubi integris diebus iter facientibus nullæ habitationes obviæ sunt; & in Navarra, quo toto regno supra XX millia focorum non esse, sunt qui asseverant: de illa vero amplissimum Gallia testimonium dicere potest: quippe quod Hispani magna mercede totas opificum colonias e Gallia, & præsertim ex Arvernis & Lemovicibus accersere soleant; & in Navarra atque Aragonia fere omnes vinitores, agricolæ, lignarii, latomi, carrucarii, restiarii, helciarii, ephippiarii, & cæteri manuarii artifices sint Galli; urbibus ibi & alibi locorum parum solatii ab indigenis Hispanis, qui sunt ignavo otio deditissimi, atque istas artes tanquam viles fere dedignantur; sine Gallorum & aliorum exterorum opera habituris. Gallorum autem opificum in Hispaniis commorantium multitudinem aperuit maxime Leo Strozzius, Prior Campanus; cum triremes Gallicas, quibus præerat in litore Massiliensi, Barcinonem

Bodin. ad Parad. M.

Clenard Epist. l. 1. ad Lat.

Bodin. de Rep. l. 5. c. 1.

nem urbis diripiendæ cupiditate egisset: siquidem detecta fraude, & terrore in vicinos sparso, *decem millia Gallorum opificum in una urbe Valentina jussu* Maximiliani Proregis Hispaniarum capta sunt; quorum tamen Hispani vades esse, quam ab eis deseri maluerunt. Atenim hujus paucitatis Hispanorum causæ latent partim in natura, quæ provida mater in meridionalibus ac sole adustis plagis generationes populorum minus numerosas magnasve esse voluit; ut ita & Hispanici aridi soli dotes, cum emaciatorum indigenarum exsuccorumque (Suicerus enim γαλακτοφάγος unus obesitate corporis tres prope æquaverit Hispanos.) numero & indole non male conveniant: partim vero dependent ab ingenio ac genio gentis, cum Religiositate atram bilem, immanitatem avaritiamque miscere solitæ; qua humorum morumque intemperie usu venit; ut non solum avorum memoria severissimis edictis, aliquot centena Judæorum millia patria terra cogerentur decedere, qui mari ex Hispania solventes Africam, Italicam, & Orientis solis oras tenuerunt, ubi in hunc diem patriam linguam Hispanorum mordicus retinent; verum etiam nuperis edictis & majori inclementia in Mauriscos sævitum sit, cum eorum ex omnibus Hispaniæ regnis *nongenta millia capitum* a Philippo III Rege exturbarentur, non paucis inde provinciis ad solitudinem pene redactis, quæ veterum incolarum singulari industria & cultu destitutæ languent. Quid? quod continui quasi & creberri-

Jo. de Laet, in Hisp.

perrimi copiarum, toties in Indias, Italiam, Belgium, tanquam ad macellum missarum delectus exhauriunt Hispanicam juventutem magis magisque: adeo ut si valido & numeroso exercitu impetus nunc fieret in Hispanias, ægerrime a civibus resisti posset. Quæ ratio etiam in Consilio Muratis III Turcarum Sultani proposita est, cum de novo bello deliberaretur. Th. H. l. 51. L. Soranz. in Ottom. c. 55.

Cæterum quemadmodum Hispania alimentorum & hominum est egens: ita quoque Hispani virtutum ferme omnium sunt pauperrimi, vitiorum ditissimi. Et quidem *irreligiosos* illos esse, demonstrari posset argumentis & exemplis quam plurimis, si opus esset: cum Mauriscorum quoque Rex Ferdinandus Valorius intellexerit, *illos vestimento tantum religionem, non intimo cordis adfectu æstimare.* Scribit Michael Montanus, illustri vir genere & doctrina, se puero in Galliis fuisse in pervagato vulgi sermone; Regem quendam Hispanum, cum a DEO esset castigatus, tam impatienter id tulisse; ut injuriam se ulturum juraverit, & mox edixerit subditis, *Ne proximo decennio* DEUM *adorarent, nec crederent in eum, nec de eo loquerentur.* Quo dicterio non tam stultitiam, quam insitam genti vanitatem ac religionis contemptum Galli depingere voluerunt. Nam, ut nihil loquar de illis Portugalliæ *Christianis novis*; quo nomine Lusitanorum bene magna pars veniunt, qui avitam Judaicam religionem a majoribus illorum, mortis, exilii, servitutis, & aliorum periculorum metu Th. H. l. 42. lib. 1. c. 4. Conest. de P. & Cast. conj. l. 1.

metu, lingua quidem jurantibus, sed mentem injuratam gerentibus desertam, adhuc animo retinent, Christianam autem in actibus fingunt, serv atque tanquam legibus jussam, non tanquam DEO gratam: ecquis hodie populus tot *Renegatos*, (sic appellantur illa hominum portenta, qui Christi sacris impie repudiatis ad diram vaferrimi impostoris Muhametis superstitionem deciscunt) ecquod Christianum imperium tot Christi hostes hodie parturit? Quis putet, bonam Hispaniæ partem contagio Muhametismi laborare? Quis credat, in bello illo Africano, quo Sebastianus Rex Portugalliæ, ætate & prudentia admodum puer, funesto prælio occubuit, Molejum Moluctum, Mauritaniæ Regem, in exercitu suo XV *circiter millia militum Renegatorum, & eos plerosq; ex Andaluzia oriundos*, habuisse? En præclaros illos San-Jacobi clientes! En Religionis Christianæ Atlantes! En illos toto orbe celeberrimos Catholicos Hispanos! Per me tamen *Catholici* sunto Hispani. Sicuti enim fieri amat, ut qui paternam bonorum & gloriæ hæreditatem decoxit, de imaginibus tamen blandiatur sibi, & generis titulo, adeoque *Generosus* audire velit; & nisi audiat, in injuriam pessimus trahat interpres: ita, ut Hispanis utar æquioribus, qua etiam ratione D. Paulus Festum dixit *optimum*, qui tamen vix bonus; qua alios quosdam vocamus *Nobiles*, qui ne micam quidem nobilitatis habent; alios *Doctores*, qui tamen doctrinam & artes meliores ignorant; eadem & Hispa-

Clen. Ep. l. 1. ad Lat. A. C. 1578.

Conest. de P. & Cast. conj. l. 2.

Tortura Torti. p. 400 ed. Lond.

Hispanos *Catholicos*, qui tamen nihil minus, appellabo. Et ut dem adhuc plura, atque cum multis credam, regnum Christi in utrisque Indiis Hispanorum, & cumprimis in Japonia Jesuitarum opera studioque admirabile accepisse incrementum: tamen creditu est multo facilius, non pietatem in DEUM, amorem in religionem, sed potius ambitionem, avaritiam, & cæteras pravæ mentis cupidines illis calcar addidisse. Robertus Normannorum Dux, in Hierosolymitana peregrinatione, quam voverat, barbarorum humeris æger ferebatur: uno vero ex comitibus domum redituris quærente; numquid in patriam nunciari vellet? *Hoc unum*, respondebat, *Vidisse te Robertum Ducem Dæmonum* (innuebat barbaros) *opera in cœlum* (Hierosolymam intelligebat) *ferri*: ita Hispani, ita Jesuitæ, sunt barbari, sunt Dæmones; quorum humeris, heu nimis duris! miselli Indi & Japonenses nescio in cœlum ferantur, an in infernum profundius deportentur. Et quia commodum *Iesuitarum* meminimus, qui sunt Hispanorum genuina proles; quique adfectuum & animorum copula ita utrinque cohærent, ut nulli divisioni aut distractioni inter se dent locum: nam quidam ex Burgundiæ delegatis dicebat; *Vn Espagnol sans un Iesuite, est une perdrix sans orange*: *Nec perdix sine malo aureo, nec Hispanus sine Iesuita sapit*: ideo in *religiosos Patres illos* diligentius inquirere juvat; cum ex eorum artibus, de cunctis Hispanis certius simus judicaturi. Doctrina autem illorum

Catholici nominales.

T. Zvving. Meth. Ap. l. 1. c. 3. ex Polydoro.

Autor Explic. vocis *Higuiera.*

& vi-

& vita merito orbem Christianum universum jamdudum impulit ad suspiciones & odia: cum ea doceant & faciant, quæ nunquam docuisse, nunquam fecisse, Ecclesiæ & Reipublicæ plurimum intersit. Theologorum Scholis censendum relinquo, quid illi dissociabiles socii, pro abjectissimis Papismi scortis, pro flagitiosissimis Antichristi nugis ac superstitionibus scribant vel vociferentur: ego vero hoc tantum ab aliis sæpissime dictum hic repeto; illos seditiosa dogmata & introducere, & antiquata jamdudum denuo ex Tartaro reducere, novisque coloribus infucare; quæ tam omnium Principum saluti, quam imperiorum paci sunt perniciosa, ut si pro merito fiat, non illis verba reddere, sed furcas figere oporteret. Quæ enim est intemperies, Satanicum Hildebrandi errorem in Jovis Capitolini gratiam & Rerumpublicarum certam pestem defendere, majestatem Principum imminuere, & sonora voce,

Tort. Tortis p. 38.

cornua quæ vincatque tubas

contendere: unicum esse mundi universi dominum, unicum VICE-DEUM, unum Imperatorem, unum Regem, unum vere Principem, PAPAM scilicet: cujus imperio, si quis Principum parum se præbeat morigerum, sive in Spiritualibus, ut multi sæpe, sive in Temporalibus, ut superiore seculo Joannes Rex Navarræ; hunc illa etiam falsa Hildebrandici Principatus imagine, ipso jure, etiam ante prolatam a Pontifice sententiam, ut multis placet, vel certe statim a prolata senten-

Casaubon. Ep. ad Front. Ducæum.

tia,

tia, omni imperio excidere; ejus subditos omni vinculo naturalis subjectionis solvi; ipsum vel subditorum vel aliorum Principum viribus solio detrahendum, & tanquam piacularem victimam finibus ditionis, aut etiam e numero viventium, si opus sit, exterminandum esse? O nefaria societas! O legitimarum societatum nocentissima pestis!

Tu potes unanimes armare in prælia fratres, atque odiis versare domos; tu verbera tectis funereasque inferre faces; tibi nomina mille, mille nocendi artes. Virgil. Æn. l. 7.

Obversantur enim quotidie tot horrenda bella, jam inde ab Hildebrandi temporibus ex hac causa in Europa exorta, & crudelissime gesta; obversantur tot rebelliones, proditiones, cædes, & parricidia nostro seculo ab hoc fonte profecta. Quis itaque ciuis bonus, quis patriæ suæ amans, quis Principis sui observans, Centaurica illa novorum turbonum ingenia, & illud ultimum seculi hujus excrementum, *postremum Diaboli conatum, toto animo non exsecretur, & cane pejus & angue non oderit? Quis tenebrionum illorum scripta ad Romani Pontificis ἀποθέωσιν novo audaciæ exemplo excogitata non aboleat? Sapienter patres Curiæ Parisiensis fecere, qui Institutionem Marianæ Jesuitæ ultricibus flammis addixerunt: sed sapientissime, quod Roberti Bellarmini Cardinalis, cujus ore tota Jesuitica Societas loquitur, librum *de temporali potestate Papæ adversus Gulielmum Barclajum* libero SC.to da-

A. Ch. 1610. mnaverunt, & sub pœna læsæ majestatis habere, retinere, communicare, excudere, vendere vetuerunt. Nam qui in incerto relinquendum negotium, aut ad tantam immanitatem conniven-dum putant, ii publicam Reipublicæ & dignitatem & libertatem suspendio enecant, aut silentio produnt. Tacere ad talia scripta plerosque Europæ Principes, & præcipue Consilium Cæsaris aulicum, & Imperii Cameram; imo cum S. Cæsareæ Majestatis privilegio & Superiorum permissu publicari librum, quo & Cæsaris Majestas & Superiorum auctoritas omnis tollitur, monstri simile est. Quid enim si subditorum animi Diabolica illa doctrina inficiantur? Quid si Castellus aliquis novus, ætate pene puer, malitia senex recoctus, Regi suo exitium machinetur? Quid si novus aliquis Ravallacus pari facilitate doctrinam parricidalem imbibat, pari temeritate foveat, pari scelere in Principe aliquo exequatur? Ille enim a supremæ auctoritatis judicibus de caussa suscepti in Henricum IV parricidii interrogatus, cum more patrio in reorum sellula sederet, non per ambages aut ænigmata, sed liquido ac diserte respondebat; ideo se quod fecisset fecisse, quia Rex Protestantibus Germaniæ Principibus opem ferre parans in caussa Clivensi, Pontifici Maximo rem faceret ingratam, ac proinde dignus esset, qui periret; se DEUM in terris Romanum Pontificem agnoscere, contra quem bellum gerere sit DEO ipsi bellum inferre; *cum Papa* DEUS *sit*, *&* DEUS *sit*

Autor Com-ment. de pot. Papæ cont. Bel.

Casaub. ad Fr. Ducæu. P. Matth. in Honor. H. IV. Merc. Fr. l. 6.

sit Papa. Quæ cum ita sint, nemò, opinor, sanus dicat; parricidarum sicas magis esse Principibus metuendas, quam venenata Alastorum scripta, quæ ad parricidia ducunt. Non enim tunc demum incipit aliquis esse parricida, cum ad scelus patrandum manus expedit: tunc tunc scelus contrahitur, quando mens doctrina Marianæ, Bellarmini, Bucheri, aut aliorum ejusdem monetæ, incipit corrumpi; & parricidii horror ac detestatio paulatim minuitur ac labefactatur, quando mutatis rerum appellationibus rebellio, perfidia, parricidium, quæ prius existimabantur, ut sunt revera, ἄγος inexpiabile, jam facinora laudabilia, aut etiam meritoria incipiunt videri. Verum Jesuitæ aliud non minus virulentum dogma contra Reipublicæ & Principum salutem propugnant animosissime, *de Confessione non detegenda, ne in caussa quidem majestatis, & præsenti Regis ac regni periculo:* quæ est Hildebrandicæ doctrinæ appendix non pœnitenda. Acta narrant Anglica, Comitem Notthinghamiæ pro tribunali ita interrogasse Jesuitam Garnetum: *Si quis mane apud ipsum confiteretur, se die sequenti Regem pugione transfixurum, an putaret, rem sibi occultandam?* Garnetum id affirmasse. Et Binetus ex eodem Ordine Casaubono hisce verbis confirmabat; *Præstare, Reges omnes perire, quam si vel semel Confessionis sigillum violaretur. Regum enim*, ait, *imperium juris humani est, Confessio juris divini.* Et alius in Galliis Jesuita ausus est nuper profano & impio ore asserere: *Si Dominus noster* JESUS CHRI-

Casaub. ad Fr. Ducæū.

Casaub. in Resp. ad C. Perron.

CHRISTUS *in terris versaretur morti obnoxius, & aliquis sibi in Confessione dixisset, velle se illum occidere; prius, quam Confessionem revelaret, passurum se* (o horrendam blasphemiam!) *ut* CHRISTUS *occidatur.* Sic & Henricus Henriquez Jesuita nullam omnino ob causam violari debere aut posse statuit; *quamvis ageretur* (verba sunt Jesuitæ) *totius Orbis salus, aut ipsius pœnitentis utilitas; nec pro vitando ullo damno gravissimo innocentis; aut quod esset totius Orbis conflagratio, aut perversio religionis, & omnium Sacramentorum intentata demolitio.* DEUS bone, DEUS misericors, in quæ nos tempora reservasti! Quæ enim hæc sententiarum, imo blasphemiarum sunt monstra? quæ portenta? Quis sanctorum Apostolorum, quis piorum Patrum unquam sic credidit, sic docuit? Equidem magnum Confessionis, & merito magnum privilegium est; ut scilicet sacro silentii sigillo muniantur, quæ vulnerata conscientia pro animæ solatio in arcano explicat, atque in sacerdotis pectus veluti in DEI ipsius scrinium liberrime effundit: attamen, si ex eo Ecclesia vel Respublica (cujus utriusque salus bono Christiano & civi bono ubivis suprema lex est) sit contractura periculum; tantum abest, ut sacerdos tacere possit, ut, nisi Religionis & Reipublicæ hostis haberi, nisi crimine læsæ Majestatis divinæ & humanæ se se sponte implicare velit, protinus Magistratui Confessionis arcanum aperire debeat. At vero, quod Jesuitæ perperam docent, etiam facere student. Qua de causa

in summa Th. Mor. l. operis 6. de pœn. sac. l. 3. c. 19 §. 5. Casaub in Ep. dedic. ad Baron. & in Exerc. 15. c. 131.

Th. Sagitt. de Euth. liberis ad Jesuit. non mittendis.

ſa paſſim, ubi ubi poſſunt, aulas obſident magnatum, domos ditiorum adeunt, omnes angulos perveſtigant, omnia, etiam ipſas conſcientias excutiunt aliorum, (nulla enim arx ſatis tuta eſt, ad quam *Confeſſionis* machina a Jeſuitis admoveri queat) ſatagentes, ne forte contra Papæ omnipotentiam conſilia habeantur uſpiam, vel ineantur. Vnde in Republica Chriſtiana non facile quicquam conſtitui poteſt, in quod dira factio, ſi non aperte, ſaltem per cuniculos, arbitrium ſuum non inſinuet. Et quemadmodum pictores interdum in una tabula cacodæmones bonis angelis miſtos exhibent ſpectandos; aut poetæ in ſcenam una introducunt crucis candidatos, cum bonæ fidei & famæ ſanctioris myſtis: ſic fere hodie tota Europa ſcena & tabula eſt; in qua Jeſuitæ, generis humani carcinomata, inter tot hominum miracula non poſtremum occupavêre locum. Prolixus forem, ſi præclara doctrinæ illorum experimenta nunc referrem; quomodo nimirum Sebaſtianum Regem Portugalliæ corruperint; quas turbas in regionibus Auſtriacis, in Bohemia, in Hungaria, in Venetorum ditione, in Belgio, in Polonia dederint; quas partes in pulveraria conjuratione Anglica tenuerint; quæ alibi perpetraverint ſcelera: ſed ſi hoc mare ingrederer, quando ſim inventurus portum? Alexander Hayus Scotus ita Societatem ſuam, & bene laudabat: *Ieſuita eſt omnis homo*: hoc eſt, ut ego proprie interpretor, ſunt Jeſuitæ *Æquivocatores* fallarii, inſignes omnium

B. Menzer. Exeg Aug. Con. art. 12.

Der man zu beicht will auſſeit von dem Pfeff.r ſeyn.

Eſt. Paſ. des Rech. de la Fr. l. 7. c. 18.

H de dern. troub. de Fr. l. 5.

fraudum, omnisque nequitiæ artifices & architecti; qui cum Lutetiæ primum in Academia domicilium quærerent, & interrogarentur aliquoties, *Secularesne* an *Regulares* essent, (nam ad hæc duo membra omnes Vniversitatis cives & ordines referuntur, nec tertium fertur) Æquivocatores illi hoc semper captiose respondebant, TALES, QUALES; quo hodieque proverbium ibi inter Studiosos usurpatur istud, *Iesuitas esse* TALES QUALES. Nempe verba dant Jesuitæ, quando verba faciunt: & Poetæ verbis,

F. Pasq des Rech. de la Fr. l. 3. c. 37. & 38.

Vestra datis, cum verba datis. nam fallere vestrum est.
Et cum verba datis, nil nisi vestra datis.

Enimvero diabolicis suis æquivocationibus ac mendaciis simplicitatem commerciorum non parum turbavit Garnetus in Anglia; ut plerique Angli strophas & verborum decipulas veriti hanc fere clausulam contractibus jam inserant suis: *Agere & contrahere se velle sine ulla Æquivocatione.* A Jesuitarum itaque familiaritate vir bonus quilibet arcendus, & potissimum juventus tanto est removenda longius, quanto res est periculo propior. Patres enim illos non aliter intueri oportet, quam agyrtas medicos; quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Atque uti

Ovid. Met. l. 15.

Clitorio quicunque sitim de fonte levarit,
Vina fugit, gaudetq; meris abstemius undis:

ita qui Jesuitarum doctrinas imbibunt, fugiunt viro bono dignum candorem & morum rectitudi-

tudinem, & omnino Jesuitarum animos & personas assumunt. Et tamen sicuti animalia quædam, cum mordent, non sentiuntur: adeo tenuis illis & fallens in periculum vis est; tumor indicat morsum, & in ipso tumore nullum vulnus apparet: idem in conversatione Jesuitarum evenit; non statim deprehenditur semper, quemadmodum aut quando discipulis suis noceant; nocuisse tamen deprehenduntur. Verum Sorbona Parisiensis illorum imposturas sagaciter & mature olfecit: quæ a Senatu Curiæ Parlamenti, *An Iesuitæ in regno sint recipiendi*, sententiam rogata, ingenue ita censebat: *Novam hanc Societatem appellatione insolita Iesus nomen sibi vindicantem, præbere occasionem libere ab aliis votis deficiendi, debitam præsulibus obedientiam subtrahere, dominos & ecclesiasticos & alios suis juribus injuste privare, perturbationem in civili & sacra administratione, querelas, lites, dissidia, contentiones, æmulationes; rebelliones, variasque scissuras inducere, & his de causis illam in religionis negotio periculosam videri; ut quæ pacem ecclesiæ conturbet, monasticam disciplinam evertat, & magis ad destructionem quam ad ædificationem pertineat.* Licet autem Jesuitæ Guisianorum gratia subnixi postea certis conditionibus fuerint admissi: universa tamen Parisiensis Academia libertatem eorum mox interpellavit; & cum causa hæc iterum frequenti Senatu agitaretur, eruditissimus Stephanus Paschasius pro Academia contra novum Sodalitium disserebat gravissime; & *sectam eam*

Sen. ep. 94.

Th. H. l. 37. Pasquier. des Rech. de la Fr. l. 3. c. 37.

ambitiosam & fucatæ Religionis plenam appellans, in Hispania natam, Lutetiæ adultam, Venetiis exercitatam, Romæ initio exagitatam, postremo receptam, & privilegiis immodicis donatam, postea in Galliis damnatam & rejectam fuisse, dicebat; *nunc vero gratuitæ puerorum institutionis specie grassari; & inde familias captatis testamentis exhaurire, juventutem specie religionis corrumpere, & fascinatis per superstitiones puerorum ingeniis jam nunc seditiones & defectiones in regni perniciem aliquando erupturas moliri.* tum inter plura eorum vota illud vellicabat, *quo Præposito suo, qui semper ab Hispaniarum Rege deligitur, quemque tanquam* DEUM *præsentem in terris venerari se ajunt, obedientiam, quam cæcam appellant, per omnia in omnibus pollicentur.* & post aliqua subjiciebat; *novis sectariis istis semel admissis, totidem hosteis intra regni viscera ali: qui, si contingat, ut excandescente perversa bile in Gallos arma vertant Pontifices, regi nominiq; Gallico bellum indicturi sint.* postremo versa ad Senatores oratione, *Vos*, inquit, *qui nunc Iesuitas toleratis, aliquando ipsi, sed sero credulitatem vestram accusabitis; cum conniventia vestra effectum videbitis, ut horum astu, dolis, superstitione, dissimulatione, præstigiis, ac malis artibus, publica tranquillitas non solum in hoc regno, sed etiam per universam orbem Christianum periclitetur.* Nec fides defuit orationi; & secuta tempora in ipso regni meditullio, in ipsa metropoli, tragica exempla dederunt; Rege tandem ipso in ret Castellanum ictum jugulo destinatum maxilla, sed uni-

Io. P Maffe. in Ignatii Vita l. 2, c 9.

A. Ch. 1594.

unius dentis jactura, excipiente, ac vocem illam immortalem edente: *Falloit il donc, que les Iesuites fussent convaincus par ma bouche? Itane fieri oportebat, ut Iesuitæ ore meo convincerentur?* Quo tempore Parlamenti Senatores, cernentes oculatius, sero quidem juste tamen decreverunt, ut omnes de grege illo Loyolitico infames & parricidales porci, tanquam juventutis corruptores, perturbatores pacis & tranquillitatis publicæ, inimici regis & regni, intra tres dies post promulgationem sententiæ Lutetia, & ex aliis urbibus & locis, ubi sua habuêre collegia, discederent; & intra quindecim subsequentes dies toto regno excederent; ita quidem, ut post dictum tempus in regno deprehensi tanquam læsæ majestatis rei punirentur. Interdixit etiam Curia omnibus Regis subditis sub eadem criminis L. M. pœna, ne filios extra regnum in Jesuitarum collegia studiorum gratia mitterent, Neque hoc tantum meruêre Jesuitæ; etiam *Crucem* tunc meruêre: quæ ante Palatium Parisiis erecta & æternis præconiis exornata aliquot annos stetit justitiæ Parlamenti testis: sed Regis nimia in Ordinem illum nefarium, justitiæ misericordiam præferentis facilitate, cum bonorum dolore e fundamentis eversa est; memoria tamen Pyramidis & vulneris, etiam invitis Jesuitis, in historiarum monumentis perpetuum mansura; quod Gallus quidam ingeniose prædixit Regi istis versiculis;

H. des der. troub. F. l. 5.

Sire, si vous voulez du tout a l' advenir
De l' assassin Chastel oster le souvenir,

Merc. Fr. l. 1.

Ostant la Pyramide, & l' Arrest qui la touche:
Qu'on vous remette donc une dent dans la bouche.

Cambd. A. Ang. A. C. 1585.

Equidem Elisabetha Angliæ Regina semper timuit & exhorruit ingenia Jesuitarum; quos non solum suis ditionibus ejecit, pœna læsæ majestatis in eos, qui manserint, aut deinceps in regnum redierint, sancita; sed & ut alibi pellerentur, operam dedit. Et cum inaudisset, Regis Galliarum commendatione factum esse, ut illis Turcarum Imperator Peræ, qui locus Constantinopoli est vicinus, habitandi facultatem concesserit, omnem movit lapidem, ut benevolentiam Turcici Imperatoris erga illos potentibus persuasionibus rursus corrumperet. Neque hodie Jacobus Rex magnæ Britanniæ illos aliter, quam hostes suos, & communes omnium Principum proditores ac parricidas habet. Neque nos Germani causam habemus, cur de Jesuitis sentiamus & censeamus mitius: cum quibus ut cum piratis & latronum cœtu nulla juris societas intercedere debet, sed summa distractio. Atque si læsæ majestatis crimine se involvunt illi, qui adversus Populum Rom. vel securitatem ejus committunt; aut ad id operam, consilium, dolum malum, conferunt: an quis erit tam felix malarum causarum patronus, qui Jesuitas illo crimine purgare ausit, nisi ingenio forsitan sit rabulæ *Cortelo* plane contrario. Namque uti iste gloriabatur; se in magistratu vel innocentissimo, dummodo unum atque alterum annum officio præfuerit, occasionem & argumen-

P. Matth. H. H. 4. l. 6. n. 2.

Causau. ad Fr. Duc.

Bod. de Re. l. 1. c. 1.

l. 1. & ult. ff. ad L. Iul. M. l. quisq. C. eod.

Bl. Monl. Com. l. 6.

mentum repertum, quo ille extremo supplicio plecti possit: sic Jesuitarum patronus talibus artibus instructus veniat oportet; quibus vel omnium hominum, quos terra sustinet, sacerrimos, & patibulares victimas, virorum bonorum contubernio inserere queat. Quid igitur, o boni cives, quid facimus? Cur Jesuitarum Societatem in communi hominum societate; cur speculatores Regis Hispani, & tyrannidis Pontificiæ acerrimos satellites, in media Repub. impune versari patimur diutius? Necquicquam in excolendo boni publici fundo sudabimus; necquicquam lolium, carduos, lappas, & tribulos extirpabimus; nisi ex agro nostro hæc filix radicitus evellatur. Meminisse semper debemus, quonam pacto profugi homines, nec minus vagi, quam Scythæ, nova gratuitæ doctrinæ professione vulgo commendati in Germaniam, Galliam, & in alias Europæ regiones irrepserint; quibus artibus, inhiantes locupletum fortunis, divites orbos, vel cælibes, deliros senes, superstitiosas mulierculas, & adulescentulos imperitos deceperint, & velut Circæo poculo repente immutarint; ut religionis specie, quam inexplebili avaritiæ suisque fraudibus obtendunt, equum Trojanum paulatim in nobiliores urbes & provincias introduxerint, ut semper in insidiis manserint, & in speculis steterint, proditionis occasionem expectantes; ut ea oblata machinam suam continuo aperuerint, armatisque hostibus multas urbes, provincias, & regna reple-

Vide I. Passerat. Præf. in Disc. de Ridiculis.

pleverint. Quod vero insidias & paratam pestem multis locis hactenus non satis caverimus, quod impendentia mala prospicientibus ac prædicentibus cordatis viris non crediderimus; obsistebant Chorœbi quidam atque Vcalegontes, qui plures in Ilio nostro quam Laocoontes fuerunt. Atqui *gratis docent* Jesuitæ. Mutate literulam, Auditores; & rem acu tetigeritis: *Gratis nocent*: eoque mactandi majore infortunio, quod gratuito sunt mali: quamquam vix istud sibi persuadebit, qui eos bene noverit. Testes honestissimæ amplissimæque familiæ, quarum sanguinem pro levi docendi opella & exiguo Minervali istæ hirudines exorbuerunt. Testis immanis eorum census, & superbissima ædificia, quæ cum Regum ac summorum Pontificum opibus & palatiis certant. Præclara liberalitas, repudiare drachmam, ut talentum extorqueas. Mirum genus benignitatis, pro stipe menstrua, immensæ pecuniæ legata opimasque captare & rapere hæreditates! Gratuita doctrina illis est pro hamo, vel potius pro reti-jaculo, quo callidi piscatores cuncta converrunt cum pulvisculo. Et tamen hæc magnifica magistrorum per aureum funem de cœlo delapsorum doctrina est, fere nihil nisi artem mentiendi & dolos, quos appellant, industrios sapere; & discipulis cum illis tradere ritus Hispanos, odium legum institutique patrii, & ut priscis utar verbis, *imbelliam, imbalnitiem, impolitiam, imparentiam, meramq; cum Laverna sacris barbariem.* Hisce miscent quidem exter-

externum bonorum pudicorumque morum fucum, ac tristes vultu vendunt sanctimonias: nec tamen, si fibulam gestant, sunt Hippolyti; nec si bonos auctores evirant, ideo bonis placent. Magna laus est, scilicet, ac palmarium facinus, ex hirco caprum, ex ariete vervecem, ac ex verre majalem facere. Atque utinam fabri patribus eorum, qua parte opus fuit, perpetuam imposuissent fibulam! Toties illustria ingenia jam non depravassent; toties pacem & quietem Rerumpub. non turbassent. Et quia hodie in hac mira rerum vicissitudine multa sperare licet, quæ prius optare vix licebat, pergam & ego optare, ac dicere; Vtinam stelliones illi illuc revertantur, unde malum pedem attulerunt! Vtinam ab omnibus Principibus ac Rebuspublicis, in quorum ditionibus adhuc illi morantur, mox audiant carmen, quod eis Dux Venetorum Donatus, cum e Veneto Imperio pellerentur, recitasse fertur: *Andate, niente pigliate, & mai ritornate: Abite, nihil auferte, & nunquam redite.* O salutare carmen! O divinam medicinam! Equidem Germania, Gallia, Polonia, & alia regna, quæ longum periculosumque morbum Sociorum illorum contagione contraxerunt, nisi ejusmodi leventur vomitu, vix unquam recte convalescent. Nec quis improvidus advocatis & patronis Jesuitarum vacuas obvertat aureis, amplissimas novasq; spes mirificis ingentium promissorum emblematis ornatas ostendentibus. Insidiæ sunt: aut si non sunt, spes tamen sunt admissis scele-ribus

Wolmeinender Discurs / warumb sich die Catholischen in Teutschland / von den Spaniern vnd Jesuitern absöndern sollen.

ribus & conceptæ formidini multo impares. Crimen enim illud impie defensæ Temporalis Papæ in Principes potestatis æternum est, incomparabile est: quod nulla virtus, nulla meritorum amplitudo redimet. Nam quoties quis dixerit: *Iesuitæ disciplinam scholasticam stabiliverunt, & artium liberalium studia propagaverunt*: opponetur: *Et juventutem seditiosa doctrina & fraudulento æquivocandi artificio imbuerunt.* Quoties dicetur: *Iesuitæ Ecclesiæ Romanæ majestatem voce styloq; masculè propugnaverunt*: opponetur: *Et majestatem Principum Pontificalis amplificandæ studio scelerate impugnaverunt.* Quoties dictum erit: *Iesuitæ ad Orientis & Occidentis terminos Fidem Catholicam protulerunt*: opponetur: *Et ad utrumque Solem Perfidiam extenderunt, atque Fidem subditorum Catholicam Principibus debitam imminuerunt.* Ita quamvis Iesuitæ omnia eximia religiosorum ordinum exempla superent: ex his tamen quæ fecerunt, & quæ facient, nihil tam magnum erit, quam crimen Papalis omnipotentiæ sic acriter defensum. Ac licet propterea forsitan nihil in Jesuitas constituatur gravius: Principibus tamen, ut ante dixi, non licet esse securis. Fingite enim mecum, Auditores illustrissimi, ornatissimi; fingite vel Imperatorem nostrum, vel Regem Sarmatiæ, aut alium, in Vejovis Vaticani disgratiam, uti levicula ex causa contingere potest, incidisse: & istum pro Temporalis Hildebrandico-Jesuiticæ tempestatis plenitudine feralia excommunicationum fulmina ejaculari in illos: fingite,

te, Imperii regnique ſubditos jam ante peſtilentia dogmata a Jeſuitis edidiciſſe: & ſic cenſete. Quamdiu, dicite mei Auditores, quamdiu Imperatoris noſtri, & Regis Polonici, ſalus erit firma? Quamdiu erit publica? Quamdiu Imperium & Regnum illud ſtabunt inconcuſſum? Hoc ſine dubio dicetis: prima quaque occaſione data, horrendam & cruentam civilis tragœdiæ carnificinam, ſacris profaniſque omnibus permixtis, ſecuturam eſſe. Quare, ſi quem Principem tangit Reipublicæ & poſteritatis cura; cavebit is ſibi a Jeſuitis non minus, quam paterfamilias, qui in familia ſua famulos habet, de quorum ſide erga ſe non conſtat ipſi, aut quorum fidem ſuſpectat. Quondam Romanus Senatus, poſtquam patresfamilias aliquot ſervorum ſuorum conſpiratione periiſſent, Senatuſconſulto, quod Silanianum eſt dictum, ſervos omnes ſub tecto heri occiſi repertos, nullo fere ſontis aut inſontis diſcrimine, capitis damnavit: non defuerunt in ordine ampliſſimo, quibus ea lex durior videretur: ſed erat tanti ſalus & ſecuritas civium Romanorum; cui ut conſuleretur, ne illa quidem ratio eſt repudiata, quæ aliquid ex iniquo trahat: quod exiſtimarent magni illi prudentiæ civilis antiſtites, paucorum privatorum injuriam publica utilitate abunde compenſari. Sed quid exſpectatis, Auditores, ut hic addam? Hoc tantum: *Reſpublica eſt domus magna, in qua Princeps paterfamilias eſt.* Et ſatis de *Ieſuitis*: quos ita nominavi, quia vulgo ſic appellantur;

Cauſau. ab Fr. Duc. & adde l.1. ff. de SC. Sil. & ib. Fr. Duaren. in Com. M. Weſenb. in Parat. A. Auguſtin. de SCtis.

arg. l. 1. in fi. ff. de lib. exhib.

etſiam-

etiamsi non bene. Etenim, ut ait Abbas Panormitanus, clarissimus juris Pontificii interpres, *Christiani nomen recte assumptum. Nam & unctionem nobis Christus communicavit.* JESUANI, sive Jesuitæ, *recte dici non potuimus: quoniam Servator unus ipse est.* Quare non incallide, ut cætera, sic & hoc, Ignatiani illi Sacerdotes sive Monachi. Non enim ipsi inter se *Iesuitas* vel *Iesuanos* appellant, neque ab aliis appellari, ut opinor, cupiunt; sed potius *Sodales* vel *Socios Iesu*, & *Societatis Iesu*. In quo ridiculi tamen sunt, & sui acuminis falsi: cum in tota Scriptura nemo *Sodalis* vel *Socius Iesu* appelletur, præter unum *Iudam* proditorem, & quidem ab ipso Christo: Ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει; *Sodalis quamobrem ades?* Satis, inquam, de *Ignatianis Iesu Sodalibus*: qui tametsi jam non omnes sunt natione, adfectu tamen & mente intima omnes Hispani, & Loyolæ magistro similimi sunt: quorum factionem non aliter æstimo, quam agilem quendam, & acutum gladium; cujus lamina quidem in vaginam Gallicam, aut Germanicam, aut Britannicam; aut Polonicam, aut Hungaricam, aut aliam recondita sit; sed ita, ut capulum Romana Aula & Hispanus manibus teneant, & sic eum arbitratu suo stringant & vibrent. Religionis autem Hispanicæ illustrissimum πόρισμα est INQUISITIO; quæ ut primum comperit aliquem in quodam Fidei capite a Romana Ecclesia dissentire, confestim opponit ei syllogismum ex igne, aqua, aut laqueo confectum; qui fortius, quam qui

in c. Decet. de im. Eccl. in 6. adde Sci. Gentil. Com. in Pauli ad Phil. c. 14.

Matt. c. 26. v. 50.

Consil. de stabil. pace Poloniæ.

Lanov. D. 4.

prima

primæ figuræ dicuntur, concludat, atque ubi mors necessario ingrediatur conclusionem. Sanguinaria disputandi ratio: & quæ magis tortoribus, lictoribus & carnificibus, quam Apostolis & Ecclesiæ Doctoribus conveniat. At quemadmodum Imp. Heliogabalus, lupus hominum, ignem virginum Vestalium perpetuum, & omnes Romanas Religiones extinguere voluit, atque efficere, ut Heliogabalus DEUS unus & solus coleretur: sic Hispani omnibus modis contendunt, ut clarissimo sinceræ Christianæ Religionis lumine, & una aliis sectarum fatuis ignibus deletis, unicum Inquisitionis idolum inter perpetua & cruenta carnis humanæ sacrificia toto terrarum orbe celebretur. Hanc Religionis barbariem non parum aggravat bonarum literarum contemptus. Hispani enim nec infelices ingenio, infeliciter discunt; semidocti doctos se censent; sophistarum strophas impense amant; suos ingenii fœtus ad posteritatem raro, rarius ad exteros ob linguæ defectum producunt; cum in Academiis Hispanice magis, quam Latine, Maurorum etiam vocibus non paucis interspersis, (nam partem Hispanicæ linguæ non exiguam mere Arabicam esse, manifestum est; tametsi cum Jos. Scaligero quartam illius partem Arabicam dicere non ausim) loqui gaudeant. Quam sermonis concinnitatem belle expressit *Vargas Senatus Sanguinis Præses*, quando Lovaniensis Academiæ Professoribus, facinus Hispanorum, qui Comitem Buranum literis ibi operam na-

Lamprid. in Heliog.

Mer. Cosm. P.2.l 8 c.4.

C. Besold. de lingg. mut.

Jos. Scal. in Ep. ad Cas.

Apol. Aur. ad proscrit. Hisp. R.

vantem per vim inde rapuerant, improbantibus, & privilegia sua ingeminantibus, respondebat barbare; *Non curamus vestros privilegios.* Cujus truculenti hominis & ista scitula elegantia est, qua de cunctis Belgicam habitantibus ille judicasse fertur hisce verbis: *Haeretici fraxerunt templa; boni nihil faxerunt contra: ergo debent omnes patibulare.* Quinetiam spreta poetices & historiæ venustate, veterem & plane stolidam in quærendis scientiis rationem obtinent Hispani; cum Theologiam, Jurisprudentiam, & cæteras altiores scientias, Græca Latinaque eruditione mitigari indignentur, putentque hoc modo fucum addi, quo virilium literarum lineamenta elangueant. Vir nuper non ignobilis in literis famæ, cum ab iis, quibus obsequium addixerat, jussus esset in Hispania divinarum rerum scientias profiteri, statim hac politioris doctrinæ velut infamia eviluit, admotisque precibus supplex a suæ libertatis dominis impetravit alias sedes, & suæ humanitatis patientes. Præcipua ad Germaniæ nostræ morem ibi eruditionis species, prolixis voluminibus pauca complecti; sed & illa plerumque ex aliis autoribus supervacuo labore decerpta. Miror autem, quid tibi, *Magne Dux*, Princeps sagacissime, venerit in mentem, ut *Raymundum Lullum* catalogo doctorum, & eorum maxime, qui duces ac principes ordinum esse possint, non dubitaveris inserere; hominem stultissime subtilem; qui cum omnium bonarum literarum esset expers, ac ne Latine sciret quidem

E Reid Annal. l. 1.

Euphorm in Icone Anim. c. 7.

L. Non. in Hisp. c. 25.

dem; multa tamen ausus est patrio sermone evulgare, & tali obscuritate permiscere, ut doctissimi licet, pauci admodum ea capiant: quod ineptissimæ scientiæ certum existimo esse argumentum. Ego *Lulli Lapidem* & *Doctrinam* pari dignor pretio; & cum poeta sic statuo:

Qui Lulli Lapidem quærit, quem quærere nulli
profuit; haud Lullus, sed mihi Nullus erit.

Verum enimvero cum illa Religionis immanitate, & ista literarum inscitia, egregie congruit immanis & inscitus *fastus*; quo supra mensuram humanæ superbiæ Hispani tument. Inde illi omnibus aliis populis ad ceremoniarum pompam, ad adulationum solennes formulas, & longos titulorum tractus, sunt duces. Gravitatem fingunt cum adfectata quadam severitate: quæ facit, ut odium sustineant nationum omnium. Plane *vivunt Hispani ex opinione tantum*, imaginando & fingendo nunquam facta, nunquam futura; credendo quæ finxerint, prosequendo quæ crediderint: nec id de se diffitentur *Portugalli*, qui dictitant; *se niti potius eo, quod se esse putant, quam eo, quod re vera sunt*: Omnes, & maxime in Lusitania, opifices quoque, volunt dici & haberi *Nobiles*: magnique probri instar est, aliquam manuariam profiteri artem; sed quam, ambitiosa paupertate extimulati, exercent in occulto, veluti rem legibus vetitam. In publicum progressi, nec incessu, nec vultu humile quicquam præ se ferunt: ac si mutuis eorum sermonibus intendas, putes illic de sum-

Met. Colm. p. a. l. 2. c. 14

Conest. in præf. de Port. & Cast. conj.

ma Repub. agi, putes loqui Aulæ primates, Consiliarios sanctioris consistorii, & Castiliæ Comestabiles. Quid? Etiam matresfamilias rei familiaris curationem infra decus suum esse arbitrantur: tametsi nihil illæ propemodum habent, quod usui sit, præter linguam, & quo tuentur nuptiarum titulum. Itaque Æthiopes & Mauri captivi omnia obeunt munia domestica: quo genere hominum tam referta est Lusitania, ut credam Olissipone plures esse ejusmodi servos & servas, quam sint liberi Lusitani. Qua causa Lusitani (qui servitia multis seculis oblivione sepulta in Europa primi revocarunt) exempla Muhametanorum secuti, venalitios ex Africa religionem Muhametis ejurare, ac nihilominus Christiana imbutos cum liberis ac nepotibus perpetuam servitutem servire compellunt: ita ut servorum greges veneant tota Lusitania publice pecudum in morem. At quibus usibus tot servi? quæritis merito, Auditores. Ne multa: Pompæ ut maxime. Nam invenire est Hispanos, in censu etiam pertenui, octo & pluribus stipatos assectis: qui etsi otium agunt omnes, nemo tamen caret negotio & officio. *duo præcedunt: tertius gestat galerum: quartus pallium, si forte non pluat: quintus equi capistrum: sextus holoserica sandalia: septimus scopulas illas, quibus vestes repurgantur a pilis: octavus pannum quempiam ad abstergendum equi sudorem, interim dum dominus audit sacrum, aut confabulatur cum amico: nonus pectinem promit, si forte honoratior sit salu-*

Clen. Ep. l. 1 ad Latom.

Bod. de Re. l. 1. c 5.

Clenar. d. l.

ſalutandus, ne incompoſito dominus appareat capillitio. & tamen illi famuli omnes ſi non grandi cibo, fame tamen ſplendide ſuſtentantur. Cum Gallo quodam, qui tempore Emanuelis Regis migravit in Luſitaniam, adſcitus in familiam Reginæ Leonoræ, ſimultates exercebat Luſitanus aulicus. Et ſicuti ille faſtu externo vincebat: ita Gallus cœnabat lautius; qui morum Luſitanicorum gnarus, aſtu nactus eſt libellum, in quo alterius referebantur ſumptus diurni, & incidit in locum ſatis ridiculum & omnino Luſitanicum. Cum enim ſic quotidie ſcriptum eſſet: *in aquam, quatuor (a) ſectilia; in panem duo regalia; in raphanum ſeſquiregale:* & ita tota hebdomada tam magnificis impenſis decurreret, ratus aliquanto lautiorem futurum diem Dominicum, ſic ſcriptum reperit; *Hodie nihil, quia in foro non erant raphani.* Et hujus cenſus ῥαφανοφάγοι infrequentes non ſunt: qui plures ſecum famulos foris trahunt, quam domi Regalia conſumunt: non abſimiles priſcis illis Hiſpanis, qui aquam bibere & parciſſime cœnare ſoliti ſunt, quo ſumptuoſius ſeſe amicire poſſent. Quid dicam de aliis inanibus ſuperbiæ Hiſpanicæ ſpectaculis? Nec novum iſtic nec rarum eſt, ut gregarius miles & omnino tyro, deſpici ſe ſentiens, Regi quoque ſe componat & æquiparet. Audebit is dicere: *Io ſoy tan bueno, como el Rey.* Audebo & ego addere;

Quid domini faciant, audent cum talia fures?

Et quid fecit *Auguſtinus*, tribunus Hiſpanus? In

(a) An.Ch.1535. Ducato Luſitanicus æſtimabatur IV Teſtonibus: Teſto V Vigenis: Vigenus XX Regalibus: Regale VI Sectilibus. haben zehen Regalia gemacht ungefährlich / ein Geiber/oder Doppelſünfer.

Athen. l. 2.

Lanov D. 18. parad. 3.

Virg.

A.Ch.1594. Belgio enim, gliscente inter Carolum Mansfeldium & Stephanum Ivarram discordia, cum Hispani non nisi gentilium præfectorum imperia accipere vellent, etiam Marchionem Warenbonnium Burgundionem aspernati, eundem Cameracum ad exercitum profectum hisce verbis allocutus est superbissimus Augustinus: *Non ignarum se, quo Marchio ortus genere, qua in Regem fide existeret: credere quoq; cætera bello egregium: attamen ita animatum militem, ut ne Deo quidem, si cælo descendat, nisi Hispanus sit & ipse, pariturus sit.* Cerbeream & Orco dignam vocem. *Antonius Leva*, miles minime gregarius; sed qui ex gregario per omnes militiæ gradus ad summum bellicæ laudis fastigium ascenderat, & tot prosperis successibus inflatus eo insolentiæ venerat, ut ex quorundam vaticinatione Imp. Carolum Galliæ regem evasurum, & se voti compotem Lutetiæ in ipsa victoria fato concessurum Hispanico fastu jactaret: is non nescius, post *Aurei Velleris* Ordinem, longe maximum in Hispania honorem eum esse, si quis inter *Grandeis* locum habeat; quorum prærogativa hæc est, ut coram Rege caput tegant, uxores ipsorum a Regina honorifice salutentur, & juxta se sedere in pulvillis jubeantur: ille immodica tanti privilegii cupiditate tam flagrabat perdite, ut absque eo non satis honorifice se vita functurum stolide arbitraretur. Et vero quotidie ad Imperatorem mane more aulicorum ventitans, ac quia ex articulari morbo erat admodum debilis, ab Impe-

Reid. Ann. lib. 11.

Th. H l. 1.

Th. H l. 48. & 78.

Imperatore ejus miserto sæpius sessum ire jussus, cum ambitionem suam diutius premere non posset, respondebat aliquando Imperatori; *Non pedibus suis, sed capiti male esse.* Tanti erat Levæ, cum tam Principe suo caput tegere posse. Similis ille cucurbitæ sylvestri, quæ Græcis σόμφος appellatur; digitali quidem crassitudine, sed sine medulla, & intus inani. Cujus farinæ est & illud, quod *Ferdinandus Avila* Vltrajectinam arcem in manus Maximiliani Bossuvii Comitis, qui eam obsidebat, *consignare*, non *dedere* voluit. nam de iis verbis diu inter eos altercatum fuit: cum Avila vanitate genti insita se potius vitam cum suis omnibus amissurum, quam *deditionem* facturum affirmaret. At quid Levam, quid Avilam loquor, tantos viros? *Sutori* cuidam & egeno, cum jam fata instarent, aderat filius in paternam sortem natus. Is cum rogasset, *Ecquid sibi decessurus præceptorum relinqueret,* jam defecta voce pater, *Vt*, inquit, *memineris in majestatem assurgere familia tua dignam.* Ita quoque miraculo fuit Euphormioni Satyrico, sive *Ioanni Barclaio*, quædam ex Hispania mulier, vix centonibus satis tecta, tribusque qui comitabantur liberis precarium spiritum tristi mendicitate producens. Forte in Gallorum cœtum illa inciderat; & ex his statim unus spectaculo motus, *Ego*, inquit, *o mulier, hoc te onere ex parte levabo: majorem ex tuis liberis* (& is ad decennium admodum pervenerat) *mihi trade; hunc levibus suæq; ætati paribus ad serviendum officiis assuefaciam;*

P. Matth in Hist. H. IV. l. 4. n. 1.

Th. H. l. 46.

Euphor. in Ic. An. c. 7.

ubi adoleverit, meo sumptu curaque hoc artificii genere, quod maxime probaverit, imbuetur. Ad hæc mulier: *Nec* DEUS *siverit*, inquit, *o mi homo, quanquam pauperem me vides, ut in tantam humilitatem filium damnem. Qui aut tu, aut ego sciamus, in qua fata sit genitus? aut quam claris virtutibus subsidium patriæ paraturus? Satius illi, si ita fata tulerint, inedia extingui, quam ad servitutem (sub externo præcipue domino) egregiis hominibus indignam accedere.* Paucis multa complectar: Hispanus non est, nisi superbus sit: & cum superbire desinit Hispanus, cum homo esse desinit. Quanquam sunt Hispani, qui fastum suum etiam sibi posthumum & vitæ superstitem faciunt: uti *Martinus Ivanius Barbuda* Alcantaranæ militiæ in Hispania magister, qui sepulchro suo hæc verba incidi curaverat: *Hic situs est Martinus Ivanius, in omni periculo experti timoris animo.* Quod Epitaphium cum ad Imperatorem Carolum V relatum esset; facete, *Arbitror*, inquit, *Equitem hunc favillam candelæ ardentem digitis restinxisse nunquam.* Forsitan Ivanius ille pectus omni metu vacuum gerebat; uti ante paucos annos *Matthæus Serranus*, Slusæ Præfectus; qui Marchioni Spinulæ, an ab annona & omni necessario instrumento satis sit oppido prospectum, roganti, Hispanica confidentia, *Domine Marchio*, respondebat, *ad tuam obsidionem Ostendanam abi: quid mei officii sit, & quid pro Slusæ conservatione facere debeam, sine monitore novi optime: si hostis secum quinquaginta diabolorum millia* huc

I. Mariana de reb. Hisp. l. 19. c. 3.

P. Matth. in Hist. H. IV. l. 7. n. 2.

huc oppugnatum ducat, non ejiciet me tamen. Sed fastus & vanitas Serrani Slusam perdidit. Hanc vero gentis insolentiam, illum nigrorum hominum fastum, vestitum & incessum pompaticum, omniaque dicta ac facta turgida & ventosa, merito tribuimus adustæ eorum naturæ atque profundæ melancholiæ. Nam melancholicos eos esse, præter alia multa, declarat frequens in illorum civitatibus *Melancholia* morbus. Et est Cæsaraugustæ domus, in qua multi adeo, qui valetudinis vitio furunt, morantur; ut non solum totam civitatem mira lamentatione, vario plangore, & fremitu conficiant, verum etiam totam Hispaniam mirandis suis dictis ac factis compleant. Alius enim ibi Imperatorem se dici & esse contendit serio: alius, qui mitram gestat, summum Pontificem; itaque crucis signo hominibus benedicit: alius belluam immanem, & catenis constringitur; imo etiam quidam milii se granum putat, qui a gallinis vorari metuens, illas quantum potest & fugit, & odit. Quemadmodum autem *mons Serratus*, qui ambitu suo IV leucas continet, quam plurimis immensæ altitudinis (ajunt enim e summo jugo, sudo cœlo, Baleares insulas, quæ vulgo *Mallorca* & *Menorca*, & LX leucis distant, posse conspici) aspretis constat; ut, ubi in rupis verticem magno labore te evasisse putas, statim se offerat alia multo altior, in quam ubi per ligneos gradus enixus es, crescere adhuc rupis celsitudo videatur: ita infames Hispanorum mores denarrare conanti

Pasc. Iustus de alea. l. 1.

I. Non. in Hisp. c. 87.

evenit; atque ubi pravæ religionis, ignorantiæ, & fastus vepreta perreptando, omnes nequitiæ illorum *Sierras* jam superasse quis existimat; confestim horrendus alius turpissimæ Veneris lucus apparet; quo vix decurso, & mox

Virgil. *itur in antiquam sylvam, stabula alta ferarum;* in spelæa devenitur crudelitatis, perfidiæ, avaritiæ, & omnis tyrannidis.

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω; *Veneris lucum* jam appellavi; sed debebam dicere *Veneris rupem*. Talis enim in Hispania est: & quam vulgo vocant *La penna de los Enamorados*, & quæ furtivis amoribus debet nomen. Res breviter aperienda est. Cum Granatense regnum Mauri adhuc tenerent, accidit, ut accenso bello juvenis quidam Christianus Granatam duceretur captivus: quem Rex barbarus ob morum & formæ elegantiam singulari benevolentia dignatus, inter charissimos, & aulæ familiareis habebat. Nec & in pulchellum illum Regis filia amicum & calidum adfectum celare diu poterat: qui dein mutuo Christiani adfectu fotus, & consuetudine quotidiana auctus, utriusque pectus ad extremum occulti amoris commercium demum inflammabat. Verebantur autem, iste domini, ista patris iram, ne deprehensi capite pœnas darent: iccirco fugæ consilium ineunt, abeunt, & properant quantum possunt, donec fessa puella ad rupem sive petram obviam paulum interquiescere cogerentur. Ecce vero interim patrem & comites ejus omnes equis ve-

Mariana de reb. Hisp. l. 19. c. 22.

ctos

ctos concitato cursu advolare. Fugitivi quid facerent ? In summis angustiis, consilii, auxilii, virium, & gratiæ inopes, metu duce iterum fugiendo currunt, currendo adscendunt, adscendendo repunt, & denique rependo per petræ cautes in cacumen enituntur. Sed o inane præsidium ! Pater enim naribus & oculis ultionem & furorem spirans, truci voce confestim de petra descendere jubet, refractariis ultima minitatus. Contra Amantes omnia timere, nihil credere, obmoliri saxa, glebas, stipites, & quæcunque desperatio dabat. Tandem cum adventu sagitariorum, qui e vicino vico advocati erant, fracti essent animis, supremo conatu animos duplicant, certoque exitio forte exquisitiores cruciatus, probra, & ignominiam vitaturi, sane arcto complexu mutuo innexi ab ea parte, qua frendens pater adscensum & vindictam machinabatur, se se præcipites devolvunt. In eoque complexu petlati extinctique sunt; omnibus, præter patrem, miserantibus fortunam & casum eorum, quos non prius Amor quam vita defecit. In eodem habitu eo loci sepulti sunt : & petræ ab ea tragœdia nomen inditum. Nobile utique certamen, si veræ virtutis amore, & non fatuorum amorum gratia susceptum fuisset. Cæterum turpissima *Libido* jam olim Hispanias in durissimam septem seculorum conjecerat servitutem ; cum *Rodericus Rex Cavam Iuliani Comitis filiam* virginem, quam neque gratia flectere, neque blanditiis fallere, neque

que minis frangere poterat, invitam atque reluctantem vitiasset. Julianus enim a filia acceptæ injuriæ sensu in furorem acta animatus, ut contumeliam suæ familiæ illatam vindicaret, legiones Arabum ac Muhametanorum ab oris Africæ in Hispaniam accersivit, & ultionem privatam cum Regis interitu, Patriæ proditione, & jugo peregrino, quod sub Ferdinando postremo vix tandem excussum est, nefando scelere conjunxit; unaque crudelis magister tunc docuit, illa signa miseræ fortunæ nuncia Roderico Regi Toleti haut frustra apparuisse. Nam erat Toleti palatium, a multorum Regum temporibus perpetim clausum, validisque vectibus & ferro munitum: atque tenebat fama, reseratum id excidio Hispaniæ futurum. Quod cum Rodericus rideret, thesauros occuli ratus, seras contra omnium voluntatem perfringendas curavit. Sed thesauri nulli, cæterum arca reperta, & in ea linteum: in quo explicato insolentes hominum facies vestesque depictæ, atque ipsi militari habitu & impetu grassantes; nempe delineati erant Arabes capita vittis tegentes, vestibus versicoloribus amicti, gladios & jacula vibrantes, vexillaque in altum extensa gerentes; cum hac Latina inscriptione: *Cum continget seras frangi, palatium atque arcam aperiri, & quæ in ea sunt videri; tunc scito gentes ejusmodi Hispanias invasuras, suoque dominio submissuras.* Quid plura? fides factis facta. Et, ut dixi, Julianus Comes, cujus filiam Rex stupraverat, ex Africa hostes indu-

Mariana de reb. Hisp. l. 6. c. 21 &c. Ren. de Lusinga de Imp. incr. l. 1. c. 3. n. 5.

A. Ch. 1492.

Rod. Tolet. rer. H. l. 3. c. 17. Mariana d. l. Lips. M. Pol. l. 1. c. 5. Ot. Heurn. Barb. Phil. l. 2.

inducit, Regem occidit, patriam perdit. Ac ne nimis antiquis inhæream; nuper *Antonius Prior Cratensis*, cum in Regno Portugalliæ, post tot acceptas clades, publice non amplius esset tutus; in mediis tamen calamitatibus nondum lasciviæ oblitus erat, & matronæ honestæ difficulter adversus ipsius libidinem se tuebantur. Hanc insatiabilem gentis salacitatem tum alia hodie ostendunt plurima, tum inprimis urbs *Valentia*, ubi Venus illicita tanta licentia dominatur, ut meretricia opera nusquam gentium sit honoratior, atque libido tam habitatione quam vestitu ac famulitio præ honestate habeat prærogativam. Quin per omnem Hispaniam vere πάνδημος est Venus, non minus quam olim celebrabatur apud Thebanos; præsertim in Lusitania; ubi credo monstrum esset κορίδιος sponsus. Et quod multorum flagitiorum instar est; multi, ut quæstum faciant e vernis natis, ancillas tanquam columbas alunt, quarum concubitu adeo non offenduntur, ut etiam admissariis gaudeant; cum partus ventri cedat, non vicino sacrificulo, aut nescio cui Æthiopi & captivo. Mendozæ Hispaniarum Regis ad Angliæ Reginam Legato, turpe esse opinanti, viros simul cum fœminis more Anglico in concionibus sacris permistos videri; Dalus magister libellorum urbane reposuit; *Turpe id quidem apud Hispanos, qui etiam in sacris locis cogitarent de explenda libidine; a qua procul absint Anglorum mentes.* Sed id Reginæ Aragoniæ Arrestum, quod illa inter duos con-

Conest. de P. & Cast. conj. l. 9.

Bot. in Rel. p. 1. l. 1.

Clenard. l. 1. Epist.

Bod. de Re. l. 5. c. 1.

M. Mont. l. 3. c. 5.

conjuges, altero alterius prodigam amorum frequentiam incusante, veluti legitimum & necessarium noctium moderamen protulit, sine stupore non cogito, sine pudore non lego, sine rubore in hoc illustrissimo conventu referre non possim: digna Regina Hercule marito, qui Thespii Regis Bœotiæ undequinquaginta filias una nocte compressisse scribitur. Cum stupenda ista Veneris lascivia non importune, & quidem tuo, *Rudolfe Maximiliane Dux Saxoniæ*, exemplo, jungo *Aleæ* petulantiam: quæ si apud ullam gentem vehemens est, certe apud Hispanos longe est acerrima & imperiosissima. Non impugno, quæ in aleatores Gallos dixisti libere: sed scire debes, hunc animi morbum non esse proprie Gallicum, sed plerosque alios populos eodem communi malo attineri. Hanc aspice Germaniam: in ea hodieque calet alea passim: nec otiosis tantum juvenibus, sed & depontanis senibus, qui potius Psalterium nocturna diurnaque manu versare, & adversus imminentis fati metum divino precum clypeo pectus perpetuo communire debebant, ad vanissimas tesserarum jactationes flagitiosa diligentia assiduis & frequentibus. Specta & Italiam: tota fervet. Et o furorem! Hominum memoria fuêre, qui *dentibus & superciliis* lusisse visi sunt. Et *Venetus* fuit, qui in *uxorem* suam luserat. Imo etiam inventus est, in quo tanta ludendi appetitio & vesana cupido ac voluptas fuit, *ut moriens* (quasi parum fuerit, in vita lusisse) *testamento religiose cave-*

N. Cō. Myt. l. 7. c. 1 ex Pausan. in Bœot.

Vide Pasq. Iust. de Alea. l. 1 pas.

caverit, ut detracta cadaveri suo cute, ossibusq; omnibus exemptis, ex his tessera fierent, ex illa vero membranisque omnibus mensa, alveolus, fritillusque, quanta fieri posset solertia, contegerentur. Nimirum ut, quod vivus libentissime factitabat, mortuus etiam, quantum posset, obiret. Et quis est, præsertim *hoc aureo seculo*, qui parenti vel amico, etiam in capitis periculo, numerata in pecunia ut subveniat, cum totam divendere domum suam non possit, tectum ut vendat, in animum inducat? Atqui id *Mediolanensis* quidam, in pecuniam ut luderet, fecit. Cum enim domus illi rustica quædam, nec angusta esset, eamque propter loci solitudinem & soli sterilitatem, in quo sita erat, emere tum nemo vellet; *tegulas* divendidit, domumque miser pluviis & ventis perviam reliquit. Sedenim Hispanos præ aliis populis proclives esse, & præcipiti impetu ferri in aleam; vel hinc patescit. Hispanias longe lateque lustranti sæpe hoc solet contingere, ut cum multis locis nihil eorum, quæ ad victum faciunt, non panem, non vinum, invenire possit, tamen nunquam castellum aut vicum ullum adeo abjectum & obscurum transeat, in quo non *chartulæ* veneant. Quod quidam in Aula regia advertens non parvi nominis & industrius mercator, summa cura parique studio ab Imperatore Carolo V contendebat, ut nemini præter se toto decennio tabulas lusorias in Hispaniis distrahere licitum esset. Quo privilegio ita prædives deinde factus est ille, ut cæteros ibi mercatores opi-

bus

bus ac potentia facile superarit. Et quam pauci sint Hispanorum, qui lucri spe toto pectore aleam non anhelent, Barcino, quæ Hispaniæ Tarraconensis est metropolis, testari potest: ubi cum aliquando in magna remigum raritate, oborta necessitate triremes subito parandæ atque instruendæ essent, tunc mediocri tantum ex publico in aleam subjecta pecunia, hac dicta lege, ut quoties duo ludiones fortunam periclitari vellent, victor quidem semper pecuniolam propositam lucraretur, & liber abiret, victus autem in remigum numerum referretur; brevi tempore idoneus remigum delectus habitus est. Memini etiam, ante hos sexaginta annos, cum *Cardinalis Poggius* apud Hispaniarum Regem Philippum Pontificiæ legationis munere fungeretur, permultos aleatores Hispanos fuisse, qui propter nimias ludi sponsiones & sortes, damnique magnitudinem, ac certam si persisterent perditionem, jurisjurandi religione sanctissime se obstrinxerant, nunquam deinceps in alea se lusuros esse; nihilominus paulo post contempta fractaque fide & violata religione, magna etiam numerata pro diplomate pecunia iteratæ impietatis & spretæ religionis veniam a legato petitum venisse: alios autem, eosque satis multos, quibus religio & votum conscientiam fortius obligaverant; cum in contrarium tamen ingenti desiderio & summa animi impotentia truderentur, tandem non exiguo persoluto pretio fidei & religionis gratiam a legato, qui ludionibus aliud pium munus,

persi-

perfidiæ pallium, injungebat, obtinuisse. Quis vero tales homines, qui credula spe stultaque fiducia elati insatiabili cupiditate tesseras aut talos jaciunt, chartulas sortiuntur, denique quosvis ludos, qui temeritate & casu constant, incredibili studio dies noctesque anheli ita persequuntur; quis tales, inquam, in perditorum & flagitiosorum ordinem non referat? Alea, ut est patrimonii scopulus; ita, si recte rem examinare velimus, quid est aliud aleam jacere, quam furari velle, & invito domino rem auferre? ut propterea etiam Aristoteles aleatores cum furibus & latronibus conjunxerit. Et Hispani pulchre sua lingua aleatorem *tahur*, quasi *hurta*, id est, furem vocant. Et commode hic ad indomitam Hispanorum aliena invadendi & expilandi libidinem sermonem verto: cui abominabili portento ingens aliorum vitiorum agmen supparasitatur. Hispanos *fures* esse, tralatitium est: adeoque in manifesto furto deprehensos *Dios & sanctos quatuor Evangelios* perfide dejerare; id vere Hispanicum est. Cujus quidem tam detestabilis furatrinæ strophas nunquam ego nisi summa cum animi indignatione reputo; nec repeto memoria, ut non statim multo sim æquior tum illis sobriis *Lacedæmoniis*, apud quos jus atque usus furandi olim fuerat, non ob turpia lucra, neque ad sumtum libidini præbendum comparandamve opulentiam; sed pro exercitio disciplinaque rei bellicæ; quod & furandi solertia & assuetudo acueret firmaretque animos adolescentium

H.Thomas Leod.Ann. l. 6. de vita Frid. 2. El. Pal.

A.Gel.N.A. l. 11. c. 18.

Dd & ad

& ad insidiarum astus, & ad vigilandi tolerantiam, & ad obrependi celeritatem: tum quoque priscis illis *Ægyptiis*, quos artem factitavisse clepticam, & ibi nomina sua deditos huic studio discipulos dedisse πρὸς τὸν ἀρχιφῶρα, sive apud *archifurem* aut principem furum, narratio est elegans Diodori Siculi. Cæsar Carolus V multis proceribus Hispanis comitatus aliquando tabernam præterequitans, ante quam multi Germani milites stantes, sedentes, hilariter bibebant, commonstratis aliquot, cuidam ex comitibus ait; *Annon Germani hi, ut & plerique alii, singulari corporis atque animi robore præstare tibi videntur?* Hoc nemo negare potest, reponit Hispanus: unum tamen mihi vehementer displicet, quod immodice vinum hauriunt. *Et hoc verum est*, inquit Imperator: *Sed an tu nescis, quibus vitiis Hispani laborent? Vt enim illi vini, ita hi alieni sunt avidi: Germanis vini usum circumscribere, idem erit, ac si Hispanis interdicere velim, ne* FVRENTVR. Et quantopere furandi prædandique pruritu exagitentur, cum alibi sæpissime, tum præcipue in Gerbis Insulæ deditione inclaruit. Nam cum prædæ cupiditate & improba spe omnia Gerbensium bona jam devorassent; intellecto, inter insulæ Dynastam & Regem Philppum II transactum esse, illi multum frementes præ ira galeas & arma huc illuc projiciebant; inter quos unus repertus est nomine *Ogulnius*, qui bolum e faucibus eripi tam iniquo animo tulerat, ut rabie incitante sibi gulam laqueo fregerit. Minuta tamen

Diod. Sicu. l.1. Th. Marcil. ad LL. XII. Tabb. c. 85.

Ens. Epid. lib. 2.

A. Ch. 1560.

Th. H. l.26.

tamen ſunt talia, & fere furunculis illis propria, qui in compedibus aut furcis ſpectantur: Hiſpani adhuc ſpirant altius, & furtorum rapinarumque magnitudine ita proficiunt, ut univerſo terrarum orbi ceſſionem bonorum (ſed minime ex lege Iulia) imperare, ſimulque compedes & furcas nunc minitari videantur. Magni fures, & imperiorum Harpyiæ; qui ubi ubi locorum ſemel irrepſerint, ad ſummam ſemper potentiam artibus cunctis intendunt; atque de domino acquirendo & retinendo, quam de fide & integritate præſtanda longe curatius & operoſius elaborant.

A. Gentil. de jure bel. l. 1. c. 14.

Armati terram exercent, ſemperq; recentes
convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Virg.

Nupera eſt gentis potentia, & intra ſexaginta annos, aut præter propter, formidabilis facta eſt & finitimis & longinquis: & primum ſub *Ferdinando* Aragonio, Caroli V & Ferdinandi I Imperatorum avo, paulatim ſeneſcente Gallorum fortuna, Hiſpanicum nomen adolevit; ut merito dici poſſit, *ubi Galli deſierunt, ibi rerum potiri Hiſpanos incepiſſe.* Iſte quidem *Ferdinandus Catholicus*, qui omnibus fere ſuis cupiditatibus honeſtum Religionis velamentum obtexebat, cunctas belli rationes fœderumque jura, vel cum pudenda mutatæ fidei labe & gravi ſociorum injuria, ad commodum ſuum referre ſolitus eſt. O infamiam ſeculi! O ſocietatis humanæ parricidium! Principibus convenit, & vox eſt majeſtate regnantium digniſſima: *Semel locutus ſum:*

Th. H. l. 1.

F. Guicciar. H. l. 12.

P. Iovius H. l. 11. & 16.

Decius Cõſil. 186. n. 8.

quod ſcripſi, ſcripſi: unus calamus, una lingua: immobilis ut lapis angularis, & ut polus in cœlo: ſed
Al. Gentil. de jure bel. l. 3. c. 14. Ferdinandi Aragonii & calamus & lingua fuerunt duplices; animo Regio ad ſimilitudinem parietum extrinſecus ornato, intus fide vacuo. Cum Carolo VIII Galliarum Rege, expeditionem in regnum Neapolitanum meditante, certis ille conditionibus fœdus vix pepigerat; & mox id cavillatus, ſubmiſit in auxilium Aragoniis patruelibus Ferdinandum Conſalvum Cordubenſem, qui poſtea *Magni ducis* nomen meruit; ipſemet autem cum infeſto exercitu contra fidem datam in Septimaniam deſcendit; poſtremoque rebus proſpere a Conſalvo in Calabria & Apulia geſtis, conciliataque ſibi uti rebatur populorum illorum benevolentia, repente alienato a patrue-
Th. H l. 1. libus animo conſilium mutavit, & cum Ludovico XII, qui Carolo in regnum ſucceſſerat, clam novum fœdus percuſſit de regno Neapolitano occupando, his conditionibus; ut inter ipſos divideretur, & Neapolis Regni caput, Campania, Samnium Gallo cederet; Hiſpano Apulia & Calabria. Atque ut augeret perfidiam Ferdinandus; Fridericum Regem, qui Conſalvum cum exercitu ex Hiſpania venientem, & ſe adverſus Gallorum molitiones Friderico regnique ejus ſaluti conſulturum affirmantem, benigne exceperat, omni imperio ſpoliavit; ſed & Conſalvus Ferdinandum Calabriæ Ducem, Friderici Regis filium, in arce Tarentina obſeſſum, & ad deditionem libertate abeundi quo vellet ſolenni

jure-

jurejurando promissa compulsum, sub custodia, novum Ferdinandi Regis imperium caussatus, perfide in Hispaniam misit. Tandem etiam ob vectigal, quod ad fines Samnii in Apulia ex quadrupedum transitu colligitur, inter socios exorto dissidio; Consalvus rejectis quoque conditionibus de concordia inter Ludovicum XII & Philippum Ferdinandi generum sacramento firmatis, Gallos totius regni possessione ingenti perfidiæ Ferdinandi lucro dejecit, & sic Hispanorum res hactenus dubias in posterum stabilivit. Consalvus tamen tantorum meritorum præmium hoc tulit; ut Ferdinandus Neapolim appellens primum ei exercitum, dein loca præsidiis munita ademerit, post in Hispaniam abduxerit, & denique vana magisterii Equitum ordinis Compostellani promissione turpiter ludificatum, sine ullo publico honore floridam senectutem otiose transmittere coegerit. Eadem quoque perfidiæ machina & Navarræ regnum cepit Ferdinandus: cum Julius II Pont. Max. Reges Galliæ & Navarræ proscripsisset. Etenim cum Henrico VIII Anglorum Rege in Aquitaniam impetum facturus, cum ad id bellum per Navarræ regnum proficisci necesse haberet, Joanne Labretano Rege propter amicitiam cum Gallo intercedentem negante transitum, inde statim occasionem rapuit Navarræ regnum, cui jam pridem inhiabat, occupandi. Et quia legitimo titulo destituebatur, censuram Papalem obtendit, qua fieri dictitabat, ut quos Papa hostes habe-

Mach. disp. de Rep. l. 1. c. 29. Iov. in vita M. Cõsalvi, l. 3.

Th. H. l. 1. Io. de Serres in Lud. XII. L. Richeome en la Plainte Apol. pour les Iesuites.

ret, eos bello prosequi teneretur; atque ita ditiones a Pontifice proscriptæ cederent primo occupanti. Hi sunt novi juris tituli, novi modi, novæ artes, quibus Hispani ad imperium orbis terrarum grassari conantur. Quid nunc de *Novi Orbis* inventione dicam? Imo de inventione Novi Orbis nihil dicam. Facessant enim hinc somnia Hispanorum, inventionem Orbis Novi (si novum esse potest, quod plurima ante secula fuit antiquum & vetus) sibi magna cum aliorum injuria impudenter arrogantium. Et quidem cum Indiæ duplici hodie laudentur nomine; aliæ ad solis ortum, aliæ ad occasum; illæ probatorum monumentis historicorum ita sunt celebres, ut helleboro is habeat opus purgando cerebro, qui contradicere velit. Nam Plinius recitat, Hannonem Carthaginensium ducem a freto Gibilterræ ad finem Arabiæ circumvectum, navigationem eam prodidisse scripto. Quod si ita est, uti esse credo, Hannon tantum spatii emensus est in mari, quantum Lusitani emetiuntur hodie, bis Æquinoctialem transmittendo. Malaccam etiam, quæ priscis Aurea Chersonesus fuit, & magnam illam insulam Sumatram, tantopere antiquo Taprobanæ nomine decantatam, in libris invenire difficile non est. Neque duplicem illam Æthiopiam, diffusam & populosam Chinam, Philosophos Brachmanes huc repetam: quorum memoria omnem disputationem elidit. Indiæ vero Occidentales Platonem non latuerunt. Dum enim Atlantidem insulam Asia & Africa amplio-

Plin. H. N. l. 2. c. 67.

Ios Acosta. H Nat. Ind. l. 1. c. 11.

In Timæo & Critia.

pliorem ad fauces Gaditani freti locat: quæ longe lateque introrsum scilicet pateret, & ex qua esset ἐπιβατὸν ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους, ἐκ δὲ τῶν νήσων ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον, τὴν περὶ τὸν ἀληθινὸν ἐκεῖνον πόντον: hoc est: *gradus transitusq; ad alias insulas; iterumq; ex istis ad oppositam continentem, adjacentem mari, quod vero nomine appellamus*: quid aliud hisce innuit, quam prægrandem illam Atlantidem statim ab Hispania fuisse, ubi nunc reliquiæ (nam illuvione periit) & velut fragmenta tot illa insularum sunt; Canariarum nempe, Fortunatarum, & aliarum, oræ Africæ se se affricantium: & ex illa transiri potuisse in insulas; eas nimirum, quæ nunc etiam præjacent continenti; quas ergo? Cubam, Hispaniolam, & plures: inde vero in continentem ipsam; quam? in Peruanum vastum tractum, vel in vastiorem Mexicanum, trajectum patuisse. Et nonne Avitus Declamator Americam respexit, cum diceret; *fertiles in Oceano jacere terras, ultraq; Oceanum rursus alia litora,* ALIUM NASCI ORBEM? Illud minus dubium, & fidum magis, quod Hispani scribunt, *in valle, quæ Cautem dicitur, in Chili provincia, oppidum esse, quod Imperiale ab hac causa nominant; quoniam in plerisque domibus & portis repererunt Aquilas bicipites formatas; ut hodie videmus in Romani Imperii signis.* Vnde vero istæ bicipites Aquilæ, nisi ab Europæis? Et corroborat valide fidem; quod nulla in iis locis avis biceps, quam potuerint adumbrare. Sed quid in profanis testimo-

Lips. Phys. Sto. l. 2. D. 19. adde I. Gorop. Bec. in Hisp. l. 7. & I. Acost. H. Nat. Ind. lib. 1 c. 11. & 12.

Senec. Suasor. 1.

Lips. d. l.

ſtimoniis immoror; cum ſacris abundemus, quæ in dubium vocari non poſſint? Sane neq; Strabo, neq; Mela, neq; Stephanus, neq; Solinus, neq; Ptolemæus, & nullus deniq; ex Græcis Latiniſve autoribus aliquid edidit, quod, quale quale tandem id ſit, comparari queat cum iis, quæ de terra *Ophir* in Moſe, in libris Regum, & Paralipomenon, diſertis ſunt deſcripta verbis. Et Paralipomenon ſcriptor non ſolum locum, ubi claſſis Salomonis ædificata fuit, *Aſiongaber* vocat; navigationis tempus & moram, triennium annotat; res quoque Indianas; illud apud Davidem, Salomonem, Iſaiam, Eccleſiaſticum, & iſtis omnibus antiquiorem, Jobum Armenium hominem, percelebre *aurum Ophirium*, argentum, gemmas, ligna thyna, ebur, ſimias, & alia, exquiſite enumerat: verum etiam regionem opum illarum matrem jam tum *Parvaim*, ſive Peruviam appellatam fuiſſe, aperte ſignificat. Non tamen præterire hic poſſum: Joſephum, & ductu hujus tam Græcos quam Latinos interpretes, ad unum omnes, Aſiongaber ad mare Erythræum collocaviſſe. Quod ſi detur, vix videatur veriſimile, claſſem Salomonis decurſo ſinu Arabico inde, poſthabitis Orientis auriferis regionibus, totaque fere Africa circumnavigata, per Atlanticum Oceanum in Americam vela feciſſe. Sed errant illi. Cum enim Aſiongaber ſita ſit circa *Elut* in Idumæa ad oram maris *Suph*; & conſtet ex Strabone atque Ptolemæo, Geographorum principibus, Idumæam ad mare mediterraneum

Ben. Arias Mont. in Præf. ad Phaleg.

2. Paralip, c. 8. v. 17.

perti-

pertinere, ac inter illam & Erythræum interjacere arenosum mare & vastissimam solitudinem: sequitur certe, in sacris Pandectis mare Suph multoties ab interpretibus ad Erythræum perperam contorqueri, & Salomonis Asiongaber esse ipsissima castra Chabriæ, quæ Strabo & Ptolemæus in Idumæorum finibus ad sinum Pelusiacum posuerunt. Et cui hæc nondum sufficiunt, is expendat præterea, *Hiramum*, Regem Tyri, (quæ urbs ad mediterraneum sedet mare) *per manus servorum suorum naves, & nautas maris gnaros misisse in Asiongaber*, qui classem Salomonis comitarentur in Ophir. Non autem credibile est, Hirami servos, antequam se cum classe Salomonica conjungere potuerint, totum mare Mediterraneum, Atlanticum, Æthiopicum, Rubrum, & Sinum Arabicum pererrasse; aut ex Tyro ad Erythræum mare naves volatiles per juga & præcipitia montium, agrorumque & desertorum longe patentissimam planitiem, velificante Æolo, adduxisse. Exploratum insuper, (a) iter *in Ophir & in Tharsis* pro eodem sumi in sacris literis: ut & hoc manifestum est, Jonam a facie Domini fugitivum descendisse Joppen, ibique navem in Tharsis euntem conscendisse. Jam si Joppen alibi, quam in mari Mediterraneo quis inquirat; dignus sit, qui Londini Anglorum, in ædibus Nazaræis, curæ Medicorum committatur. Illic enim Angli furiosos quartadecima luna verberibus cædunt furoris cohercendi causa: *quia adflictio tribuat intellectum*. Verum illa de

Gorop. Hispan. lib. 5.

Paralip. l. 2. c. 8. v. 18.

(a) Ex. l. 3. Reg. c. 10. vers. 11. collato cũ v. 22. & ex c. 22. v. 49. ib. collato cũ l. 2. Paral. c. 20. v. 36.

Bod. in Th. Nat. l. 5. & de Rep. l. 5. c. 1.

nov-antiqui inventione orbis disputatione relicta, quid dicemus de Hispanorum jure, quo *Indis* bellum, & servitutem, & omnem tyrannidem intulerunt? Sulimanus Turcarum Sultanus infitiari solebat, Carolum V Augustum esse Imperatorem Romanorum, quod se belli jure successorem Constantini Magni diceret, qui æque Occidentis atque Orientis fuisset Imperator: & stulta jactantia effutiebat; *Romam jure ad Imperium Ottomannicum pertinere, quod a Constantino in præjudicium successorum fuisset alienata*: Vt & Selimes, Sulimani filius, eundem juris colorem contra Venetos in Cyprio bello prætulit, quasi Cyprum illi nullo jure possiderent, & ea ob successionem gentis Osmanidarum in jura Sultanorum Ægypti ad se directo spectaret. Sed anne melior Hispanorum in bello Indico prætextus? An forte concessio Apostolica Alexandri VI Pont. Max. jus facit? Atqui ne Princeps quidem, qui tamen imperio possidet omnia, singulorum dominium & proprietatem intervertere potest: tantum abest, ut Petrus, aut qui se Petri successorem nominat, cum tamen boni Petri habeat nihil, *Papa*, contra Dei, naturæ & gentium jus, in Indos sibi potestatem arrogare, aut aliis concedere possit. Et *Attabaliba Rex Peruviæ*, ipso Papa melior, & juris prudentior, *Papam insigniter fatuum & impudentem esse oportere* dixit; *quod is aliena tam liberaliter largiretur*. An autem Religionis Christianæ propagatio justus est titulus? At Christus nullam novam condidit

Leunclav. Pand. Hist. Turc. c. 225. P. Iov. Hist. l. 30.

Soranz. in Ottoman. c. 57.

Leuncl. in sup Annal. Turc.

Benzo in H. N. O. l. 3. c. 3.

Cov. Reg. Pcc. §. 10. A. Gent. de ju. bel. l. 1. c. 9. & 25.

dit legem, qua liberi populi, vel ob paganam superstitionem, vel ob Evangelii rejectionem fierent mancipia: nemo Apostolorum ex prædicatione Rex factus est: Paulo Evangelium Romanis annuncianti Cæsar Imperium non cessit. Christus dixit Apostolis: *Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: Hispani suis Apostolis dicunt; *Ite in omnes auri & argenti divites regiones, & Papæ Romani religionem, & Catholici Regis imperium prædicate; omnes populos pecudum instar servitiis addicite, vendite, mactate.* Marc. c. 16.
Tale enim Hispani, ut primum in aliquam urbem aut locum apud Indos venerunt, proponebant edictum: *Cacici & Indiani hujus loci, vobis omnibus notum facimus, unum esse Deum, unum Papam, & unum Regem Castellæ, qui harum rerum est dominus: statim accedite, & autoramentum lege clientelæ inite.* Atqui credere, infideles non esse rerum suarum dominos, hæreticum est. An fortassis Indiæ nullius fuerunt in bonis? At nec Motezuma Mexicum, nec Attabaliba Peruviam, nec alii ulli Principes suas ditiones & provincias habuerunt pro derelictis. Aut an satis est, appulisse ad loca prius sibi incognita, ac talis appulsus est inventio, & inventio talis pro jure omni est? Quod si converso fatorum ordine ex obscurissima barbaria prædonum examen, de quibus ne fando quidem a nemine uno in Christiano orbe auditum erat unquam, ex insperato ac rapida quasi tempestate delatum irrueret in Hispaniam, & subactis plerisque provinciis pos-
B. Casa.
H. Grot. de mari l. c. 2.

sessi-

ſeſſionem hanc optimo maximo jure niti contenderet, addita ratione, quod ex natione ſua primi ipſi acceſſerint & intraverint Hiſpaniam; an erit ex cunctis Hiſpaniarum populis unus aliquis civis tam inſignite ſtolidus, aut tam omnis humanitatis hoſtis, qui hujuſcemodi invaſionem probaturus, talemve acquirendi modum inter juſtos ac jure gentium permiſſos habiturus ſit? Quid igitur? Antigonus, cum ei libellus de juſtitia a Philoſopho quodam offerretur, *Stolidum illum eſſe hominem ajebat; qui ſibi alienas urbes tum vaſtanti, diſceptationes de juſtitia ſcriberet.* Et Pompejus Magnus Mamertinis privilegia quædam obtendentibus; *Non deſinetis*, opponebat, *gladio nobis accinctis laudare leges?* Tale omnino eſt jus Hiſpanorum in Indos; *grande latrocinium eſt.* Iccirco illi interrogati, *cur poßideant?* cum prædone apud Vlpianum hoc tantum reſpondere poſſunt; *quia poßidemus*: aut cum barbaro Tiridate illud; *id in ſumma fortuna æquius, quod validius: & ſua retinere, privatæ domus; de alienis certare, regiam laudem eſſe.* Ac ſicuti Romani olim regiones illas ne tentabant quidem, ex quibus nihil ſperari poterat commodi: ſic hodie Hiſpanorum unicus ſcopus in omnibus expeditionibus eſt, *aurum*; quod exinde Indi *Chriſtianorum* DEUM vocant. Propterea *Hathuejus* quidam Dynaſta, qui Hiſpanorum ſævitiam fugiens ex Hiſpaniola in Cubam tranſierat, cum etiam huc adventare illos percepiſſet, ſuis omnibus convocatis eos naturam & mores Hiſpanorum ſic edo-

A. Gentil. de jur. bell. l. 1 c. 1. ex Plut.

l. 12. ff. de hær. pet.

Tac. Ann. l. 15.

Benzo Hiſt. N. orb. l. 2. cap. 18.

edocebat: *Quoddam*, ait, *adorant avarum numen, cujus cultui ut ſatisfacere poſſint, a nobis multa poſcunt, & hoc unum agunt, ut nobis libertatem & vitam eripiant*: & mox accepta, quam juxta ſe habebat, capſula, auro mundoque referta, his verbis uſus eſt: *Iſte eſt Hiſpanorum* DEUS; *in ejus honorem Arcytos* (eſt chorearum genus) *celebremus: qui ita placatus Hiſpanis mandabit, ne ulla nos moleſtia afficiant.* Inſatiabilis gens, & auri ſemper cupida, nunquam ſatura. Poſt Darium & Indos pauper eſt Alexander Macedo; quærit, quod ſuum faciat, ſcrutatur maria ignota, in Oceanum claſſes mittit novas; &, ut ita dicam, mundi clauſtra perrumpit: ita poſt Motezumam & Attabalibam, & utraſque Indias egent Hiſpani; & poſt omnia, adhuc plura concupiſcent. Atque, ut fons *Ferventia*, qui hodieque viſitur octo leucis a Conimbrica, quicquid aquis injectum fuerit, abſorbet: cujus rei factum periculum ſe præſente adſerit apud Johannem Vaſæum Henricus Cardinalis & Princeps coram Johanne Rege Luſitaniæ, & cæteris fratribus regiis, cum in arborum truncis & ramis, tum in jumento, quod fonti admotum pede paulatim abſorberi cœptum, ægre tandem ab famulis extractum eſt: aut ut famelicus canis miſſa a domino fruſta panis aut carnis aperto ore captat; & quicquid excipit, protinus integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat: ſic Hiſpani, quicquid illis fortuna projecerit, id inſaturabili ſtatim cupiditate glutiunt, ſemper ad rapinam alterius erecti & atten-

B. Caſa de crud. Hiſp. in Ind.

Plin. H. N. l. 2. c. 102. & Dalech in not. Mer. Coſin. p. 2. l. 2. c. 7.

attenti. Et o quanta Indorum miſeria! hominum ſimplicium, fidelium, innocentium, pacificorum: quibus perfidi illi Cerberi tanta crudelitate incumbunt, ut bona iſti omnia, etiam corpus & animam, precaria poſſideant. *Vros*, ſunt populus in America; qui cum interrogarentur aliquando, cujates eſſent? reſponderunt, *Vros ſe, non vero homines eſſe*. Quod ſi vero jam in hanc crudelitatis Hiſpanicæ contemplationem defixus ego de Hiſpanis interroger, prompte etiam reſpondebo; *Illos Hiſpanos tantum, non vero homines eſſe*; id eſt, illos certum quoddam beſtiarum genus eſſe, quod externa forma homines ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum referat; ſed malitia & omnibus ſceleribus Tartareos artifices longe vincat. Nos Germani exſecramur, & non immerito, manes illius Phalaridis & Syllæ Hiſpanici, illius *Ducis Albani*, monſtri piacularibus ſacris luſtrandi, qui cum capitali odio perſequeretur Germanos omnes, in Belgio tamen fere nihil reliqui fecit ad immanitatem & ſævitiam; ubi conculcata antiqua gentis libertate civitatibus ſuperbe & crudeliter impoſitione arcium, quas vocare ſolebat *Caſtigavellacos*, inequitabat; florem Nobilitatis infami gladio demetebat; multa millia miſerorum civium (& erat hæc ſtolida tyranni, in patriam per Germanorum fines remeantis, apud Ludovicum Konigſtenium Comitem, Arauſionenſis avunculum, cui in aula Caroli Cæſaris cum Albano amicitia fuerat, jactantia; *decem & octo*

Ioſ. Acoſt. H.N. Ind. l. 2. c. 6.

ucto se hæreticorum ac rebellium millia carnificis manu sustulisse, exemptis, quos bellum hausisset) flammis, crucibus, aquis, omnibusque pœnarum exemplis perdebat; urbes in deditionem acceptas prædæ exponebat, rapinis exinanibat, cædibus exterminabat; denique talem prorsus se gerebat, ut nullum societatis humanæ commercium cum hominibus huic importuno prodigio intercedere videretur: quibus tandem eo ventum est, ut Belgæ coacti viribus invictæ necessitatis, quam jura divina atque humana legibus solutam esse consentiunt, cum spiritum incolumem servare, hanc lucis usuram oculis haurire, precariam animam retinere aliter non possent, extremam defensionem, quam ratio doctis, mos gentibus, & natura ipsa brutis animantibus præscribit, animosissime susceperint; atque imperium Regi, quod nemo quisquam alias sine crimine læsæ majestatis ausus esset optare, juste abrogarint, seque suo Marte in libertatem vindicarint; causam armorum & magna parte Christianarum gentium approbante, & Deo ipso tam manifesto favore, tam admirandis successibus prosequente; ut unitarum provinciarum status cum qualibet Repub. vel principatu, copiis, opibus, gloria, potentia, fœderibus, omnique rerum cumulo, quæ ad magnitudinem faciunt, certare hodie possit; sicque maximus ille dominator Philippus, tot populis ac regnis late imperans, ut vix eorum titulis recensendis memoria ipsius sufficiat, flore sui patrimonii devolutus sit sine spe recuperandi, & jam

Prin. Araus. in Apol. ad prosc Hisp. R. Ev. Reid. Ann. l. 1. D. Baud. de induc. belli Belgi, l. 2.

jam cum suis olim subditis æquo jure pacisci non adspernetur. Quanquam Philippus Rex pater sævum & inmansuetum Albani ingenium non probavit: in quem, postquam is Belgio vastato spoliatoque potius quam devicto aut pacato in Hispaniam redierat; pertinax odium ostendebat. Et observarunt Lusitani, mortuo Albano Philippum postridie in publicum prodiisse Missæ audiendæ causa, nec ullam præ se tristitiam tulisse, contra morem Regum Lusitaniæ; qui ob mortem hominum, multo inferioris conditionis, si de regno bene meriti essent, a publico aliquot dies abstinere consuevissent; nonnullis id quoque narrantibus, *Regem Emanuelem per integrum triduum non prodiisse propter obitum præstantis naucleri.* Verum quantacunque ista Albani in Belgas, quantaecunque aliorum tyrannorum alibi fuerit crudelitas; præ illa tamen Hispanorum in Indos exercita immanitate lusus & jocus esse videtur, quicquid alibi audimus, aut legimus. *Bartholomæus Casa* Chiappæ præsul, a sacris Caroli V confessionibus, privatim primo, dein & publice petiit, ut occupato bellis Europæ Cæsare miserorum, interea Indorum ratio haberetur: & diligenti ab ipso perquisitione facta constitit; *in una Hispaniola*, quæ insula Angliæ regno paulo minor, IↃccc *hominum millia inaudita novorum hospitum* (Hispanorum) *barbarie misere paucorum annorum spatio extincta esse*: quo factum, ut viri indigenæ Hispanica sævitia in desperationem acti, ex compacto deinceps a concubitu natu-

Thuan. H. l. 55. & 75.

Conest. de P. & Cast. conj. l. 9.

Th. H. l. 34.

naturali cum uxoribus abstinuerint, ne liberos sub Hispanorum potestate futuros generarent; atque ita tractu temporis tam frequens populo locus ad solitudinem sit redactus. Et si aliorum quoque rationibus præbemus fidem: *quadraginta quinque annis*; & quod paullum excedit, variis & portentosis carnificinis, *plusquam ducenties centena millia Indorum sustulerunt Hispani: spatio terrarum ad solitudinem redacto, quod decimo tanto sit tota Hispania majus.* Cohorresco, Auditores, vel ad numeri tantum hujus pene innumeri immensitatem; nedum ad feralem tot florentissimorum imperiorum immemorabilibus cruciatibus & homicidiis exhaustorum memoriam: parumque abest, dum ad ingenitam nationi nostræ mansuetudinem ea, quæ sic referuntur a fidis alias scriptoribus, compono; quin fabulis aut calumniis adscribam: quæ tamen verissima esse credere cogor, si tot immanes expopulationum modos cogitavero. Quot enim myriades Indorum *in deferendis hinc inde oneribus* duntaxat occubuerunt? Nam quod apud nos asini, equi, & boves, ferunt, trahunt, vehunt: illud omne in America misellis Indis ferendum, trahendum, vehendum incumbit: illi Hispanos in pensilibus vehiculis, aut lectis in modum retis confectis ferre; illi omnia instrumenta, omnia impedimenta; onera singuli sæpe *centum & octuaginta librarum*, sæpe per iter *centum & ducentarum leucarum* transportare necesse habent: ita infelices illi homines, cum humani generis summa inju-

B. Casa. Apol. P. Aut. ad Profet. R. Hisp.

ria, iſtis ſemi-Mauris Iberis, omnium mortalium maxime inflatis & inſolentibus, ſunt aſini, equi & boves; imo ſunt aſinis, equis & bobus non parum viliores. Equidem unus aliquis Jucatani Præfectus nequam, ſic æſtimabat Indos: *Elegantem puerum aut virginem cum minimo dolio vini, olei, aceti, vel porco ſalſo permutabat. & accidit, ut quidam puer, qui Principis filius videbatur, pro caſeo; & centum perſonæ pro equo darentur. & in Panucone pro uno jumento dati ſunt octingenti Indiani; tot homines pro una beſtia.* Quot vero myriades miſellorum *piſcatus unionum* hauſit? Nam & in maris profundum deſcendere compelluntur Indi, & conchas ibi de rupibus, quibus adhæreſcunt, decerpere; & ſic collecto onere id ſupra aquam in naviculas efferre. Ac tametſi mare illis in locis ſit frigidiſſimum; infauſtos tamen piſcatores ſæpe per horæ quadrantem, & interdum ſemihoram, ſub aqua anhelitum ſpirituſque reciprocationem ſupprimere oportet; cui neceſſitati ut pareant facilius, illis Hiſpani cibos ſiccos, eoſque avariſſime diſtribuere ſolent. At quot Indorum millia *canibus* ceſſerunt *in eſcam?* Hiſpani enim truculentos alunt moloſſos, ita edoctos, ut Indos continuo aſſiliant & diſcerpant: atque eos, quocunque proficiſcuntur, itineris comites aſſumunt; unaque multos Indos catenis vinctos, quos ad iſtorum victum, tanquam carnis humanæ lanii mactant immiſericorditer; ſæpius uno alterum ita compellante: *Da mihi fruſtum carnis vellaci* (hoc contumelioſo nomine

Acoſt. Hiſt. N. Ind. l. 4. c. 15.

B. Caſa.

mine vocant Indos) *pro pastu canum meorum; quod si ex meis unum occidero, id tibi restituam.* Sunt alii, a quibus ex venatione domum reversis audire est: *Felix fuit venatio; mei canes quindecim vel viginti vellacos interemerunt.* Et fuit venator talis, indignus qui nominetur, qui cum inter venandum canes esurire nollet, infantulum ex amplexu matris corripuit, & confestim brachiis ac cruribus abscissis sigillatim unicuique canum particulam; qua devorata, trunci postea corporis reliquias simul objecit universis. Hanc Tartaream autem gentis immanitatem adeo nonnunquam etiam canes ipsi aversabantur, ut alienæ truculentiæ ministerio fungi non sustinuerint. *Didaco* namque *Salazari* canis erat acer, & Indis inprimis infestus, nomine *Bezerrillus*: quem ille adversus Indicam anum emittere constituerat. Id ut faceret commodius, epistolam tradit vetulæ perferendam ad Gubernatorem; qui duobus inde forte milliaribus aberat; sed eo consilio, ut simul atque a suorum conspectu discessisset, canem in eam solveret. Ea cum læta abiret; sperans se hujus epistolæ beneficio libertatem consecuturam, vixque lapidis jactu abesset; Salazar canem emittit. Iste vetulam facile assequitur. Sed misera anus, ubi molossum furibundum ad se recta tendere videt, humi residens, eum vernaculæ suæ linguæ verbis in hanc sententiam mulcere incipit: *Domine canis, domine canis: ego fero istas literas ad Gubernatorem*; obsignatam epistolam ei ostendens, & addens; *Ne sævias in*

Ovied. Hist. Ind. l. 16. c. 11. Urb. Calveto in not. ad Benz. l. 3. c. 5.

Ee 2 mi

me domine canis. Hic canis, velut ſupplices illas & abjectas preces ſenſiſſet, protinus mitigato impetu ſubſiſtit; & ſublato altero crure, ut canes ad parietem ſolent, eam perminxit. Ea res Hiſpanis, qui ferociam beſtiæ noverant, miraculo fuit; puduitque ipſos fœminam interficere, cui canis pepercisset. Quo vero, Auditores mei, quo nomine appellabimus Hiſpanos hoſce? An improbos? Atqui jampridem improbiſſimi reperiebantur. Num malitioſos, fraudulentos? Jam id quidem arrogant ſibi, ac præclarum exiſtimant. Crudeles, cupidos, perfidioſos? Vulgaria & obſoleta hæc ſunt. Valde ego vereor, ut ne vel gravioribus utar verbis, quam natura fert mea, vel mitioribus, quam Ibericarum iſtarum tigridum immanitas poſtulat. Profecto facta tam ſceleſta, tam atrocia, tam nefaria credi vix poſſunt. Magna enim vis eſt humanitatis, multum valent communia totius humani generis vincula, charitas fideſque. Reclamitat natura ipſa, portentumque certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie & figura populum, nedum Chriſtianum, qui tantum feritate beſtias vicerit, ut nulla famis rabie, nulla alia ultima neceſſitate (quæ tamen nec ipſa male impieque faciendi habet privilegium) actus, ſed ultro ſæviat in humaniſſimos atque innocentiſſimos mortalium, eoſque per ſummam injuriam exſpoliatos bonis omnibus, per inſatiabilem tyrannidem penitus exutos omni imperio poteſtateque, ad extremum miſeros adhibita omni carnificina mactet tanquam

quam pecora, & mactatorum carnes vilissimis canibus ad pastum & ingluviem objiciat vorandas. Pro nefas execrabile, ac dum hominum genus erit, abominabile futurum! Sed ex innumerabilibus Hispanicæ diritatis exemplis paucula ista, Auditores, hic proponere volui, nec alio fine, quam in templis malos genios solemus, ad fugiendum & abhorrendum. Illa autem Hispanorum atrocitas Peruvianis absurdam & plane horrendam de Christiano nomine opinionem, & ad religionis nostræ sanctissimæ dedecus pertinentem, impressit: qua credunt, Christianos non DEI filios, sed ne ita quidem in lucem editos esse, ut alias nasci homines solent. Quippe fieri non posse, ut tam ferox & truculentum animal ab ullo homine generetur: vulgoque ferunt, *Christianos ex spuma maris concretos venisse in terras ad perdendum mundum.* Nempe ita inter se ratiocinantur: *Venti domus prosternunt, arbores frangunt, ignis eadem urit; sed isti Viracochiæ* (ita nominant Christianos, quasi maris spumas) *omnia devorant; terram invertunt, vim fluminibus adferunt; neque ullum tempus remittunt, modo huc, modo illuc vagantur, aurum & argentum quærentes; inventum alea consumunt, bella gerunt, latrocinantur, blasphemant,* DEUM *ejurant abnegantq;, verum nunquam loquuntur, & nos ditionibus ac fortunis nostris exspoliant*: denique mare diris insectantur Indi, quod tam sævam & immanem sobolem in terram immiserit. Quare etiam Caribes & vicini populi, qui carnibus vescuntur humanis, ab Hispanorum

Benzo Hist novi Orb. l. 3. c. 21.

cadaveribus abhorrent; verentes, ne tum quoque eæ carnes corporibus suis aliquid damni adferant. Quamvis alii etiam Hispanos esui satis aptos esse negent; quod sint duriori & exsucca carne, nisi trucidati tres aut quatuor dies prius macerentur. *Hathuei Cacici* odium in Hispanos memorabile est: ille, cum istos metu mortis & servitutis fugeret, tandem captus, & ad rogum damnatus est, sed palo jam affixus, & a quodam Monacho Franciscano de Christianæ religionis capitibus verba faciente monitus, futurum, si crederet, ut mox æternæ beatitudinis præmiis; sin minus, æternæ damnationis suppliciis afficiatur: postquam cogitabundus hæsit aliquandiu, Monachum interrogat; *Num etiam Hispanis regnum cælorum pateret?* & illo affirmante, *Bonis patere*: sine longiori deliberatione, *Cælum se nolle petere*, dixit, *sed potius inferos; ne sibi domicilium cum gente crudeli commune esset.* Quod si jam quis ex me quærat; quid igitur publice profuerit illa Hispanorum in Novum Orbem profectio, & in tot ignotas regiones propagatum imperium? vix habeo, quod dicam: sin, quid publice obfuerit? abunde habeo, quod dicam. Nam præter omnia, quæ dixi, & præter variolarum morbum, qui in America ob cæli solique conditionem prope exitialis est, Hispani eo importarunt omnia flagitia & vitia; & docuerunt in disciplinam acceptos Indos temere jurare, sacrum DEI nomen blasphemiis proscindere, aleari, furari, mentiri, scortari, sicas vibrare; & alia multa peccata, naturæ

Benzo Hist. N. Orb. l. 1. c. 23.

B. Casa.

T. Zvving. Meth. Apo. l. 1. c. 5.

turæ eorum comi, rectæ, ac simplici repugnantia. In Europam vero secum reportarunt, non solum horribilem illam luem Veneream, sive *morbum Gallicum*, (hoc etenim nomine in Gallorum injuriam passim insignitur: uti & hodierni Græculi dicunt φραντζάζειν, hoc est, die Frantzosen haben: eundemque morbum Genuenses *lo malo de le Tavelle*, Tusci *lo male de le Bulle*, Lombardi *lo male de le Brosule*, & Hispani *las Buas* vulgo appellant) quem postea Hispani Neapoli a Gallis obsessi Punica fraude prolataverunt, formosissimis scortis, quibus inficeretur exercitus Gallicus, clam de urbe missis: quod malum dein Medicis multum attulit boni; Hieronymo Capivaccio citra jactantiam asseverante, *e Gallicæ luis curatione, ultra octodecim millia coronatorum se lucratum fuisse*: verum etiam impertiverunt Europæis aurum Peruvianum Hispani: neque hoc tamen sine ingenti maximoque Reipublicæ detrimento; cum *duplices pistoleti* ab eo tempore candidam simplicitatem & germanam integritatem non paucorum corruperint. Idcirco Poeta Gallus eleganter & vere:

I. Meurs. in Gloss. Græco. b.

Io. de Vigo. l. 5. pract. Chir.

A. Gent de ju. belli l. 2. c. 6. C. Fallop. de mor. Gall. c. 1.

H. Cap. de luc Ven. c. ult.

Par toy superbe Espagne, & l'or des tes doublons,
Toute la pauure France insensez nous troublons:
Et si de tes doublons, qui causent tant de troubles,
Il ne nous reste rien a la fin que des doubles.

le Cathol. d'Espagne

Et alius non minus apposite:

Les François simplets paravant
Sont par doublons devenus doubles;
Et les doublons tournez en vent,

Ou bien en cuyure & rouges doubles.

Demosthe. Phil. 3. Isocrat. in Paneg. Plut. in Themist.

Artinius Asiaticus e Media aurum in Peloponnesum olim attulerat, Græcos corrumpendi sollicitandique causa; ab Atheniensibus propterea, pro totius Græciæ salute excubantibus, hostis judicatus. Vtinam vero nostro hoc seculo vel nulli essent Artinii, vel saltem vigiles fortesque Athenienses nobis non deessent! Vt autem damnosas illas exoticas merces graviori aliqua nova injuria adaugerent Hispani, ab Indorum commercio omnes alias gentes contra jus gentium maligne arcent: *Bernardino Mendoza*, Philippi II in Anglia Oratore, homine non plus militari, quam bellis Belgicis quæsierat, laude, quam in ciendis apud Principes, ad quos diverterat, turbis solertia præpollente, dum res a Fr. Draco raptas vehementi cum expostulatione repetebat, conqueri auso, *quod Angli per Indicum Oceanum, quod solis Hispanis liceat, impune navigarent.* At

l. 5. ff. de just. & jure. l. 4. ff. de div. rer.

Virg. l. 1. Aë.

quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
permittit patria? Hospitio prohibemur arenæ.

H Grotius in Diss. de mari l. c. 1.

Nonne ille, quem Deus terris circumfudit, Oceanus, undique & undique versus navigabilis, & ventorum stati aut extraordinarii flatus, nec ab eadem semper, sed ab omni alia regione aliquando spirantes; nonne, significant satis, concessum a natura cunctis gentibus ad cunctas aditum? Et nonne Elisabetha Angliæ regina Mendozæ querimonias prudenter & fortiter dispu-

pulit? cum verissime assereret, non intelligere se, cur aut sui aut aliorum Principum subditi in Indias navigare prohibeantur, quas Hispanici juris esse ex Pontificis donatione, aut quia Hispani primi ad eas appulerint, casulas posuerint, flumen aut promontorium de *ducis* aut *diei* nomine appellaverint, persuadere sibi non possit: quippe cum Papa judex inter partes non vocatis cæteris Principibus aut consentientibus constitui nequierit; nullaque sit illius in hujusmodi causis prærogativa, nedum autoritas, ut Principes obliget, qui nullum ei obsequium nec deferunt nec debent: proinde talem rei alienæ donationem, quæ nullum jus tribuit, atque adeo imaginariam proprietatem, obstare non debere, quo minus alii Principes commercia in illis semotis regionibus exerceant, & colonias, ubi Hispani non habitant, jure gentium nequaquam violato, deducant; &, cum ut aeris sic maris usus sit omnibus communis, per vastum illum Oceanum libere evagentur: siquidem in his rebus *tantum* intelligatur *præscriptum* esse, *quantum* sit *possessum*. Ius igitur asserendum naturæ est contra iniquissimum & absurdissimum usurpatum monopolium Hispanorum: qui nisi potenter probent usurpationem, regula pro omnibus erit, *licere quaquaversum maria navigare, & commercia habere cum omnibus*. Audiamus igitur interim, & audeamus tenere regulam, & *navigare*. Quid hoc tantum? Nonne vero etiam omnium gentium interest, unius illius gentis

Cambden. Ann. Angl. A.Ch 1580. Th.H.l.71.

Alb.Gentil. de un. Reg. Brit.

injustitiam puniri ? Nonne securitas publica hoc postulat, immensæ illius potentiæ & fastus fundamenta subrui ? Profecto nisi illa communis omnium salus, communis juris patrocinium publice suscipiat ; licentia Hispanica serpet latius, & Europa propediem universa in unius Iberi Regis nutum deveniet, aut omnino cadet;

Alb. Gent. de jur. bell. l. 1. c. 14.

Auson.

ut medium si quis vellat de fornice saxum,
incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
cætera.

Cambden. Ann. Angl. A. Ch. 1588.

Neminem unum tunc amicitiæ fœdera, neminem quemquam solennes officiorum denunciationes, toties a personatis exploratoribus repetitæ, a vi majori tuebuntur. Et Jacobus magnæ Britanniæ, tunc Scotiæ tantum Rex, cum ab Elisabetha Angla moneretur, ut sibi ab Hispanica classe & a Scotis Pontificiis provide caveret, recte imo & argutissime dixit : *Se non aliud ab Hispano beneficium expectare, quam quod Vlyssi Polyphemus promiserat ; scilicet, ut, cæteris devoratis, postremus deglutiretur.* Quanquam cur Hispanorum vires magnopere reformidemus, causam justam habemus nullam. Domi equidem Rex illorum potens non est : quem etiam Portugalli ideo in ultimo bello tanti non faciebant ; cum dicerent, illum propter regionis sterilitatem nec numerosos exercitus alere posse, nec propter urbes & oppida minime omnium munita militem externum accersere audere. Et Antonius Prior Cratensis recuperandi Portugalliæ regni summam posuerat spem in inveterato Lusitano-

Conclt. de Port. & Cast. conj. l. 1. & 4.

rum

rum in Castellanos odio; quod ad mutuam populorum sanguine, lingua, & provincia conjunctorum perniciem, in dies vehementius ardebat, ac contumaciter furebat. Nam paulo antea duo impostores, quorum uterque, sed diversis temporibus, Sebastianum Regem se finxerat (alter autem agnitus ad remos damnatus fuit, alter in prælio occubuit,) tam suaviter aspirantem popularis gratiæ Favonium experiebantur, ut ingens ad eos hominum concursus fieret: incesseratque multos opinio, si eorum alter septingentis, quos secum trahebat, viris, recta Olissiponem, caput urbium petiisset, regni fuisse potiturum. Et constat, fuisse e summatibus Lusitaniæ Comitem quendam, qui Olissipone per id tempus agitans, jecerit, *Certum sibi, impostorem hanc esse; nihilominus, si in urbem veniret, se ut non primum, ita nec novissimum fore, qui adeptum ei fastigium grataretur.* In tantum exacerbati sunt animi Lusitanorum Hispanico jugo, ut nec fraudatoris imperium subire pensi ducerent. Vnde tamen conjecturam facere promptum, quanto majora pro Antonio tantis favoribus nixo præstituri fuissent. Certe *Gonsalus Menesius*, mercator Olissiponensis, cui vicies centena coronatorum millia in bonis erant, XII millia militum sustentare promittebat, sed hac lege, ut ipsemet numeraret stipendia, & subacta Lusitania ab Antonio creditum reciperet. Verum id honoris invidit ei Didacus Boteillus, aliique e nobilitate Lusitanica, queis mercatores despectui, & Judæis

Everard. Reid. Ann. lib. 12.

dæis pares æſtimantur. Jamque increpitabant, tanquam vi adacturi, ut pecunias ſuas Antonio crederet. Quo metu concuſſus Gonſalus gemmas ac monilia collegit, & quicquid parati habebat æris, trajectis nominibus, Conſtantinopolim tranſtulit; eodemque ipſe clam commigravit. Eadem fere tempeſtate *Solpoſtus*, agreſtis homo, ultionis cupidine ardens, quippe cujus conjugi, ipſomet ad palum religato adſpectante, Hiſpani milites ſtuprum intulerant, adverſus omnem Hiſpaniam privato impendio bellum orſus eſt: ad quem ferro flammaque in obvios quoſque Hiſpanos (popularibus enim Luſitanis nihil ab eo incommodi.) graſſantem, protinus ingens numerus gentilium confluxit. Sed ille nulli confidens, ſub veſperum quietis cauſa abdita petebat loca; modo in antris & ſpecubus ſubterraneis, modo apud Luſitanos ruſticos latitans, quibus hoſpes gratiſſimus aderat. Cætera nuſquam ſtabilis, paſſim cædibus & incendiis terribilis; & a locis, quæ pridie vaſtarat, XX ſæpe aut XXX millium itinere dimotus, tantæque celeritatis in mutanda ſede, ut idem metus & propinquos & longiſſime diſſitos involueret; ac pecuniam vehentes Hiſpani neceſſario quadringenti faciundi itineris cauſa convenirent. Ea re motus Philippus Rex proponit præmium coronatorum millia centum, qui vivum peremptumve tradidiſſet. At Solpoſtus inſidiis doliſque Ibericis cautiſſime evitatis, tantas brevi res geſſerat, ut eum Antonius, ſpe amiſſa recipiendi,

E. Reidan. Annal. l. 2.

ad

ad ſe evocaret, exercitui præpoſiturus. Cum autem extra Luſitaniam inutilem operam ſuam fore reputaret Solpoſtus, denunciabat Antonio, ſe in Luſitania adventum ejus expectaturum, interea pro exiguis facultatibus ſuis vexaturum Hiſpanos: & ſimul acceſſiſſet Antonius, daturum arma militibus mille, ſtipendium ſemeſtre univerſo exercitui. Afflixit Luſitanus hic ruſticus ſexennium Hiſpanos: exinde viſus non eſt; dubium, an Hiſpanicis ſpoliis & multa ex copia vindictæ ſatur otium quæſierit, an fato abreptus ſuo. Sunt vero multa alia in viſceribus Hiſpaniæ hærentia graviſſima mala; quæ impotentiam imperii arguunt, aut ſaltem potentiæ tam inviſæ ruinam accelerare videntur. Non diu eſt, cum Luſitani ita conquererentur: *cum Sebaſtiano Rege regnaſſe temeritatem, cum Henrico Rege ignorantiam cum judicii inopia conjunctam, cum Gubernatoribus confuſionem, cum Antonio notho injuſtitiam*: ſed eadem hodie in tota Hiſpania agitur fabula, perſonis tantum immutatis. Reditus nec impenſis, nec opinioni aliorum reſpondent: portoria immoderata, & exactiones immenſæ, populum flagellant; atque ad imprecationes, vociferationes, turbas & rebelliones excitant: juſtitia & totius Reip. adminiſtratio in paucorum adfectibus repoſita vix ſpiritum ducit. Eques Aragonius in aulam Philippi II venerat negotii ſui cauſa; ibi diu a domeſticis & conſiliariis Regis deluſus, tandem Regi ipſi petitionem ſuam in genua provolutus exponebat,

Coneſt. l. 5.

Coneſt. l. 1.

Ens. Ep. lx.

nebat; quo omnia denegante, supplex ejusdem genua exosculatus, gratiisque humiliter actis, alacris surgebat: *At tu*, inquit Rex, *scias*, *nihil eorum quæ petiisti futurum*: *Eam ipsam ob causam*, excipiebat Eques, *gratias tibi*, *Rex optime*, *habeo*, *quod uno hoc verbo sexcenta ministrorum tuorum*, *unum ex alio causantium*, *mendacia refutasti*: *quod si initio audiissem*, *equidem & multorum mensium solicitudine cariturus*, *& sumptibus non exiguis parsurus eram*. Sic & Magnates Hispani, & universus populus jam quoque regnum *Ducis Lermæ*, qui Regem regit solus, graviter ferunt; idque carminibus, dicteriis, notis, mordaciter redarguunt; quodam literas ad Regem mittere auso, cum hac superscriptione: *Regi Philippo III, hoc tempore Lermæ Duci a servitis.* Inde vero non verus & sincerus amor subditorum est erga Regem: sed fictus & coactus, in apertum odium erupturus, ubi primum potuerit. Quemadmodum enim olim Romani inferis, morbis, & multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupiebant, publice fana constituerunt, timore, non amore istos DEOS faciente: sic plerique populi subjecti hodie Hispanicum Imperium colunt & reverentur. Et quid hoc aliud est, nisi personatæ felicitatis, fortunæ fugientis, & splendidæ paupertatis, imo etiam flagitiosissimæ justitiæ ac fraudis Hispanicæ insigne testimonium? Quod ergo? Philippus II Belgico bello, ad quod damnosis sumptibus opus erat, implicatus, ex ea occasione in-

P. Matth. in hist. H. IV, l. 2. n. 2.

Plin. H. N. l. 2. c. 7. Al. ab Al. Gen. dier. l. 1. c. 13. Pot. Rev. in l'aneg. ad Fr. Reg.

gen-

genteis ſummas a Genuenſibus, & præcipue a Nobilium ordine emunxit: pro quibus ingenteis pariter uſuras penſitabat, deſtinatis ad eas exolvendas primariis Indiarum & Hiſpaniæ vectigalibus. Th.H.l.61. Cum vero in putandis uſurarum rationibus erratum eſſe, & calculi errorem corrigi debere contenderet, ut ſi majores, quam deberentur, uſuræ perſolutæ eſſent, eæ in ſortem imputarentur; interim penſiones eis aſſignatas decreto ſub id tempus in Hiſpania publicato ubique revocavit. Qua re non ſolum Genuæ, ſed Romæ, Venetiis, Mediolani, Lugduni, Rotomagi, Antuerpiæ, & pleriſque in Germania locis, omnes argentariam exercentium rationes labefactatæ ſunt, parumque abfuit, quin menſarii paſſim creditoribus ſuis decoxerint. Poſt quadriennium tandem conventum; ut rationes novæ quidem denuo non inirentur, ſed ita ſortis principalis uſuræ deinceps contraherentur, ut quæ prius *quaſi ſeptunces* erant, hoc eſt, pro C unciis, VII cum tertia paulo minus pariebant, in poſterum *quaſi trientes* eſſent, hoc eſt, IV unciæ tantum cum tertia parte quotannis exolverentur. Sed & hoc Genuenſibus a Philippo tunc conceſſum: ut creditoribus ſuis, qui cum Philippo minime contraxiſſent, in diſſolvendo ære alieno, quod ab ipſis ut Philippo crederent ſumpſiſſe ſe ajebant, eadem ratione ſatisfacerent. Quod iniquiſſimum per ſe decretum non ſolum Genuenſium, ſed aliorum Italorum, atque adeo ſparſim toto orbe inſtitorum rationes conturbavit, ac multos ex iis omni-

omnino bonis evertit. Ita ſcilicet Peruvicæ auri venæ jam tunc defecerant, ut ad ſcelerum ac fraudum fodinas, quibus nunquam eget Hiſpania; cuncta conſilia & ſtudia convertere oportuerit. At, niſi me omnia fallunt, totum Hiſpaniæ corpus nunc jam præcipitat ad interitum: Caput enim *Caſtellæ* nudum & calvum, nulliſq; arcibus munitum, non habet; quo ſe tuto reclinet: cereus naſus *Portugalliæ* vel leviſſimam turbarum ſcintillam non patitur: oculi *Aragoniæ* pravis humoribus repleti ex privilegiorum amiſſione lippiunt: brachia *Navarræ* gangræna laborant, a nullis, niſi Gallicis chirurgis perſananda: venter *Peruviæ* & omnium *Indiarum*, ex inteſtinorum exulceratione & ſanguinolenta excretione infandis doloribus torminibuſque exercetur: coxæ *Italiæ* iſchiade infeſtantur ſæviſſime: pedes autem *Belgii* jam ſectiones & uſtiones perpeſſi adhuc ſeveriorem medicinam, ſi non expectant; certe timent. Quid? quod Hiſpani etiam non ita *bellicoſi* ſunt, uti alii putant, & ipſi de ſe glorioſe declamare non erubeſcunt. Nam, ſi ad prima illorum incunabula reſpiciamus, comperiemus omnem eorum gloriam mari Mediterraneo, & Oceano, clauſtriſque Pyrenæis concluſam fuiſſe; potiuſque patuiſſe exteris invadentibus; quam quicquam memorabile extra fines ſuos geſſiſſe. Hodie vero, licet & inter illos ſint fortiſſimi, & ſtrenui; tamen ii rari & pauci ſunt: & Carolus V cum plurimos habuit, plures VII cIↄ peditum, & Iↄccc equitibus in caſtris habu-

Le Soldat François.

Th. H. l. i. Bignon. de la France. l. 2.

Th. H. l. 51.

habuit nunquam: cæteri fere ſunt armorum rudes; & præcipue Luſitani. Ita enim eſt ingenium hujus nationis, ut inexperti pericula non viſa quam audacter contemnunt, tam viliter viſa expaveſcant. Id quod in ſupremo bello Africano potiſſimum ſingulari exemplo comprobaverunt: cum plebs iſti militiæ deſtinata, ſed adhucdum valde inepta, crebro quidem Oliſſipone quaſi ad pugnam inſtruenda educeretur, ſed ridicula prorſus ratione; quippe nullo campidoctore aut tribuno bellis experto, ſed *Ioanne* quodam *Gama* iis præeunte, qui eremitæ habitu tirones, ipſemet belli rudis, arma tractare, agmina ordinare, & concurrere edocebat: Sebaſtiano Rege non ſolum inter ſclopetorum diſploſiones plerunq; haud citra diſcrimen verſante ac diſcurrente; verum etiam mari ſæpe ſe committente, maxime cœlo procelloſo, (nam ſereno, ignavi eſſe ducebat) ita, ut pericula, quæ ſapientiores vitanda cenſent, quæreret; & in exitium ſponte ruere cunctis videretur. Tandem decreta profectione, Luſitani de armis ſecuri, tantumque de magnifico cultu ſoliciti, veſteis ſumptuoſas comparare, quaſi non ad bellum, ſed ad nuptias & pompas proficiſcerentur; etiam patrio veſtitu abjecto Caſtellenſem aſſumere; & quaſi jam parta victoria de triumpho adornando cogitare. Itaque videre erat veſteis, equos, tentoria, lectos, ac cætera impedimenta holoſerico & auro argentoque, interdum & gemmis ad exquiſitum luxum exornata, ut potius haſtiludii, quam ſe-

Th. H. l. 65. & 78. Cõeſtág. paſſim.

rii certaminis apparatus rerum peritioribus viderentur, qui cum occulto doloris morsu infausta ex eo omnia præsagiebant. Mœsta vero etiam classis in discessu ubique facies, & nemo ridere visus fuit, cunctis tristi silentio defixis; cum vulgo contra evenire soleat, ut qui ad ejusmodi expeditiones ducuntur, per lasciviam lætos clamores ingeminent. Jam in Africa erat Sebastianus, cum Franciscus Aldana ad eum venit, galeam & paludamentum, quibus Imp. Carolus V olim indutus Tunetem victrici pompa ingressus fuerat, cum literis ab Albano adferens: quibus muneribus acceptis ad insaniam exultabat Sebastianus, pares triumfos sibi in Fessæ & Marochi, quæ primariæ duorum regnorum urbes sunt, ingressu, atque adeo totius Africæ imperium spondens: Sed o vanas spes! o lubrica & incerta vota! Non longe post heu! infelix pugnæ alea tentatur: & quid multis? Christiani undique circumventi quasi pecudes a Mauris miserando omnino spectaculo inter carros, equos, suorum occursus, æstu, labore, & ictibus pereuntes promiscue cæduntur; tribus eodem prælio regibus extinctis; *Sebastiano*, qui a centurione repetitis vulneribus confossus est, *Mahamete*, qui fugiens in Mucazeni vado nimia festinatione submersus periit, & *Melico*, qui gravi febri jactatus cum suos retrocedere indignaretur, lectica egressus ut præsentia sua injecto pudore fugam suorum sisteret, vix precibus a familiaribus revocatus, & præ ira compresso spiritu pene ex equo

situ-

titubans cecidit, indeque in lecticam denuo illatus, & adductis repagulis, ac prius monitis qui circa eum erant, ut mortem suam celarent, admoto ori digito animam efflavit; vir fortitudine, prudentia, æquitate, industria, & liberalitate, &, qui in Africanis ingeniis rarus est, candore insignis, & ab iis vitiis, quæ detestanda licentia inter sectæ illius homines regnant, alienissimus, & alioqui, si belli causam demas, Christianis non infestus. Ex Christianis pauci admodum elapsi sunt: ex iisque VIII cIↃ occisi, totidem capti; quorum liberatione Mauri postea non exiguam pecuniæ vim coegerunt. Nam cum Lusitani ad incommoda perferenda minime omnium assuefacti, & captivitatis sint mire impatientes; ea causa etiam apud Mauros semper pluris sunt, quam alii; quia se redimunt & carius & facilius. Neque vero nobis aliter de cæteris Hispanis judicandi ansam præbere debent, illorum nomini tot celebres adscriptæ victoriæ. Quicquid enim nos alii periclitati, quicquid victi sumus, quicquid amisimus, id tot nationum ita conjunctarum viribus; id Germanis, Gallis, Italis, Hungaris, Anglis, non Hispano robori aut solertiæ est imputandum. Et, si diligenter calculus ineatur, ubicunque fere infeliciter pugnavimus, vix Hispani quartam exercitus hostilis partem efficiebant. Bellum autem, sive laniena potius, qua in Indos grassati sunt Hispani, ne umbram quidem fortitudinis habet. Indi enim non illorum virtute, armis, tormentis,

Conest. de Port & Cast. con. l. 2.

Th. H. l. 51.

Cam H. M. cent 2. c. 61. ex P Martyre. Benz in H. N. Orb l. 2. c. 12.

hastis, gladiis, aut ballistis, sed ferocia & furore equorum (quos animalia carnivora & sæva existimabant, & conspectis illis veluti attoniti exanimabantur) victi sunt: imo quo equi penetrare non poterant, ibi Hispanos semper vicerunt. Quod ipsum Eques quidam Hispanus optime intellexisse videtur: qui ad Argeriam Imp. Carolo V militans, cum forte Maurorum globus Hispanorum turmam funderet, & Ferdinandus Cortesius (qui regnum Mexicanum sub jugum misit) fugientes clamore sistere, & ad vim hostilem repellendam animare conaretur, Cortesium interpellans; *Belluæ isthæc*, inquit, *putat sibi rem esse cum suis Indis, quorum viginti quinque millibus fundendis decem equites suffecerint.* Hispanos cæteroquin *fœminas barbatas* esse; nonne Lusitani, imbelles licet, in Algibarotana pugna clarissime demonstraverunt, qua victis Castellensibus *una furnaria septem Castellenseis pala sua occidisse* traditur? Nonne vero Galli idipsum jam sæpe fecerunt toti orbi notum? Quid Philippus II non conatus est, ut florentissimum Galliarum regnum redigeret in cineres? Flumina sanguinis per mediam Galliam ducebat; cadaverum montes extruebat; flagitiosum *Ligæ* monstrum insolita magnificentia alebat; regni Proceres contra legitimum Regem armabat, Lutetiam (*qu'il appelloit sa ville de Paris*) Hispanico præsidio frenabat: & quid non? Nihilominus fugatus est, pulsus est, rejectus est e Gallia: & quidem Narbonenses ad debitum Regi suo obsequium redeuntes odio factionis Hispa-

Benz. in H. N. Orb. l. I. cap. 24.

Th. H. l. 70.

P. Matth. H. H. IV. l. I. n. 4.

Hispanicæ effigiem Regis Hispaniarum in flammas missam & semiustulatam in aquam projecerunt. In inferiori Germania autem Hispanorum fortitudo sic eviluit, ut passim ac propalam sit despicatui. Obstupescet, qui quadraginta retro annis accisas Belgarum opes cognoverit, & horrendas Reip. procellas, grandines, ac tempestates examinaverit, & viderit, illos tamen in hanc felicitatem enavigasse: admirabitur, Hispanos tot ingentes exercitus, & nobilissimas provincias amisisse, CXX *auri millionum* (Scioppius de *ducentis millionibus auri* loquitur: & alius, qui civilium apud Belgas bellorum causas & progressus scripsit, ad hosce *ducentos* amplius addit *milliones quadraginta.*) impensam fecisse; & demum in ipsum Hollandiæ meditullium pacem delatum ultro venisse: contra vero Fœderatos omnibus modis inferiores, justa tantum ira & desperatione erectos, pro patria & libertate arma cum laude magna sumpsisse, majori gessisse, maxima posuisse: & quod magis mirandum atque fere supra fidem, cum cæteri populi bellis exhauriantur, *solos Belgas ex bellis opulentiores & ditiores factos esse*, ita quidem, ut ex tot Indicis interceptis aureis messibus Belgicus Leo, qua patet, prope omnis *ducatis* consterni possit, interim ærea de Belgicis cacabis procusa pecunia in Hispaniam, in locum auri argentique captivi submissa. Et ut cum piratis & vagabundis orbis raptoribus iterum in Africam excurrat hæc oratio: *Guleta*

Meurs. de induc. Bel.

in Ecclesiastico, c. 39.

Cambden. Ann. Angl. A.Ch. 1587.

 ibi

ibi nonne publicum & permansurum est Hispanicæ ignaviæ monumentum? Præerat arci longe munitissimæ *Petrus Carrera*: qui priusquam Turcica classis duce *Sinane Bassa*, viro astuto reique militaris peritissimo adpulisset, quingentos milites veteranos Italos admittere noluit: quod minime concessurum se diceret, ut in ejus gloriæ partem venirent Itali, quam Hispani defendenda Guleta consecuturi essent. Sed o nullam gloriam! O infamiam speratæ gloriæ succedaneam! Sinan enim Bassa brevi tempore fastosum Carreræ pectus exarmavit, Guletam ipsam expugnavit, ibique præter aliam prædam potitus est *quingentis machinis bellicis*, cum ingenti tormentarii pulveris aliarumque bello necessariarum rerum & annonæ copia; adeoque mira virtutis & fortunæ sibi famulantium gratia eum tenuit victoriarum cursum, *ut Hispani prorsus ejecti fuerint ex Africa intra trigesimum & sextum diem*, amissis per summam ignaviam iis locis, quæ Carolus V Augustus in potestatem optimo consilio redegerat, ut securitati Siciliæ, Regni Neapolitani, totiusque tum Italiæ, tum Hispaniæ consuleret. Equidem apud ipsos Turcos ex fide dignis hominibus accepit testis locupletissimus *Ioann. Leunclavius*, Carreram fuisse virum omnino ignavum & timidum, qui pulveris tormentarii nidorem ferre non posset, nec fulmina diplosarum machinarum; ipso quippe, quoties istæ in hostem exonerabantur, subterraneis se testudinibus concameratisque locis abdente, bombaceque aures obturan-

Leuncl. in suppl. Ann. Turc. Th. H. l. 58.

A. Ch. 1574.

tante. Vt primum autem de hoc prospero Africanæ Turcorum expeditionis successu Romam allatum est, sine mora dicterium *Pasquilli* nomine sparsum; quo Guletæ & regni Tunetani amissi culpa in *Podagram* Suessani Ducis; in Joannis Austrii *Sphæristerium*, sive negligentiam; in Cardinalis Granvellani Neapolitani Vicarii *subligar*, sive libidines, rejiciebatur. Eant nunc, eant Iberi illi Thrasones, illi Pyrgopolinices, illi Therapontigoni Platagidoni; illi Polymachæroplacides Anthomenides; & solita insolentia in posterum dictitent amplius: *Vnum Hispanum quatuor Germanis, tribus Gallis, & duobus Italis valere.* Benz. H.N. Orb. l.2.c.2. Quòd si tamen adhuc fastus & potentiæ suæ alis Hispani altius evolare, & in aliorum populorum injuriam invidiose decantare non cessent; cœlum, terram, & oceanum ipsis ancillari; fortunam ante illorum vota & supra vota, id est, priusquam volunt, & plusquam volunt, liberaliter omnia elargiri: nihil agunt. Et nugas agebat Mendoza Legatus ad Gallorum Regem, frequenter crepans illud: *Dios es poderoso en el cielo, y el Rey d' Espaina en la tierra: Deus est potens in cœlis, & Rex Hispaniarum in terris.* P. Matth. H. H. IV. l. 4. n. 5. Et ludos faciebant illi Hispani, qui in prætorio S. Dominici, quæ urbs est Hispaniolæ, insignia Regis sui erexerunt, ita ub subjectus terrarum orbis spectaretur, supra quem Pegasus anterioribus pedibus extra projectis exiliebat, cum hac epigraphe, NON SUFFICIT ORBIS. Id certe ab Anglis, cum ducibus Fr. Draco & Christo-

Cambden. Ann. Angl. A. Ch. 1585. phoro Carlilo urbem caperent, irrisum & in argumentum infinitæ avaritiæ & ambitionis Hispanorum, quasi nihil sufficeret, arreptum est. Quinetiam ille, cui tum Orbis non suffecerat, post aliquot annos sarcophago fuit contentus; & ——————— *Rex ille Philippus*

D. Baud. in Heroic.

tot populis terrisq; potens lateq; tyrannus,
occidit a fœdo rosus grege vermiculorum,
carnificesq; suos miserando corpore pavit
vivens atque videns, & propria funera planxit.

Quod ipsum horribile mortis genus etsi ad naturales causas referri solet a medicorum filiis, tamen religiosius censeo, cum Ægyptiorum Magis, digitum Dei in tam notabili casu suppliciter venerari: præsertim cum antehac nullus excelsæ dignitatis Princeps interierit tali genere mortis, nisi qui vel sæviendo, vel divinos honores affectando humanitatem exuisset. Verum omnia illa, quæ vos tumidos, o Hispani, & supra humana elatos oblivisci cogunt vestræ fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis armati, quæ ex alieno sanguine rapta vestro & alieno defenditis; propter quæ quassatis urbes, ignari, quantum telorum in adversos fortuna comparet; propter quæ, ruptis toties adfinitatis, amicitiæ, collegii, & om[illegible] humanitatis fœderibus, terrarum orbem misce[illegible]; non sunt vestra: in depositi causa sunt, jan[illegible]amque ad alium dominum spectantia. Aut host[illegible]s illa, aut hostilis animi successor invadet. *La coda condanna spesso la volpe alla morte per esser troppo lunga.* Et

Senec. de Benefic. l. 6. c. 3.

quæ

quæ ſunt divitiæ; quas non egeſtas, & fames, & mendicitas a tergo ſequatur? Quæ dignitas; cujus non prætextam, & augurale, & lora patricia, comitentur ſordes, & deportatio, & notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio? Quod regnum eſt; cui non parata ſit ruina & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis iſta intervallis diviſa: ſed horæ ſæpe momentum tantum intereſt inter ſolium, & aliena genua. *Magnæ arbores diu creſcunt: una hora extirpantur.* Locuples es? ad Pompejum abi: qui cum tot flumina poſſideret in ſuo orientia & in ſuo cadentia, mendicavit ſtillicidia; fame ac ſiti periit in palatio cognati, dum iſte hæres illi publicum funus eſurienti locat. Honoribus ſummis functus es? Sejanum vide: quem eodem die, quo illum Senatus deduxerat, populus in fruſta diviſit: in quem quicquid congeri poterat, DEUS hominesque contulerant: ex eo tamen nihil ſuperfuit, quod carnifex unco traheret in Tiberim. Rex es? non ad Crœſum te mitto, regno & morti ſuæ ſuperſtitem: non ad Ptolemæum Africæ Regem, Armeniæ Mithridatem, inter Cajanas cuſtodias agentes: ſpecta mihi Valerianum Romanorum Imperatorem; quem cum Sapore (ſive *Schabur*; cognomento *Dhulaktaph.*) Perſarum Rege bellum gerentem, iſte victum uti catenarium mancipium circumduxit, equum conſcenſurus ejus inclinati cervicibus pedem impoſuit; & cui vivo tandem etiam pellem detraxit eo artificio, ut in modum utris

Seneca de Tranquill. animi, c.11.

Curt. lib 7.

Cuſp. in Valer. Agath. l. 4. de bel. Goth. W. Schikard. in Reg. Perſ.

inflari posset: specta Bajasitem I Turcarum Sultanum; qui a Temire captus, ferreæ caveæ inclusus & spe libertatis exclusus, cum audisset ad urbem Tatariæ Semercandam se abducendum, præ furore fremens ac frendens caput validis iteratisque ictibus caveæ allidendo indignantem animam evomuit. Quædam scilicet vini ebrietas; quædam etiam fortunæ est. Atque ut illa firmo etiam cerebro homines commovet, imbecillos omnino dimovet: ita ista quamlibet prudentes deludit, imprudentes plane dementat. Et ut meretrix neminem amat, dum amatores perpetuo mutat: ita & Fortuna,

Ann. Turc. Leuncl. in Pand. H. T. c. 65. ex. Th. Spandug.

Invida fatorum series: summisq; negatum stare diu.

Lucan. l. 1.

Et jam videor mihi videre Divini numinis justitiam in tribunal ascendentem, omnibusque angelis in purpura circumstantibus toti orbi Christiano ita de cœlo pronunciantem: *Illos Orbis raptores Iberos de imperio dejici, atque subito cunctis bonis exui, libertate multari, & catenis vinciri debere.* Ego vel imagine & fictione duntaxat spectaculi terreor, augustissime Præses; & cum Buchanano ex Lusitania in Galliam redeunte ita Hispaniam & Galliam, illam valere, istam salvere jubeo;

Iejuna misera tesqua Lusitania,
glebaque tantum fertiles penuria,
valete longum. At tu beata Gallia
salve, bonarum blanda nutrix artium,
cœlo salubri, fertili frugum solo,
umbrosa colles pampini molli coma,

peco-

pecorosa saltus, rigua valles fontibus,
prati virentis picta campos floribus,
velifera longis amnium decursibus,
piscosa stagnis, rivulis, lacubus, mari,
& hinc & illinc portuoso littore
Orbem receptans hospitem, atque Orbi tuas
opes vicißim non avara impertiens;
amœna villis, tuta muris, turribus
superba, tectis lauta, cultu splendida,
victu modesta, moribus non aspera,
sermone comis, patria gentium omnium
communis, animi fida, pace florida,
jucunda, facilis, Marte terrifico minax,
invicta, rebus non secundis insolens,
nec sorte dubia fracta, cultrix numinis
sincera, ritum in exterum non degener:
nescit calores lenis æstas torridos,
frangit rigores bruma flammis asperos,
non pestilentis pallet Austri spiritu
autumnus æquis temperatus flatibus,
non ver solutis amnium repagulis
inundat agros, & labores eluit:
ni patrio te amore diligam, & colam,
dum vivo; rursus non recuso visere
jejuna misera tesqua Lusitaniæ,
glebasque tantum fertiles penuria.

PRIN-

PRINCEPS
FRIDERICVS
ACHILLES, &c.
DIC TU
GEORGI, BARO
STVBENBERGI.

ORATIO
GEORGII
BARONIS STV-
BENBERGII,
pro
HISPANIA.


GO, ILLUSTRISSIME Princeps, cum inclyto fratre tuo *Magno*, pro Hispania censeo. Miror autem, quid tibi, *Baro Limpurgi*, venerit in mentem, ut tam acerbe in Hispaniam & Hispanos diceres. In Hispaniam abi, & in San-Laurentiano Escurialis palatio Philippo III.

po III Regi orationem tuam coram Notario & testibus repete, atque rei gestæ testimonium instrumento solenni comprehensum posce; crede mihi, bene dixeris, si ad nos *semper-liber* redieris. Nondum Hispania ita esurit, ut colligat stipem; nondum ita viribus deficit, ut expectet vulturium; nondum ita in vitia prolapsa est, ut DEUM & bonam mentem omnino abjecerit. Et quomodo esuriat Hispania, quæ semper ad manus habet paratam pecuniam; quæ Orbis, fere dixerim, totius possidet ærarium?

Quisquis habet nummos, secura naviget aura, Petr. Arbit.
Fortunamq; suo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen, ipsumq; licebit
Acrisium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet omneis
& peragat causas, sitq; Catone prior.
Iurisconsultus PARET, *non* PARET, *habeto:*
atque esto quicquid Servius & Labeo.
Multa loquor. Quidvis nummis præsentibus opta,
& veniet: clausum possidet arca Iovem.

Habet hoc Rex Hispaniarum, Crassorum omnium Crassus, ut quando domi panis non suppetit; (& quando non suppetat Hispania, illud inexhaustum humanæ felicitatis promptuarium?) alibi emere, sed alia etiam omnia parare, & omnia facere possit, perennibus auri argentique fontibus, quos alii Principes frustra requirunt. Et ridiculum est; quod quidam Philippo II patri timebant, ne æris alieni oppressus mole, fideque publica passim creditoribus decocta, tandem bo-

Lips. in Ep.

Vide Colinium apud Th. H. l. 51.

ris

La resp. au Sold. François. nis cedere cogeretur; & quod alii, Philippo III filio, ne is ſine inventarii beneficio paternam hæreditatem adeundo, & Quartam Falcidiam perderet, & rationes omnes conturbaret. Scilicet

Marti. l. 9. Epig. 4.

grandis in æthereo licet auctio fiat Olympo,
coganturque Dii vendere, quicquid habent;
conturbabit Atlas

C. Ens. Ep. l. 2. M. Adã. in vita Glar. Henricus Glareanus, vir doctiſſimus, ſed parum opulentus, rogatus ab amico; quomodo viveret ac valeret? *Ego*, inquit, *Principum ac Magnatum vitam vivo.* Altero quærente, qualiſnam ea eſſet? *Edo*, ait, *bibo*, *& genio indulgeo*; *interim in omnium ære ſum ac maneo.* Sed, quod regulam ſequitur proxime; *Excipe*, Glareane, & tu mi Limpurgi; *excipite Regem Hiſpaniæ*; qui etiam edit, bibit, genio indulget, res gerit maximas; & interim, quantumcunque contrahat æs alienum, ſemper domi auri millionibus abundat. Quomod vero etiam, mi Limpurgi, viribus deficiat Hiſpania? Regis Hiſpaniarum uxor eſt Fortuna; quæ pro dote attulit in mariti domum potentiæ perpetuitatem. Domus autem eſt Principis aula; quæ eſt illud punctum extra mundum, ab Archimede deſideratum; ex quo Rex Philippus, novus Archimedes Hiſpanicus, totum terrarum orbem facile movere, & hinc inde propellere poteſt. Et potentia ea eſt; qua Philippus, quandocunque lubet, plura regna, quam Gallus provincias; plures claſſes, quam iſte naves; plures nationes, quam iſte civitates; plures belli Imperatores, quam iſte Duces; & plures Centuriones, quam

Le Cavalier de Savoye.

iſte

iste gregarios milites, armare & in aciem producere potest. Dolet quidem Gallis, quando vident illud magnum titulorum agmen, summi & amplissimi Hispanici Imperii insigne: *Don Phelippe por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Ierusalem; de Portugal, de Navarra*, & quæ longo tractu sequuntur: quamvis Franciscus I Galliæ Rex ex eo in Imp. Carolum V joci argumentum sumpsisse videatur; cum in provocationis tabulis ita, sed non sine invidiæ morsu, præscriberet; *François par la grace de Dieu Roy de Gentilly*: sed ea hodie Hispanicæ virtutis majestas est, ut ex novorum titulorum accessionibus hostes mox & invidendi & jocandi copiam sint uberius habituri. Totum enim imperium vernat, totum floret, perennique beatitudinis autumno totum lætatur: ejusque felicitas mediam veluti aeris & infortunii regionem supergressa hinc inde fulminantes alibi turbarum tempestates, grandines seditionum, & fatuos dissidiorum ignes, spectat periculi expers & secura. Rex ipse, qui semper vigilat, & pro Republica insomnes alit curas, veluti Jupiter

——————in alto siede:

Onde senz' esser visto, e ode, e vede.

Strabus quidam tam certa oculorum perspicuitate olim usus est, ut pervideret CXXXV millia passuum, atque in Punico bello a Lilybæo Siciliæ promontorio classem e portu Carthaginensi solventem cerneret, & navium numerum & velorum seriem dinumeraret: sic magnus ille Philippus, patris Philippi Plin. N.H. l. 7. c. 21 Val. Max. l. 1. c. ult. Strab. l. 6 Ælian. Var H. l. 11. c. 13. Thom. Fazell. de reb. Sicul. pr. dec. l. 7. cap. 1.

& avi Caroli æmulus, e prudentiæ suæ Pyrenæis providentiæ lumen in omnes Europæ regiones circumferens, videt omnium Principum consilia & molitiones; & quicquid Romæ; quicquid Viennæ; quicquid Pragæ; quicquid Londini, quicquid Lutetiæ, etiam in ipsis Luparæ arcis penetralibus agitur, quasi præsens intuetur. Quomodo autem Hispania DEUM & bonam mentem abjecerit, Limpurgi? An quia multi inter Hispanos ἄθεοι sunt, & vitiosi? Nimirum; quod Theologi hodie aliquando facere solent, ut; si forte in Luthero, Bellarmino, Calvino, Beza, aliquid offenderint oraculis divinis & morum sanctitati parum congruens; indefinite Lutheranos, Papistas, Calvinianos, hallucinari & scribant, & de suggestu clament; etsi alius nemo præter istos autores eam rem cogitavit aut dixit: ita, ut David Pareus in Schvvalbacensibus acidulis non solum Martino Becano, illud DEUM *Calvinistarum esse autorem peccati*, ex ipsiusmet Calvini verbis ac sententiis solide probari posse, contendenti responderit; *ut maxime illa Calvini sententia sit, non tamen Calvinistarum esse*; verum etiam Nicolai Serarii judicium, qui componendæ litis facilem hanc rationem invenerat, *si particula* STARUM *expungatur*, laudaverit; & postea missa Moguntiam ad Becanum Epistola Jesuitas officii monuerit, hoc carmine,

Bec. Theol. Sch. p. 1. c. 16. qu. 1. concl. Calv. 4. Contz. in Idol. Calv.

Vos quoque promissi memores, delete litura
ingenua STARUM, *impegistis quod male nostris:*

sic vero & tu, mi Limpurgi, Hispanos ob quo-

cundam & paucorum peccata, imprudenter omnes reos facis. Non in Academiam Salmanticam, non in Aulam Vallisoletum te voco; ut illic a Doctoribus, isthic a Regiis Consiliariis, validis rationibus convincaris: sed duco te ad milites, genus hominum maxime in licentiam proclive; & videsis mihi Petri Henriquez Fontium Comitis, nil nisi bella spirantis, *con dissegno d' andar armato in Paradiso*, edictum castrense; quo in militem nefarias de DEO ac Dei matre semper-Virgine, aut Sanctis, voces proferentem, locis aut hominibus sacris injuriam inferentem, matronas virginesque vitiantem, scortum in castra secum adducentem, captos deditosque contra pacta trucidantem, socios deprædantem, privatas injurias monomachia vindicantem, capitis pœnam statuit. An hoc edictum sine DEO & bona mente a Fontano conditum fuisse putas? Quin sequere adhuc paulisper, & centurionis, lupanar in castissimis ædibus petulanter quærentis, memorabilem cognosce virtutem. Ille juxta Insulas, quæ potens & populosa Belgii civitas est, in causidici cujusdam domo exceptus, hospitis filiæ insigniter formosæ vim in arcano parabat: sed ea inter luctandum pugione correpto ipsum in lumbos aggressoris tam violento ictu adegit, ut hoste strato pudicitiam fortiter defenderit. Saucius Hispanus, & morti ex vulnere proximus, cum crimen sacerdoti confessus esset, factique ultra modum pœnitentia duceretur; juvenculam ubique

I. Boch. in H. narr. in aug. Alb. & Isab. Archid.

A. Ch. 1578.

Th. H. l. 66. Meteran. H. Belg. l. 8. vestigatam coram sisti jussit, his verbis eam affatus: *Moritura mihi expetendum fuerat, ut injuria tibi a me illata a te mihi remitteretur: sed ad expiandam culpam haut satis confessio ac veniæ petitio visa est, nisi scelus intentatum decora satisfactione eluerem. Igitur me tibi virum addico: & quoniam crimine meo & virtute tua effectum est, ut me frui non possis; habe nomen uxoris, titulos, insignia; & bonorum meorum hæres esto: ut qui te conatu violatam meminerint, sciant te conjugium tentatæ virginitatis, quam tam strenue defendisti, honestissimum præmium retulisse.* Quibus dictis, & sacerdote verba præeunte, cum patre consentiente matrimonium contractum esset, Hispanus statim exspiravit; ambiguo relicto, uter generosius, hic culpam emendasset, an illa pudori consuluisset. Quod hoc consilio tantum commemoro; ut omnes intelligant, Hispanos, etiam quando sunt consceleratissimi, subinde tamen honesti ducatum revereri. Verum tibi, Baro *Georgi Friderice*, non erat satis, Hispanos omnis impietatis, vitii, & impotentiæ arguisse: nisi quoque simul inventi *Novi Orbis* laudem illis adimeres. Quis autem contradixerit, Americam ante Americi Vespucii, Christophori Columbi, & aliorum adventum, olim non patuisse? Certe homines ibi ut fungi & boleti e terra enati non sunt. Sed cum illa per seculorum periodos ex nostri Orbis hominum memoria aufugerit, I. Acost. H. N. Ind. l. 1. c. 7. & 8. ut etiam Lactantius, Augustinus, Nazianzenus, eos, qui Antipodes credebant, irriserint: cur

 eam

eam gloriam negemus Hispanis, qui Indias illas tanquam res deperditas feliciter repererunt? Seneca Tragicus poeta fuit propheta, cûm de popularibus suis ante mille ac quingentos annos ita prædiceret:

Seneca, in Medea.

——— ——— *Venient annis*
secula seris, quibus Oceanus
vincula rerum laxet, & ingens
pateat tellus, Tiphysq; novos
detegat orbes; nec sit terris
ultima Thule.

Neque adsentior tibi illico in iis, quæ de *Ophir* & *Tharsis*, *Idumaa*, *Asiongaber*, *mari Suph*, *Parvaim* & *Peru*, ingenti nisu ex sacro codice protulisti. Nam ut brevitatis amore præteream, nec explicem, varias esse *Ophir* & *Tharsis* significationes, adeoque regionem *Ophir* denominatam esse ab *Ophir* Jectanis filio, cujus mentionem facit Moses, & quem in Oriente sedem constituisse Josephus testatur; ut sileam quoque duplicem esse *Idumaam*, *superiorem* & *inferiorem*; nec non eundem Josephum patriæ antiquitatis studiosissimum, quem veneranda Patrum & sanctorum interpretum autoritas tuetur, *Asiongaber ad mare Erythræum* locasse; ut taceam, ubique in lingua sancta *Iam Suph* mare Erythræum denotare; ut transiliam, item, *Parvaim* & *Peru* nomen incolis regionis Americæ tam notum fuisse, quam ipsimet Hispani ante adventum suum ibi fuerint: ut mittam insuper, non solum veri non esse simile; Salomonem relictis Indiis

Acost H. N. Ind. l. 1. c. 14. C. Waser. de ant. num. Hep. l. 1. c. 17. Keck. pro b. naut. 9. C. Becman. de orig. L. Lat. Ophir.

G. c. 10. v. 19.

l. 1. Ant. c. 7.

l. 8. Ant. c. 2.

Adrichom. in terr. S. Gorop. l. 5. Hisp.

M. Mar. in Arca Noe.

Waser. d. l. c. 9. Acosta d. l. c. 13.

Orientalibus, auri feracissimis, naves suas in extremas illas Occidentales misisse, quod si factum fuisset, tantæ rei & expeditionis haud dubie aliqua superessent hodie vestigia; verum etiam Peguensium, magni Indiæ Orientalis populi, traditionem a majoribus acceptam fidem maxime mereri, qua gloriantur, se ab iis Judæis genus ducere, quos olim Salomon ad aurum Ophirium colligendum in eas regiones miserit: ut denique nec hoc exequar, Hiramum ex Tyro naves suas terrestri itinere in Asiongaber mittere potuisse; quod equidem absurdum videri debet nemini, qui vel præsentia tempora contulerit, cum Cairi in Ægypto quotannis aliquot triremes in navali ædificentur, quas in partes suas resolutas onerarii cameli inde usque ad Heroum urbem sive Sues, & ad mare rubrum, per vastum arenosumque terræ tractum deportare solent: nihil, mea sententia, nihil est, quod *Ophir a Peruvia* magis discriminet; quam quod classem Salomonicam etiam *ebora* ex Ophir attulisse sacræ literæ testantur; cum sit certissimum, *Americam nullum agnoscere elephantum.* Quid vero jam consequitur, mi charissime? Hoc scilicet: Ergo Salomonis classis non attigit Occidentem: Ergo Asiongaber non est in mari mediterraneo: Ergo Ophir non est Peru: Ergo Hispanis sua constat laus & existimatio. Ergo, illustrissime Princeps, merito pro Hispania sententiam fero.

Mariana de reb. Hisp. l. 16. c. 20.

Helfrich in seiner Reyß ins H. land. & M. Hebeter in Serv. Ægy. l. 2. c. 5.

Waser. d. l. c. 17. Acosta d. l. c. 14.

PRIN-

PRINCEPS FRIDERICVS ACHILLES, &c. DICTV *HENRICE ALBERTE, BARO LIMPVRGI.*

ORATIO HENRICI ALBERTI, *LIMPVRGI BARONIS, S. R. I. PINCERNÆ Hæreditarii, & semper liberi,* Pro HUNGARIA.



VBLICE INGRATI SUMUS, illustrissime Princeps, dum in hoc prærogativarum certamine memoriam gentis inter omnes Europæas fortissimæ, & per quam pax salusque Christiani orbis hactenus stetit incontami-

nata, tam turpiter hic destituimus, & funestissima tantis meritis oblivione parentamus. Sanctior debebat esse benefactorum recordatio. At vero quemadmodum olim Romana Respublica in optimos ac devotissimos sibi cives multoties peccavit: Camillus enim in exilium missus, Scipio dimissus est; exulavit & post Catilinam Cicero, diruti ejus penates, bona direpta, factumque quicquid victor Catilina fecisset; Rutilius innocentiæ pretium tulit in Asia Smyrnæ latere; Catoni populus Romanus præturam negavit, Vatinio mortalium ultimo etiam illi antelato: sic fere ubique nunc Hungarorum immortalia beneficia nigro ingratitudinis calculo nos expuntamus. Equidem si Hungaria ipsa commovere se funditus, atque huc venire jam posset; tota profecto coram una voce profiteretur dolorem, ex hac sui præteritione conceptum, & verbis effunderet adfectum, quem rei indignitas excitavit: sed quoniam illud non potest, (gestit animo) quod natura non patitur, clamoresque suos hoc in loco exaudiri a te, Princeps, non sinit interjecta tot regionum intercapedo: id quod fieri decebat, ego nobilissimæ provinciæ nuncium sponte suscepi, ut essem non jam privati studii literarum, sed publicæ causæ orator. Verum uti in magna sylva boni venatoris est, feras indaganter quam plurimas capere, nec unquam culpæ fuit, non omnes cepisse: sic nemo, spero, vitio mihi vertet, si in tanta laudum Hungariæ copia, & tantulo temporis intervallo,

Sene. l.5. de Benefic. c. 17. Val. l. 5. c. 3.

pluri-

plurimas transilierim. Certe callidos plerosque Italiæ caupones ac stabularios hic imitari omnium minime habeo necesse; qui simul atque peregre advenientem aliquem conspexerint, longe procurrunt obviam, salutant benigne, hospitioque suo ambitiose laudato miris blanditiis invitant, deducunt alacres usque ad amplam & bene pictam januam: postquam autem ingressus fueris, & illi ad alios hospites captandos revolarint, nihil reperias culina frigidius, nihil stabulo inanius.

Passer. Præf. ad orat. pro L. M. Bacl. l. 1. cont. M. Pfaum. in M. Ital.

Et ubi primum in laudum sylvam ingrediar? Et quod Hungariæ decus indicabo primum? An delectat aliquem inæstimabilis omnium opum thesaurus? At nusquam jucundior & plenior bonorum, etiam ipsa natura summo conatu voluptatibus humanis ancillante, est messis; quam in ipsa Hungaria. Mira ibi est locorum amœnitas, mira aeris clementia, mira soli fœcunditas. Agri ea est fertilitas, ut frumentum nusquam crescat laudatius & copiosius: vinetorum ea est excellentia, ut nusquam vinum nascatur fortius: pratorum ea est luxuria, ut ob graminis altitudinem præcedentem currum sæpe, posterior non videat, ac proinde nusquam gregum armentorumque sit fructus uberior; mercatoribus inde singulis annis tot & tot præpinguium boum millia ad vicinarum & dissitarum nationum culinam agentibus: (& ajunt, Viennam quotannis circiter *octoginta millia* agi) nemorum & saltuum ea est felicitas, ut præter fe-

L. Tubero in Com. Bosin. de reb. H. I. Samb. in app. Busbeq. Turc. Ep. 1. Cusp. de bel adv. Turc. Ender reb. H. l. 2.

 rarum

rarum omne genus venationes, (quæ cuivis licitæ sunt; sic ut lepores, phasiani, perdices, quæque apud nos in deliciis habentur, rusticorum etiam ac plebejorum hominum familiaris sit cibus) nusquam est salubrium fruticum, plantarum, herbarum; castanearum item, prunorum, glandium proventus utilior: ea quoque fluminum est præstantia, ut non immerito veteres Hungari in regni sui insignibus quatuor ductus, totidem præcipuorum fluminum, Danubii, Savi, Dravi, & Tibisci imaginem repræsentantes, usurparint; nulla profecto sint in tota Europa majora, nulla ad aquationem & commeatus rerumque omnium subvectionem commodiora, nulla piscosa magis; ut de *Tibisco* fama sit apud accolas, *duas illius fluvii partes esse aquas, tertiam vero pisces*; & Wernherus V. CL. in Dissertatione de *Admirandis* (& vere tales sunt) *Hungariæ Aquis* scriptum reliquerit, *vidisse se mille carpiones, Tibisco extractos, venire centum numulis Hungaricis*, quot numuli tunc temporis duas tertias unius ducati conficiebant. Alias aquarum singulares prorsus dotes, tametsi præconio laudum speciatim illustrare causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat, eas in præsens prætereibo. Abundat vero Hungaria & Sale nativo, eoque optimo; inprimis in Maromarusio, ubi lapidicinarum modo cæditur; nec non in Transsylvania, ubi etiam piscinæ salsæ stagnant, sed a quibus omne pecus arceri necesse est, ne alioquin immodico earum haustu, quem incitat salsugo, enecetur. Insunt tamen in hisce pisces

T.Cober in obs. Castrēsib.

ali-

alicubi, quod minus mirum videri posset, cum ipsum quoque mare piscium parens salsum sit; nisi hic non in aqua salsa, sed in ipso pene sale vivere viderentur. Sunt autem pisces sapidissimi, carne duriuscula, atque ita impatientes aquæ dulcis, ut in eam missi emoriantur. Quid nunc dicam de metallis? Nullum est, quod non etiam sit in Hungaria, & si quantum quæras? copiosissimum; sin quale? perfectissimum. Præter cætera, argentum ibi & aurum exquisite purum eruitur e fodinis: quæ uti sunt bene multæ, ita in Dalmatia, quæ Imperii Hungarici portio est non ignobilis, utrum una fodina Principatu Neronis singulis diebus quinquagenas auri libras fuderit, an plures, Plinius non explicat. Quid fodinas laudo? cum pro cuncta laudatione sint ipsimet ducati Hungarici, qui inter aureos omnes cum bonitate superent, sic divitum gratia maxime valent, & multoties domi militiæque magna miracula edere solent. Quin terra passim fœta esse creditur auro; cum & amnes, præsertim tres cognomines Chrysi dicti, & qui Hungaris vocatur Aranyas, rapiant non ramenta tantum auri perenni cursu, sed etiam plerunque massulas, alias pisi, alias nucis avellanæ castaneæve aut juglandis magnitudine; quoties videlicet inundant, imbribusve, aut alia quapiam eluvie, aut arte inducta corrivatione aucti ripas, & ea, per quæ currunt loca subruunt. Nec commentitium est, iis in locis effodi quandoque massas, alias puri auri, alias concreti saxi

G. Agric. de vet. & nov. met. 1. Werner. d. l.

aliquid habentes, quæ aliquot uncias usque ad semilibram & libram, & hoc amplius appendunt. Quid minutias narro? effossæ sunt enim massæ, quæ quingentorum, imo quæ mille florenorum pondus pretiumque elevabant. Unde difficile creditu non est, avorum ætate *Sigismundum Chanzarem*, Quinqueecclesiarum Episcopum, adeo pecuniis fuisse locupletem, ut justum exercitum suo sumptu alere potuerit. Hinc etiam Albertus Polonus, cum regnum Hungariæ contra fratrem Vladislaum sibi vindicare satageret; regionis præsertim bonitate & opibus incredibilibus animos militum accendere & confirmare voluit, cum diceret: *Hanc esse illam regionem, quam mediam Danubius tot fluviorum confluxu incolis percommodus intersecet, & quæ universi pene orbis felicitatem complectatur, esse illam optimorum feracissimam fructuum, vineis speciosissimam, equis & cæteris pecoribus affatim abundantem; auri atque argenti multorumque præterea metallorum ditissimam; omnibus denique rebus, quæ non modo ad vitæ usum spectant, sed & luxum possint ministrare, instructissimam.* Verum enimvero omnia illa splendidissimæ naturæ atque fortunæ munera minime ad communem hominum opinionem metitur Hungaria: ad usum & necessitatem flectit illa; ad Lydium Virtutis lapidem examinat; & quicquid ultra est, dedignatur. Altum quiddam est Virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: Voluptas humile, servile, imbecillum, caducum; cujus statio ac domicilium fornices

Tuber. Cō. lib. 4.

Seneca de vita B. c. 7.

nices & popinæ sunt. Virtutem in templo invenimus, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: Voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem; circa balnea ac sudatoria, ad loca Ædilem metuentia; mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam: Sed quocunque Virtus abit, semper *Pannonia*, ut vetus nomen est, semper *Hungaria*, ut novum nomen est, it comes; tantis meritorum cumulis beata; ut olim (uti & nunc) non solum Ecclesiæ Christianæ gravissimos doctores, & inter illos longe eminentissimos, *B. Martinum* Turonensem Episcopum, *virum plane Apostolis conferendum*; & *D. Hieronymum*, propter sanctitatis & doctrinæ magnitudinem inter Confessores & Magistros Ecclesiæ relatum; & nuper *Andream Dudithium* Tullianæ eloquentiæ sectatorem admirabilem, (Ciceronem totum enim ter propria manu descripsit) qui, relicto Papatu, Episcopatui, simulque summis honoribus, divitiis, & sublimi Aulicæ vitæ vale dixerat, ut ab omni strepitu & ambitione alienus; sacris studiis in tranquillo unice vacare posset; gloriose dederit; verum etiam præclarissima ingenia scientiis literisque instaurandis & exornandis nata bono publico felicissime eduxerit. Quod si nunc ad exemplum eorum, qui ante me dixerunt, per illustrium doctrina virorum nomina eundum hic esset, forte catalogus non minus foret prolixus Hungarorum,

Ædilib' cura popinarū, fornicum, & eorū quæ ad libidines spectabant, olim apud Romanos commissa est.

Sulp. Sev. Sac. hist. l. 2.

Sig. de Occ. Imp. l. 11.

Q. Reuter. in vita Dud. Th. H. l. 96.

rorum, quam fuit vel Germanorum, vel Gallorum, vel Hispanorum: adeoque illos inter, quot vos eximii Professorum, Amicorumque charissimi, quot jam summos Doctores admirari? quot tu, mi Pregizere, sanctos Theologos? quot, mi Besolde, sapientes publici privatique Juris Consultos? quot, mi Fabri, solertes Medicos? quot, mi Cellari, graves Philosophos? tu vero, mi Schæfere, quot disertos Oratores? quot, mi Schickarte, subtiles Mathematicos? mi Rauschere, quot Poetas ingeniosos? mi Geilfusi, quot acutos Logicos? & denique mi Flaydere, quot penitus eruditos Philologos? quot, clarissimi viri, quot omnis literaturæ principes jam spectare ac venerari possitis? Quin producerem literatos, qui vel in privata fortuna principum propemodum gloriam, in re literaria amplificanda superarunt. Equidem *Ioannes Sambucus*, Tirnaviensis, professione Medicus, eam in veteribus libris colligendis diligentiam adhibuit, eam liberalitatem in publicandis declaravit, ut Magnatibus, qui hac re laudem consecuti sunt, debeat æquari: quod *Nonnus* Dionysiacorum scriptor, *Aristænetus*, *Eunapius*, *Hesychius Illustrius*, & alii ejus beneficio editi abunde testantur. At vero nos hoc loco virtutes Hungarorum magis excelsas & heroicas, magisque armatos quam togatos imus spectatum. Et quidni primo loco spectemus *octo* Imperatores, quos magnos & augustos terrarum orbi felici sidere peperit Hungaria? Imperatorem *Decium* laudat

Th. H. l. 20.

anti-

antiquitas; quod in eo virtutes cum ætate creverint; quod non ambitione, non emptis suffragiis, non corruptis amicitiis, sed bonis moribus ad amplissimas dignitates pervenerit: cujus vita sanctissimis institutis nunquam adversata, *optimi Principis* cognomentum Senatus judicio recte meruisset; nisi pagana superstitione impulsus Christianam religionem tot cruentis persecutionibus contaminasset. Sed heros ille Decius fuit Pannonius. Imp. *Aurelianum*, & ipsum Christianorum inimicum, concelebrat historia; quod Romanum orbem triennio ab invasoribus receptarit, terminos imperii auxerit; rebus gestis magnis Principibus non modo æquandus, verum etiam anteferendus. statura is procerus & nervis fuit validissimis; adeoque manu sua in bello Sarmatico una die XLVIII interfecit; plurimis autem & diversis diebus *ultra nongentos & quinquaginta*; ut hac de causa pueri etiam cantilenas componentes, ad numeros diebus festis militariter saltitarent: *mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus: unus homo mille, mille, mille, mille, decollavimus. mille, mille, mille, vivat, qui mille, mille occidit.* Et vero Aurelianus quoque fuit Pannonius. At Imp. *Probum* nemo improbaverit, nisi qui ipsam probitatem. is genitus patre agresti, hortorum studioso, ita se & in toga & in militia gessit, ut res ipsa nomen sequeretur, &, si non illi fuisset *Probi* nomen, nomine hoc appellari potuerit. Sarmatas contudit, tyrannos extinxit, Orbem pacavit; judicia bono-

Pomp. Læt. Egnatius.

S. Aurel. Victor.

Pom. Læt.

Flav. Vopisc.

P. Læt. Egnatius.

bonorum de se admirabili virtute confirmavit; pace terra marique parta dicere solitus, *Milites minime necessarios fore, cum desunt hostes.* Atqui & Probus Pannonius est. Pannonius etiam est Imp. *Diocletianus*, qui nova virtute primus Imperium & communicavit, & posuit; omnibus major futurus, si *decimam persecutionem* intermisisset. Etenim novem ante hunc Imperatores religionis Christianæ labefactandæ gratia vexationes acerbissimas exercuerant; *Nero, Domitianus, Trajanus, Marcus, Severus, Maximus, Decius, Valerianus, & Aurelianus*: quibus *Diocletianus* quasi decimæ palmæ avidus socium se adjunxit. Pannonius fuit & *Iovianus* Augustus: quo imperium favore militari delatum abnuente, quod se gentilibus nolle imperare diceret, milites *se Christianos esse* clamaverunt. Pannonii sunt *Valentinianus*; & hujus frater *Valens*, atque filius *Gratianus*, Imperatores; sed qui plura fortiter gesserunt,

Sigonius de Occ. Imp. l. 1.

Sigon. de Occ. Imp. l. 7.

——*quam quæ comprendere dictis*
in promptu mihi sit.

Cum autem omnes illi æternæ & melioris famæ Pannonii Principes, quantumvis Hungariæ incolæ & cives, non tamen Hungarici sanguinis fuerint: Hungari enim posterius demum post Pannones, Vandalos, Gothos, Hunnos, Ostrogothos, & Langobardos, Pannoniam incoluerunt, & ipsam Pannoniam dixerunt *Hungariam*: jam ipsos *Hungaros* accedam, & ad meritorum modum laudationem meam attemperabo; colorum fucis ad alios veræ gloriæ aut pauperes aut

deco-

decoctores populos rejectis. Hungarorum namque virtus in excelſo ſtat admirabilis, non exurgit in plantas, nec ſummis ambulat digitis, eorum more, qui inchoato ſtaturam adjuvant, longioreſque quam ſunt videri volunt. Quinetiam, ut Timanthes Cyclopis dormientis magnitudinem in parvula tabella exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros thyrſo pollicem ejus metientes: eadem ego ratione arctioribus temporis ſpatiis concluſus, quam ut amplitudinem majeſtatis Hungaricæ explicare poſſim, tantum exiles lineas ducam. Quamobrem animus non eſt *Attilæ* fulguris inſtar circumlatum per omnem Europam imperium huc accerſere; non etiam illorum temporum victorias exequi, quibus Hungari Italiam & Græciam ſæpius ſtipendiariam fecerunt; Galliam incendiis, vaſtationibus, & excidiis afflixerunt; Germaniam multis populationibus, direptionibus, & cladibus concuſſam ad tributum pendendum, neceſſitate & ærarii penuria templorum & monaſteriorum vaſa atque veſtes in hunc uſum conferente, coegerunt: cum nullus tunc eſſet populus in orbe toto, qui Hungarorum arma laceſſere auderet. Quibus ſtupendis ſucceſſibus imperium illud hominibus & opibus potentiſſimum ſic excrevit, ut a Conſtantinopoli marique Pontico uſque ad Auſtriam, & a Polonia uſque ad ſinum Adriaticum protenderetur; in cujus ventre *ſeptem ampliſſima regna* claudebantur, quæ ab Hungaria feudi vinculo dependebant: multis ex hac cauſa Hungariæ Principem non

Plin. H. N. l. 35. c. 10.

Cruſ. Ann. Suev. p. 2. l. 3. c. 5. & 6. item l. 4. c. 2.

Æn. Silv. ad Archie. Strig.

non Regem tantum, ſed *Archiregem* vocandum eſſe exiſtimantibus. Quo loci appoſite in mentem venit mihi judicii de primatu regis regnique Hungariæ, in ſanctiori Sultanico Conſiſtorio lati: cujus memoria utique poſteritati prodenda eſt. Cum enim Murates III Turcarum Sultanus filium Muhametem, ſexdecim annos natum, ex Corani lege apellam fieri vellet; noluit omittere quicquam, quo minus Muſulmanica tanta ſolennitas omni apparatuum magnificentia exornaretur; honoris gratia inſuper invitatis fœderatis amiciſque Principibus, tam Chriſtianis, quam Muhametanis: qua cauſa & Rudolfus II Cæſar Stephanum Niarium, Hontenſem Comitem, Dapiferum ſuum, huic muneri obeundo extra ordinem delegit. Cœpit autem maxima illa circumciſionis celebritas die menſis Maji vigeſimo octavo, Anno Chriſti 1582, atque feſtivitas ea, variis admirandiſque ludis ac ſpectaculis in hippodromo editis, ipſos quadraginta dies, ne noctibus quidem intermiſſis, continuavit; præſentibus legatis Rudolfi II Imperatoris Romanorum, Henrici III Galliarum Regis, Stephani Regis Poloniæ, Reipublicæ Venetæ, Schachi Perſici, Regum Africanorum Marocci & Feſſæ, iit & Tatarorum; Principum item Erdelii, Moldaviæ, Valachiæ, & aliorum. At Gallicus legatus Germinius Germollætis ſecundo loco poſt Cæſaris legatos, (quippe præter Niarium, etiam Fridericus Breinerus Baro Fladizianus, Ordinarius Cæſareæ Majeſtatis legatus aderat.) ſpectare

Leuncl. in Suppl. Ann. Tur. Iſthuanffius H. l. 25. ſed utrique narratio Th. H. l. 77. adverſatur nonnihil.

juſſus

jussus; cum se quidem Breinero Romani Imperatoris legato cessurum dixisset, sic tamen, ut Niario, qui non Cæsaris sed Hungariæ Regis nomine venisset, præferretur; pariterque Orator Stephani Poloniæ Regis, quem Henricus Gallus & ipse pridem a Poloniæ Ordinibus electus coronatusque, post fugam tamen & desertionem exauguratus, pro Rege nequaquam adgnosceret, excluderetur: altercatione ad Sinanem purpuratorum & Sultanici Consilii principem delata, barbarus ille secundum Hungarum & Polonum sententiam tulit; cum pronunciaret, Henricum unius Galliæ regni, clari haud dubie opulentique, Regem esse: cæterum Hungariæ Regem, qui olim Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Bosniæ & Bulgariæ Regna, cum utriusque Valachiæ & Transsylvaniæ provinciis tenuisset, jure anteponi posse; neque etiam Stephano Poloniæ Regi, Principi bellicoso, cui a Senatu Poloniæ regnum legitimis tabulis delatum sit, dignum in theatro locum denegandum esse. In qua Sinanis sententia minime acquiescens Germollæus, sed livore atque indignatione de statu dimotus, toto ceremoniarum ludorumque tempore se domi continuit; & munera, quæ Regis sui nomine attulerat, per aulæ suæ magistrum exhiberi curavit. At vero præstantium Hungariæ Regum memoriam veneraturus propius; quid dicam de *Stephano sancto*, qui præter quod Christianæ religionis capita ita tenebat, ut vel ipsos mystagogos docere posset, nihil un-

Ens rerum Hung. l. 2.

quam aggrediebatur, quin præcipua aliqua divini numinis observantia in omnibus ejus dictis & factis elucerет, sancte persuasus, si vel latum unguem a justitia & pietate deflexisset, continuo se cum regno ipso corruiturum? Quid de *divo Ladislao I*, qui Chunis bis cæsis, Ruthenis domitis, victis Polonis, demum celeberrimæ Europæorum Principum expeditioni socia arma tulit auxilio; rerum gestarum magnitudine maximis regibus par, morum & vitæ sanctitate comparandus vel integerrimis laudatissimisque? Quid de *Andrea II*, qui educatione liberorum felix, ex quibus *Elisabetham* Ludovico Thuringiæ & Hassiæ Landgravio collocavit in matrimonio, ob incredibilem vitæ sanctitatem *divarum* numero postmodo adscriptam, bello Syriaco gentis gloriam novis decoribus mirifice illustravit? Quid vero de *Geysis*, de *Belis*, de *Emerico*, de *Carolis*, de *Ludovicis*, quid de *Sigismundo*, de *Alberto*, de *Vladislao II*, & de multis aliis summa pietate & virtute nobilissimis Regibus dicam? Quibus præconiis *Matthiæ I* illustrissima facinora enarrabo? O

Tuber. Cō. lib. 1.

quantus heros Matthias ille! ille Orientis & Occidentis terror! ille victoriosi *Hunniadis* filius! qui tam profundi consilii ac peritiæ in Repub. temperanda rebusque gerendis fuerat; ut nunquam ferme quicquam inceperit, quantumcunque id fuerit arduum, quin ei ex voto cesserit: qui tam providenti ingenii dexteritate animos militum pertractare noverat, ut nonnunquam illi operam nullo stipendio, sed sola victoriæ

ſpe præſtiterint. Imp. Maximilianus I, cum Albam Regalem occupaſſet, triumfantis ſpecie urbem ingreſſus ſtatim Deiparæ virginis ædem, divi Stephani Regis ſepulchrum viſurus, petit: ubi forte conſpectis Matthiæ Corvini inſignibus, ſupra tumulum ejus de more parieti recens affixis, una cum hac inſcriptione: *Marmore hoc Matthias Corvinus ſitus eſt: quem facta* Deum *oſtendunt, fata fuiſſe hominem*: fleviſſe fertur. Tanti æſtimabat Maximilianus Matthiam, Et quem non extra ſe rapiat tantæ virtutis & humana majoris æſtimatio? Matthias enim fere uno tempore, unus omnium arma ſuſtinuit; Boemiam ſubegit, vicit Valachos, afflixit Polonos, Hungariam rebellem domuit, Auſtriam in ſuam poteſtatem redegit, ad Oceanum uſque & mare Adriaticum regni terminos protulit, Hydruntum obſidione liberavit, innumerabiles denique Turcorum copias diſſipavit atque concidit, audacia & præaltis Sultanorum ſpiritibus ita compreſſis, ut *Muhametes* ille Conſtantinopoleos expugnator, omnium prope gentium victor; (equidem duobus & triginta annis duo magna Imperia evertit iſte, duodecim regna acquiſivit, & ducentas urbes vi cepit) ſucceſſorque ejus filius Bajazetes, æquiſſimis legibus pacem petierint; Muhamete Sultano inſuper, cum is alias omnibus ſe regibus, qui eſſent, aut unquam fuiſſent, belli gloria anteponeret, hunc invictum Matthiam, quem *ſtrenui Principis* nomine dignabatur, ſemper excipiente. Sermo meus fe-

Tub. Cont. lib. 4.

Ens. rerum Hung. l 3.

R. de Lu-ſinga de in-clin. imp. l. 3. c. 3.

P. Iovius in Matthia.

Cuſpi. in Mahom. II. & in Baj. II.

Hh 2 re

re prolixior est, Auditores, quam ille victoriarum cursus fuit. Vix enim maximus ille novus Alexander militem legerat; jamque locum belli tenebat: vix hostem invenerat; & jam urgebat: vix pectora viderat; jam terga cædebat. Inprimis tamen memorandum ego hic puto, quod Matthias felicissimo conjugio armis literas permiscuit: quarum studiis, quicquid a cæteris Reip. negotiis supererat temporis, impendebat: inter cœnandum vel prandendum, vel liber legebatur, vel doctorum sermones variis de rebus audiebantur. Quæ res hodie apud alias gentes tantum habet novitatis, ut nisi frequenter issiet in literas, fides facti jam laboratura esset. Negabat ille Regem aut Ducem absolutæ virtutis & gloriæ famam adipisci posse, nisi literarum præsidio munitus omnis ætatis instituta militiæ, ipsaque antiquorum strategemata ex historiis percalleret. Regia illius Budæ veræ virtutis domicilium; perpetuique splendoris hospitale diversorium cunctis gentibus patebat: cum vincere hostes, & scribenda facere, & virtutem liberaliter exornare, Regiæ fortunæ proprium munus esse duceret. Et quænam toto orbe terrarum extra Hungariam auri argentique metalla tam larga sunt; quis Tagus, quisve Pactolus tanto fluxerunt auro; quantum liberalitas Matthiæ in togæ & sagi proceres distribuit? Hinc tantam incomparabilium heroum copiam felicissima protulit illa ætas, ut eam nec Trojanus equus capere potuerit: ex quibus *Emericus Scepusi-*

pusiensis Comes Vlyssem, *Stephanus frater* Agamemnonem, *Paulus Quinisius* Ajacem, *Nicolaus Cyupor* Diomedem, *Michael Palatinus* Nestorem, *Blasius Magerus* (eo fuit hic robore, ut vas vinarium vix currui ferendum solus humo tollere, & armatum hominem dentibus surreptum inter militares choreas saltando armatus circumferre potuerit) Magerus, inquam, Herculem, & REX MATTHIAS Achillem omni ex parte referebant. In hac virtutis & præcipue militaris disciplinæ Academia tota Hungarorum natio, per omnes gradus & ordines progressa, supremos honores consecuta est; & adhucdum bono rei Christianæ publico quotidie laurus triumphales perpetuis victoriarum accessionibus auget & multiplicat. Nemo vero satis unquam expenderit, nemo satis ponderaverit propriam hanc Hungarorum prærogativam: nisi in examen simul hæreditarii hostis, Turcæ, potentiam devocaverit; a quo enimvero stant immensæ imperii opes, vires integræ, armorum usus & exercitatio, miles veteranus, victoriarum assiduitas, vigilantia; cum apud plerosque alios populos spectentur publica egestas, privatus luxus, deminutæ vires, infracti animi, laboris & armorum insolentia, contumaces milites, duces avari, disciplinæ contemptus, licentia, temeritas, ebrietas, crapula; quodque est pessimum, sæpe vinci: ita ut vani non sint, qui ex immani hoc morum utrinque discrimine arbitrantur, majoris molis opus esse Turcis eripere casam aliquam rusticam

Bonfin. rer. Hung. dec. 4. l. 2.

Busbequis Leg. Turc. Epist. 3.

cam, quam Regi Galliarum Caletum aut Bajonam. At Hungari soli fere cum Turcis pugnare, soli illos vincere sciunt: soli fere ab illis, contemptoribus licet omnium populorum, magnifiunt, & inter viros recensentur. Quin & *fœminas Hungaras* novo privilegio inter viros jam recensere licet. Cum enim Muhametus Bassa Agriam superiori ætate obsideret, & præsidiarii deditionem facere per tubicinem jussi pro responso feretrum in muri pinnis erigerent, sepulchrum deditioni anteferentes: ille aliquoties fortiter cum magna jactura suorum repulsus, tandem ab omni parte oppidum scalis admotis oppugnari imperat. Sed geminato impetu, geminari quoque visa est obsessorum virtus; in eoque longe crudelissimo certamine fœminarum fortitudo enituit: quarum una inter alias, quæ coram matre & marito depugnabat, cum occiso marito a parente moneretur, ut corpus tolleret, & sepulturæ mandaret: *Non hoc*, inquit illa, *o mater* DEUS *sinat, ut vir inultus terra condatur; pugnam hoc tempus, non exequias sibi poscit:* arreptoque demortui ense & clypeo in medios hosteis irruit, nec prius a pugna destitit, quam III Turcis, qui in murum enitebantur, manu propria interfectis animo ultione ardenti satisfecit, & viri manibus parentavit; demumque sublatum in sinum cadaver ipsa in templum intulit, & honorifice tumulandum curavit. Cum vero primaria quædam matrona prægrande saxum capiti impositum gestans ad ruinam properaret,

Tub. Com. l. 6. & 7.

A.Ch. 1552. Th. H l. 10.

tor-

tormenti ictu capite truncata est, saxo in terram prolapso; quod mox filia, quæ matrem sequebatur, nullo dolori ac lacrymis tempore dato, in caput tollit, & ut materno adhuc cruore fluebat, in confertam Turcorum murum subeuntium multitudinem projecit, duosque ex iis elisit, multis insuper vulneratis. Quo facto victrix cæteras suo exemplo ad fortiter capessendam pugnam hortata tantum animi suis addidit, ut eruptione facta hosteis repellerent, & duo tormenta clavis configerent. Et accidit, dum reliquæ fœminæ prope murum ad impetum propulsandum starent, ut una ex iis tormento transverberaretur, cerebroque illius in ora sociarum effuso non solum non moverentur illæ, sed eo acrius certamen redintegrarent, magna Turcarum strage edita. Qua tandem constantia Muhametus territus obsidionem inglorius solvit. Dimissis tamen heroidibus illis, quæ patriæ salutem propriæ salutis impendio & arctissimis sanguinis vinculis summa ratione præferebant; virorum virtutem, Turcis exitialem, amplius contemplabimur. Quam vero illud est animi pro Republica devoti, & cuncta pericula contemnentis; quod *Hungarus quidam* in Jayzæ obsidione Turcam imperatoria signa turri imponere contendentem statim corripuerit, & una cum eo se præcipitem ex alto dederit? O generosum & immortale præcipitium! Dignosci arduum est, utrum Jayza utilius habuerit hunc novum Curtium Romanum, an amiserit: quoniam vita

Bonfin. rer. Hung. dec. 3. l. 10.

ejus, ne vinceretur Jayza, obstitit; mors fecit, ut vinceret. Sed merito objecerim Jayzensibus libertatem suam magno stetisse. Et quam istud est obstinatæ præsentiæ, ubi vel animosissimus alias desperare poterat; quod *Nicolaus Iurischizius* Gunzium, oppidulum tenue, nulla re nisi hostium ignominia clarum, contra Sulimani vires, quæ *quingenta hominum millia* tunc conficiebant, strenue & immortali cum nominis gloria defenderit? Non extinctus est quidem Jurischizius pro patria; sed admirabili virtute, ne patria extingueretur, providit; & velut alter Scipio Africanus non tantum pietatem ipse plenissimam exhibuit patriæ, sed etiam ex pectoribus aliorum abeuntem revocavit. Quam autem hoc est singulare perfectæ & prorsus divinæ virtutis specimen; quod *Nicolaus Serinius* Sigethi obsidionem ingenti animo tamdiu toleraverit, & ad extremum inde incendio a tergo omnia depascente, hinc fame, siti, omniumque rerum inopia & miserabili tot mulierum & infantium ejulatu pressus, pro Principe & patria inter confertissimos hostes generosissime pugnando vitam amiserit? Quoties, illustrissimi & humanissimi Auditores, quoties hoc insigne facinus mecum reputo, toties in me summæ lætitiæ cum dolore pari sentio acre duellum; cum non solum hominis, salutem suam pro totius Christianæ Reipublicæ salute tanta promptitudine profundentis jacturam animitus deplorem; sed etiam admirabilem constantiam illius, securitatem mortis in ipsa morte

A. Ch. 1550.

Iov. H. l. 30. M. Soiter. de bel. Pan. H. Megis. Ch. Carint. l. 11. c. 24. Istuanf. H. lib. 11.

præ se ferentis, magna cum voluptate exosculer. Jam jam enim Serinius ille omni alio destitutus auxilio ultima experturus, pretiosa vestimenta sua promi jubet, eaque pro lorica induit; galeæ item loco galerum sumit ex villoso serico, pala, in qua magni pretii adamas inclusus erat, & ex qua pennarum ardeatinarum fasciculus cristæ instar assurgebat, insigni; gladios præterea IV ex armamentario produci imperat, quorum unius acie tentata eum sibi deligit, alios inter amicos distribuit; hæc arma sufficere ei dictitans, qui expeditius pugnare, quam diutius cum morte certa luctari mallet: tum claves a cubiculario allatas in tunicam interiorem insui mandat, & una *centum aureos*, (e quorum numero Turcicos consulto consilio excluserat) ejus, qui se interfecto potitus esset, præmium: & ita ducibus ac militibus omnibus in aciem instructis, & mascula oratione confirmatis, post nomen Jesus ter inclamatum portis arcis apertis stricto gladio cum exigua parma ante suos intrepide exit, atque sanguinem suum in multo hostium cruore sepelit. O incomparabilem constantiam! O illustrem etiam in ipsa morte, de hostibus triumphum! Capi Serinia virtus nescit, patientia dedecus ignorat: fortunæ succumbere, tristius omni fato ducit: nova & speciosa genera interitus excogitat; si quisquam interit, qui sic extinguitur. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes sine noxa corporum transeunt: quanto Serinius noster mirabilior vir, qui per ferrum, per Senec.ep.8.

 rui-

ruinas, per ignes, & per ipsam mortem illæsus & indemnis, imo se ipso major & illustrior evasit? Calamitas virtutis est occasio: adeoque terrores mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Illos autem merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, qui sine morsu animi transeunt vitam, & rerum naturæ ignorant alteram partem; quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet: quicquid illis inciderit, novum veniet; cum magis urgeant sæva inexpertos, & grave sit tenere cervici jugum. Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi; & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna; fortissimos sibi pares quærit; quosdam fastidio præterit; contumacissimum quemque & rectissimum aggreditur, adversus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabritio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone; & illa omnia, ac multo acerbiora in Hungaris. Quemadmodum igitur tot amnes, tantum superne dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum, nec *Sernii*, nec *Iurischizii*, nec tot aliorum innumerabilium fortium Hungarorum, vertit animum: manent illi in statu; & quicquid evenit, in suum colorem trahunt. Caralicocius, Orpha urbe Mesopotamiæ ad Euphratem sita oriundus, audita celeberrima *Georgii Thurii* fama, ac rebus

Seneca de Prov. c. 4.

Cap. 3.

Cap. 2.

præ-

præclare gestis, in Pannoniam fortissimi viri videndi causa venerat: Et vero est hic Caralicocius ille, qui cum a Georgio Caczffio mercatore Coviniense intellexisset, *Maximilianum*, dum Posonii coronaretur, strictum nudatumque ensem de more ad quatuor cœli plagas vibrasse; mox, ut erat gustato opio temulentus & ferme insanus frontem linteo obvolvit; interrogatusque ab obviis, cur fasciatus incederet? *Se a novo Rege sauciatum esse* facete respondit; nequaquam vano, ut postea eventus comprobavit, aut irrito præsagio; quippe qui biennio post a novi Regis equitum ductore *Valentino Banffio*, quem ad singularem pugnam provocaverat, capite truncatus temerarii dicti factique pœnas persolvit. Et tamen non Thurii solius, maximi equidem & immortali laude dignissimi viri, merebatur virtus, quam Euphratis accola confecto tanto terrarum spatio cominus admiraretur: imo si voluisset Caralicocius Hungaricæ gloriæ amplitudinem judicio magis defæcato liberoque expendere, atque illustrissimo spectaculo plenius frui, poterat Thurio adjungere & heroas, quos laudabamus antea, & amplius addere *Matthiam Gerebum*, *Gregorium Bornemissam* cognomine *Literatum*, *Emericum Telequeßinum*, *Marcum Stansitium*, *Bartholomæum Horvatinovitium*, *Thomam Boliquium*, *Marcum Tomasovitium*, *Paulum Ratcajum*, *Franciscum Tahium*, *Demetrium Ocharovitium*, *Petrum Farcaßitium*, *Franciscum Zajum*, *Matthæum Sexudium*, *Antonium Siculum*,

Isthuanf Hi. l. 22.

1562.

Alber-

Albertum Quiralium ; tot item generosissimos *Bathorios, Frangepanios, Balassios, Battianios, Nadasdios, Turzones, Forgacios, Erdodios, Palffios, Isthuanffios, Barbelios, Niarios, Magocios, Dobones, Seredios, Querccenios* ; & quos non? & poterat testari denique, neque Mesopotamiam suam, neque adeo Orientem omnem habere hodie; quod tot sublimibus Hungaricæ virtutis nominibus componere queat. Et si ex animi sententia, Auditores, veritatem dicere volumus: *una & unica Hungaria, murus & antemurale est tutissimum Christianæ nostræ religionis* : adversus eam ducentesimum jam annum Turcorum signa fremunt, & adhuc circa Savum ac Danubium hærent; quibus tamen illa victa (quod nunquam permiserit DEUS) nihil erit invium, nihil insuperabile orbis Imperium quærentibus; non Germanorum fortitudo, non Italorum vigor, non impetus Gallorum, non Britannorum vehementia, non circumspectio Hispanorum, non Sarmatarum insultus, non montium asperitas, non altitudo fluminum, iter impedient. Et nisi impediunt Hungari, jam jam Achmetes est ad portas: adest suis & majorum rebus gestis formidolosus; trahitque secum, quicquid est gentium a finibus Persarum: multorum regnorum opibus instructum ducit exercitum; & ex tribus Orbis partibus nulla est, quæ non suam partem ad Christianorum exitium conferat. Quod itaque horrendam illam barbarorum tyrannidem non patimur, quod durissimum intolerabilis servi-

Vide Pii 2. P. R. Orat. pro bello Turc inferendo.

Busbeq. Ep. T. 4.

ſervitutis jugum cervicibus non excipimus; eccui alii poſt DEVM, niſi fortiſſimis Hungaris debemus ferre acceptum? Et o pietatem ſingularem! O ingentem atque mirabilem ex pietatis radicibus pullulantem charitatem! Vt aliæ gentes gaudeant umbris, otioque & ſummis pacis bonis perfruantur; ipſi Hungari ſæviſſimam Aſiæ tyranni tempeſtatem in ſua admittunt latifundia; ipſi hoſtis omnium crudeliſſimi furori, quem etiam extra belli agonem ſola nominis mentione horrent alii, fortunas ſuas objiciunt; ipſi barbarorum tela in omnes Chriſtiani orbis partes directa, corporum ſuorum objectu repellunt. Ita Germani per Hungarorum arma diteſcunt, Itali per Hungarorum funera vivunt, Galli per Hungarorum calamitates quieſcunt, Hiſpani per Hungarorum jacturas creſcunt, Britanni per Hungarorum labores gaudent, Sarmatæ per Hungarorum moleſtias otiantur; & Chriſtiani omnes per Hungarorum beneficia ſunt in tuto. Ita velut DEI Opt. Max. hominumque conſenſu & arbitrio Hungaria facta eſt clypeus & arx Chriſtianitatis inexpugnabilis. Ita, illuſtriſſime Præſes, ipſa Hungaria & ipſi Hungari ſunt Patroni & Dii tutelares totius Europæ; digni vel hoc unico nomine, quorum majeſtatem omnes populi comiter conſervent. Hanc vero inuſitatam Hungarorum virtutem cum Poloni minime ignorarent; poſt fugam Henrici Galli & ſecutam exaugurationem, ex omnibus nationibus Hungarum

A. Dudith. in Orat. Jo habita in C. Trid.

rium in Regem sibi deligendum esse prudentissime censuerunt; & omnibus aliis candidatis prætulerunt *Stephanum Batorium*: qui injuriarum à Moschovitis Polonico imperio illatarum memor res statim suas repetitum venit, militibus Hungaris ad negotium id dextre conficiendum usus. Summa fuerunt incommoda omnia, immensa itineris longitudo, silvarum densitas tanta, per quam via aperiri ferro vix poterat, paludes & torrentes transitu difficiles, regiones ob vastitatem superatu incredibiles; ita ut hæc expeditio contra Moschum cum longissimis & difficilimis omnium regum & ætatum expeditionibus jure ac merito conferatur. Non Turcæ in Persidem, non Hispanorum ex ultimis Hispaniæ oris in Germaniæ inferioris provincias, non illa in Syriam quingentos ante annos Christianorum expeditio longior & difficilior fuerat, non denique Christianorum Regum & Principum alius sua contra Moschum arma longius protulerat; vastato Moschico agro a Boristhene Cernihovam usque, & a Duna fluvio Stariciam & Novogardiam ac Lohodem usque lacum; CCC hominum præterea cIↃ absumptis, & ad XL cIↃ in captivitatem abductis; quod solitudinem magnam in Lukensi, Savolocensi, Plescoviensi, & Novogardensi ditionibus secum traxit, juventute omni ferè sublata & adultioribus sine prole decedentibus; Moscho demum eas pacis leges pati coacto, ut portubus cunctis Baltici maris amissis, & a Borysthenis navigatione jamdudum a Tur-

Joranz in Otto. c. 58.

C. Warsev. in Faneg. ad Steph. Pol. Reg.

Th. H. l. 76. Heidenstē. de bel. Moschov. l. 5.


co, atque adeo a mari fere omni, præterquam importuosissimo, quale glaciale est, ac periculosissimo, tum aliarum fere nationum Occidentalium & Australium commerciis exclusus, in interiorem Russiam tanquam injectis compedibus, quo minus libere vagari queat, relegatus videatur. Vnde insigne maxime hoc ad Hungarorum gloriam additum est decus; quod post tot ætatum horrenda & perpetua bella, etiamnum tot supersunt, ut in tam longinquis regionibus militare, & pro Reip. Polonicæ incolumitate a Danubio, a Tibisco, a Savo, a Dravo, a Marosa, in ultimas Aquilonis latebras armorum suorum vim terroremque extendere potuerint. Quo tempore Stephanus Rex Plescoviam obsidebat, in castra venit a Murate III Turcorum Sultano legatus, gravis ætate homo; qui antequam dimitteretur a Stephano, per exercitum Polonicum egregie in aciem instructis ubique copiis traductus est. Quæ omnia intentis & avidis oculis conspicatus barbarus; & equitum ornatum, equorumque præstantiam, & universi exercitus speciem admiratus, *Faceret* DEUS, inquit, *ut isti Principes*, Regem Stephanum, ac Imperatorem suum designans, *conjuncti inter se animis essent, ne Orbis quidem terrarum viribus eorum par ad resistendum foret.* Cæterum laudes Hungarorum, in hujus *Stephani Batorii* Poloniæ Regis elogio, veluti in speculo, simul exhibeo vobis, Auditores, cunctas: ille vero Bonifacii Vanotii verbis fuit, *in templo plus quam Sacer-*

A.Ch. 1580.

Th. H. l. 73.

dos:

dos: in republica plus quam Rex: in sententia dicenda plus quam Senator: in judicio plus quam Iurisconsultus: in exercitu plus quam Imperator: in acie plus quam Miles: in adversis perferendis injuriisq; condonandis plus quam Vir: in publica libertate tuenda plus quam Civis: in amicitia colenda plus quam Amicus: in convictu plus quam Familiaris: in venatione ferisue domandis plus quam Leo: in tota reliqua vita plus quam Philosophus.



PRINCEPS
FRIDERICVS
ACHILLES, &c.
DIC TU
PAULE EUBES-WALDIÆ BARO.

ORA-

ORATIO PAULI EVBESWALDIAE BARONIS; pro BRITANNIA.





SI QVIS IN HOC illustri consessu urbem aliquam laudaret insignem; cujus solum circumcirca incredibili rerum omnium, quas necessitas & deliciæ quærunt, proventu lætissimum, incolarum omnium vota superet; cujus robur & invicta murorum, fossarum, propugnaculorum, armorumque præstantia omnem vim hostilem rejiciat; cujus magistratus ubique justitiam administret examussim; cujus denique cives omni pietatis, virtutum, scientiarum, artium & elegantiarum omnium, & pulchritudinis laude floreant supra mortales omnes: non opinor futurum quemquam, qui hujuscemodi urbem videre non gestiat, eamque cunctis aliis longe anteferendam esse non arbitretur. Ego vero, illustrissime Princeps & Præses, jam tibi non urbem, sed magnum re-

gnum, imo aliquot magna regna, quæ in unum maximum regnum ſub uno nomine & Rege uno maximo feliciſſime nuper coaluerunt, laudabo: cui propter incomparabiles dotes, nec alibi ſic collectim inveniendas, non tantum omnes illas regiones, quæ hactenus exquiſitis laudibus ornatæ ſunt, ſed & quaſvis ab aliis forte adhuc laudandas, fidenter & vere poſtponere auſim: minime ambigens, laudationem hanc meam, & tuum excelſum judicium, & plerorumque Collegarum aſſenſum, merituram. BRITANNIAM intelligo, & præcipuo meritiſſime dignor honore; inſulam totius orbis celeberrimam & maximam:——— ὐδέ τις ἄλλη

Dionyſ. Af. in orb. deſc. Νήσοις ἐν πάσῃσι Βρετανίσιν ἰσοφαρίζει·

——————— totius orbis

eſt omnes inter par inſula nulla Britannis:

quæ a circumvicinis regionibus commodo undique intervallo disjuncta, gremiiſque paſſim patentibus univerſi orbis commerciis opportuna, & tanquam ad juvandos mortales avide in mare omni ex parte ſe projiciens, undiquaque cœlo & ſolo juxta fruitur feliciſſimo. Cœlum enim ita mite & temperatum eſt, ut æſtatis fervorem perennes auræ, terræ naſcentia recreantes, & homini pecorique ſaluberrime abblandientes, caſtigent ſuaviter, & hyemis inclementiam craſſiuſculus aer in frequentes ac ſedatas pluvias diſſolutus, mare quoque circumfuſum moderato tepore terras fovens, pene tollant; remiſſioribus frigoribus, quam in Gallia, aut Italia.

Solum

Solum autem ab omni frugum genere ita beatum est, ut in ea Cereris sedem fuisse recte dixerit Orpheus: Cæsar. l 5. de bel. Gal. Iov. in Brit.

———ἰδ' ἔνερθα δώματ' ἀνάσσης Δήμητρος.

———*Cereris regalia sunt hic ampla Deæ.*

Occidentalis equidem Imperii quasi horreum & cella penuaria diu fuit; unde DCCC navibus, quæ lembis majores erant, magnam frumenti vim in Germaniam ad limitaneos exercitus alendos quotannis exportabant Romani. Quam singularem & maternam naturæ benevolentiam in hanc insulam eleganter Poeta, nescio quis, expressit his versibus: Camd. in Britan Ed. Lond. A.C. 1607 in fol. p.2. ex Zosimo & Eum.

Anglia terra ferax; tibi pax secura quietem.
multiplicem luxum merx opulenta dedit.
Tu nimio nec stricta gelu, nec sydere fervens;
clementi cœlo temperieque places.
Cum pareret natura parens, varioque favore
divideret dotes omnibus una locis;
sepofuit potiora tibi, matremque professa;
Insula sis felix plenaque pacis, ait;
Quicquid amat luxus, quicquid desiderat usus;
ex te proveniet, vel aliunde tibi.

Et in eandem sententiam Eumenius Panegyristes præclarissime: *O fortunata & omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti! Merito te omnibus cœli ac soli bonis natura donavit; in qua nec rigor est nimius hyemis; nec ardor æstatis; in qua segetum tanta fœcunditas, ut muneribus utriusque sufficiat, & Cereris & Liberi; in qua nemora sine immanibus bestiis, terra sine* In Panegy. Cōstantini A. dicto.

 ser-

serpentibus noxiis; contra, pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte distenta, & onusta velleribus. certe quidem, quod propter vita diligitur, longissimæ dies, & nullæ sine aliqua luce noctes; dum illa litorum extrema planicies non attollit umbras, noctisq; metam cœli & syderum transit aspectus; ut sol ipse, qui nobis videtur occidere; ibi appareat præterire. Atqui fossa illa, quæ Britanniam ambit, & insuperabilem (rumpantur ut ilia hostibus) facit; non ita leviter transilienda est: *Oceanum* dico, vastissimum & apertissimum; regioni, qua qua patet, circumfusum: qui tantis æstibus concitus accedit, & recedit, ut *octogenis cubitis* supra Britanniam intumescere Pytheas Massiliensis prodiderit, & B. Basilius *mare magnum & navigantibus horrendum* dixerit. Late equidem modo campos vicinos inundat, modo refugit & nudat; tantaque vi semper grassatur, ut non solum flumina retroagat, sed & excursionibus suis terrestria deprehendat animalia, aut fuga præpropera destituat marina. Vidit enim & obstupuit singula quæque ætas monstrorum marinorum in litore ibi derelictorum copiam & immanitatem: nec temere Lyricus cecinit;

Cambd. in Britan. de Oceano Br. p. 720.

Hor. carm. l. 4. od. 14.

Belluosus qui remotis
obstrepit Oceanus Britannis:

Quinetiam fossam illam hyberno tempore navigare olim tanti erat, ut Libanius Græcus Sophista, in Panegyrico ad Constantium Chlorum; navigationem in Britanniam triumphi maximi instar extulerit; & Julius Firmicus, non ille Astrologus,

logus, ſed alter Chriſtianus, ad Impp. Conſtantem & Conſtantinum mirabundus exclamarit: *Hyeme (quod nec factum eſt aliquando, nec fiet) tumentes & ſævientes undas calcaſtis Oceani Britannici, ſub remis veſtris. Incogniti jam nobis pene maris unda contremuit, & inſperatam Imperatoris faciem Britannus expavit. Quid amplius vultis? Virtutibus veſtris victa elementa ceſſerunt.* Gaude igitur Britannia, & triumfa: natura tibi foſſam circumduxit, quam nullus hominum labor complanare, nullum ingenium & nulla machina ſiccare poteſt. Muniant licet Belgæ Oſtendam novis ſubſtructionibus; Albanus arcem Antuerpiæ inuſitato faſtu & opere ædificet ſua opinione invictam; Mediolanenſes Portæ Joviæ caſtrum Europæis aliis omnibus anteferant: Hungari ſuum Javarinum & Comorram, Turcæ ſuam Guletam, Veneti Palmam ſuam, Sabaudi ſuum Momilianum, Galli Rupellam, Bajonam, (in quam nemini ingredi licet armato, niſi Regi ipſi, & Regii ſanguinis Principibus, cum alii quicunq; arma ſua ad inferiorem urbis partem relinquere cogantur) & Ambianum ſuum; Hiſpani Malacam & Fuentarabiam ſuam, Poloni Smolensko ſuum, Sueci ſuam Calmariam, Dani ſuum Croneburgum, dilaudent; Alſatii Argentinam, Auſtriaci Viennam, Bavari Ingolſtadium, Wirtembergici Tuelam altam & Aſpergam; Brandenburgici Cuſtrinum, Haſſi Ziegenhanium, Sileſii Breſlaviam, Francones Norimbergum, Miſnii Konigſteinium; & alii alia loca bene munita

I. Firmicus de errore profan. religionum.

P. Merula, Coſm. p. 2. l. 3. c. 34.

prædicent: ſed qui illa omnia foſſæ Britannicæ voluerit componere, eadem opera is colliculum arenaceum monti Seniſio contulerit. Neque vero ſecuritatem tantum inſulanis, ſed & alias commoditates præſtat inæſtimabiles foſſa illa, mare illud. Nam quod ibi terrarum latifundia perpetua quadam caloris temperie animentur quaſi; quod aer vaporibus nutriatur & agri irrorentur; quod flumina innumeris piſcium examinibus repleantur; & ea omnia, & alia plurima, a mari ſunt. Non ſunt ibi piſcatorum labores fruſtranei: & ubique ſalmonibus, pafſeribus, paguris, aſellis, halecibus, congris, mugilibus, rhombis, phocis, cuculis, ſoleis, ſardis, raiis, oſtreis, locuſtis, cancris, & cæteris, inſidiæ præſentiſſimo lucro ſtrui poſſunt. Et *Halecees* quidem ſive *Leucomenidæ*, aut *Chalcides*, ſi ita mavis, cum proavorum ſeculo ad Norvvegiam tantum ſua quaſi ſtativa habuerint, noſtro tempore non ſine divino conſilio quotannis Inſulam totam immenſis exercitibus circumnatant. Circa ſolſtitium æſtivum ex alto litora Scotiæ petunt; quo tempore, quia pinguiores ſunt, ſtatim divenduntur: inde Anglica litora adeunt, & ab Auguſto medio ad Novembrem optima & uberrima eorum eſt captura, a *Scarborrough*, caſtro in Brigantibus, uſque ad Tamiſis oſtium. poſtea aliqua vehementiori procella in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Chriſti uſque Natalitia ſe piſcantibus offerunt. hinc Hiberniam utrinque pernatantes in Septentrionalem Oceanum

Cambd. in Br de Brigantı. p. 586.

num

num circumnavigata Britannia se transferunt, & ad Junium quasi subsistunt; & postquam ibi fatisficavêre, numerosissimo agmine regrediuntur. Quid *margaritas* dicam, post Indicas proximum dignitatis locum obtinentes, & quas rotunda specie mari Britannico natare ducem sectantes, more apum, Jubas memorabat? Earum spe Julius Cæsar Britanniam petierat, quas tanta magnitudine inveniebat, *ut in nonnullis manu exegerit pondus.* Atque ita mediis tranquilla in undis, velut alter orbis extra orbem, sedet *magna Britannia.* Quia vero illius beata amœnitas aliquibus fidem fecit *Fortunatas Insulas*, in quibus omnia perpetuo vere ridere tradunt Poetæ, in ea collocandi: & vix jam judicaverint aliud, qui judicium præjudicio nondum mancipaverunt: injurius sim in gentem & regionem illustrissimam, si salutato tantum litore, nec facta exscensione, statim orationis meæ navim domum vertam. Vt enim, qui *Illustre* hoc *Collegium* perlustratum advenit, non satis habet, id procul solummodo, extra urbem, ex alto despexisse; sed accedit propius; situm, structuræ formam, & symmetriam ponderat diligentius; intrat Athenæum, Bibliothecam, triclinium, gymnasia, conclavia, cubicula, hortum, & omnem ornatum interiorem intuetur; imo etiam in cunctis hisce summam Serenissimi nostri Principis & Patroni, Dn. JOHANNIS FRIDERICI, *Ducis Wirtembergiæ* magnificentiam, qua paternæ virtutis & potentiæ hæres atque æmulus supra alios hujus ævi

Cambd. de Occa. Br. p. 7. 1. ex Oug.

Suet. in Iulio, c. 47.

Is. Tzetzes in Com. ad Lycophr.

Principes Nobilitatem Germaniæ omnemque ejus posteritatem devinxit sibi universam, admiratur, & nisi invidus aut malignus meritorum censor est, simul cum omnibus *illustris Collegii* Studiosis publico nomine inclytæ Domui Wirtembergicæ solennes agit gratias, Divinam Majestatem veneratus, ut cœlesti perennique in hanc illustrissimam familiam effuso favore tantis beneficiis addere velit perpetuitatem: sic vero & nunc mihi faciundum est idem, cum omnium totius Orbis insularum primati, Reginæ & Imperatrici, decus suum asserere confidam, certe cupiam. In Insulam igitur exspatior, & primum incolis hominum pulcherrimis, omnique laude majoribus, dexteram, fidei tesseram, studiique & amoris nunqum intermorituri testem, porrigo. Et cur facerem aliter? Etenim cum in eos, qui salutem, a magnatibus aut amicis missam, nobis vel nunciant tantum, benevoli simus mittentium causa; & secus fecisse, inhumanitatem & incivilitatem vocemus: qua fronte *Doctoribus nostris*, & alteris parentibus nostris, Britannis; qui nos in re religionis & literarum erudierunr; qui nos ex impiis & barbaris, novas Christianæ pietatis doctrinæque animas quasi ex machina infundendo, novos homines effecerunt; qua, inquam, fronte, sine horrendo nefariæ ingratitudinis scelere observantiam & amorem perpetuum subtraheremus? Fuêre autem Britanni præ aliis populis semper *deditissimi religionibus*. Atq; uti in Druidum disciplina, cujus existimantur repertores, excolenda

da primas tenuêre: (ſiquidem Galli ejus accuratius cognoſcendæ deſiderio inflammati, diſcendi gratia in Britanniam proficiſcebantur) ita quamprimum Christi nomen innotuit, adeo flagranti germanæ probitatis adfectu curaque devota ſe iſti Deo noſtro humaniſſimo hominique diviniſſimo conſecravêre; ut pene prius Chriſtianæ fidei capita crediderint, quam audiverint; imbiberint, quam acceperint. Non defuerunt tamen, etiam in ipſa Eccleſiæ infantia, ſancti præcones, qui ſalutarem Liberatoris generis humani adventum illos gratulabundi edocerent. Nam ut Joſephum ab Arimathæa, nobilem Decurionem, quem e Gallia digreſſum eſſe in Britanniam memorat Baronius; atque *Claudiam Rufinam*, Auli Pudentis uxorem, Britannam, fæminam doctiorem an Chriſtianiorem haud facile dixerim, (& hodie Britannia Rufinas habet) a Divo Paulo & Martiali celebratam, non numerem: Simon Zelotes peragrata Mauritania in Britannia occubuiſſe; Petrus verbum Divinum ad Occidentalem Oceanum Britannicaſque inſulas pertuliſſe; Paulus quoque, vinculis Neronianis Romæ ſolutus, idem Gratiæ lumen in Britannia ſparſiſſe, feruntur. & hic, ait Poëta,

Cæſar. l. 6. bel. Gall.

Cambd. in Br. de Rô. p. 47.

Ann. Eccl. Tom. 1. ad An. Ch. 35. n. 5.

P. ad Tim. c. ult. Mart. l. 11. Epig.

Doroth. Tyri Ep. Niceph. & Sim. Metaphr.

Sophron. & Theodoretus.

tranſiit Oceanum, vel qua facit inſula portum,
quaſque Britannus habet terras, quaſque ultima
Thule.

Venant. Fortun.

Talibus tantiſque magiſtris uſi Britanni, precibus & rebus ſacris quotidie faciendis, templis magnifice extruendis, & quibuſvis pietatis ope-

ris atque operibus gnaviter peragendis, omnes certatim ita incubuerunt; ut primi Christianorum omnium Christianum Regem habuerint *Lucium*, circa A. Christi CL mum Christianam religionem amplexum; & postea; gloria non minori, *Constantinum*, primum Imperatorem Christianum, orbi terrarum educaverint. Et quemadmodum inter creberrimas tyrannorum persecutiones Ecclesiæ fundamenta jacta sunt; nam

De quo Beda l. 1. c. 4. H. Eccl. Cambd. in Br. de Rom. p. 52. & de Orig. P. 572.

sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit,
sanguine succrevit, sanguine finis erit:

sic nulla alia est regio, quam Britannia, quæ Christianismum conservarit constantius, professa sit sincerius; & quæ tot tantosque Principes, in *Sanctorum*, *Martyrum*, & *Confessorum* catalogum relatos, ostendere possit. Digna me-Christe, quæ propterea, non ut olim tenebris paganorum immersa ab impio illo Porphyrio dicebatur, *Ferax tyrannorum provincia*; sed *Regio Sanctorum fœcundissima* nominetur. Sed postquam nobilissimi illi Christi athletæ per aliquot secula ex quotidianis & acerrimis exercitationibus invictum fidei robur collegerunt; simulque institutis non paucis Musarum domiciliis ornatissimis, virtutum & scientiarum galea animos mascule induerunt: tunc veluti torrente benignitatis cœlestis obruti, & felicitatis suæ colonias deducere coacti, admirabili promptitudine miracula verbi divini & literarum adminicula liberalissime quaquaversum distribuerunt: *Winfrido*

Cambd. in morib. Br. p. 23. & de Anglo-Sax. P. 89.

frido inprimis, *Willebrodo*, & aliis, in Germania; *Alcuino* autem in Galliis, ubi Parisiensem Academiam, multarum Academiarum postea matrem, auspiciis Caroli Magni, discipuli sui, in vitam lucem & splendorem produxit; strenuam & egregiam operam navantibus. Nos Germani, Germanico more & candore, versibus poetæ Germani, tanti beneficii accepti memoriam hoc testemur modo:

Dissentit ab hac de origine Parisiensis Academiæ opinione St. Pas do R. de la Fr. l. 3. c. 23.

Hæc tamen Arctois laus est æterna Britannis;
quod post Pannonicis vastatum incursibus orbem,
illa bonas artes, & Graja munera linguæ,
stellarumque vias, & magni sidera cœli
observans, iterum turbatis intulit oris.
Quin se Relligio multum debere Britannis
servata, & late circum dispersa fatetur.
Quis nomen Winfride tuum, quis munera nescit?
Te duce, Germanis pietas se vera fidesque
insinuans, cœpit ritus abolere profanos.
Quid non Alcuino facunda Lutetia debet?
instaurare bonas ibi qui feliciter artes,
barbariemque procul solus depellere cœpit.

Et o homines Deo plenos! O viros bono Reip. natos! Quibus merito suo ex innumera heroum cohorte addo *Bedam*, qui pietate & eruditione *Venerabilis* cognomen adeptus est; addo *Io. Duns Scotum*, qui in Dialectica & spinosa Theologia ad miraculum doctissimus *subtilis Doctoris* titulum promeruit, & novam *Scotistarum* sectam condidit; Homero major, utpote cum de eo non civitates, sed regna contendant; Anglis vere suum,

Camd. in Brig. p. 606. Cambd. in Ott. p. 670. A. Gentil. de laud. Ac. Ox. Iul. Scalig. appellat illum *limam veritatis*: ad C. Exerc. [illegible]

ſuum, Scotis ſuum, Hibernis ſuum, ſuum quoque civem Gallis & Italis adſeverantibus; ſed vitæ exitu infelix, quippe apoplexia correptus & nimis feſtinato funere elatus, cum redeunte vita ſero morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra miſerabili mugitu opem petens, & diu ſepulchri lapidem pulſans, tandem in ipſo ſepulchro feſſam animam eliſit: addo *Io. Wickliffum*, virum ingenio ſubacto, & in ſacris literis verſatiſſimum; & huic geminum *Gul. Ockam*, patrem *Nominalium*; qui ambo Pontificem Romanum calamo ſtrenue ſunt aggreſſi; addo *Ioan. Baconthorp*, virum ſeculo ſuo tam varia & recondita doctrina præditum, ut ab Italis propterea *Doctor Reſolutus* vocaretur: addo *Ioannem de ſacro Boſco*, autorem de Sphæra; *Reg. Polum*, *Io. Coletum*, *Gul. Lilium*, *Gul. Grocinium*, *Th. Linacrum*, *Th. Lupſetum*, *Ric. Pacæum*, *Io. Fiſcherium* Roffenſem Cardinalem, *Th. Morum*, *Gul. Latemerium*, *Gul. Tindallum*, *Th. Craumerum*, *Io. Baleum*, *Cuth. Tunſtallum*, ſummarum artium ſcientia & vitæ ſanctitate nulli ſecundum, *Tob. Matthæum* Archiepiſcopum Eboracenſem, a Paulino, qui A. CHR. DCXXV primus conſecratus eſt, ſexageſimum ſextum, ſed erudita facundia primum; *Th. Stapletonum*, *Nic. Wottonum*, *Io. Ivellum*, *Io. Checum*, *Th. Beconum*, *Io. Foxum*, *Laur. Humfredum*, *Edm. Grindallum*, *Io. Whitgiftum*, *Edm. Plowdenum*, *Philip. Sidnejum*, *Rog. Aſchanum*, *Io. Cajum*, *Ant. Cocum*, *Thom. Smithum*, *Io. Seldenum*, *Gul. Whitakerum*, *Gul. Perkinſum*; *Rich.* *Monta-*

P. Iov. in elog. Doct.

Cam in Icenis. p. 349.

G. Lilius in Elog. Anglor. & H. Holland.

Montacutium, & *Gul. Gilbertum* Magneticæ Philosophiæ doctorem primarium, cujus eruditissimos commentarios frustra dedignatur, nimisque properanter, necdum satis cognita re, damnat Jos. Scaliger; tametsi de Gilbertica doctrina ista memini judicium tulisse haud paulo æquius meliusque nostrates Mathematicos; Ioan. Kepplerum, Gul. Schickartum, Io. Straussium; quorum equidem in hisce talibus τὴν ἀκριβῆ καὶ βεβασανισμένην ἔρευναν pluris facio, quam Scaligeri audaces subinde censuras & Dictatorio calamo scriptas opinationes: Addo denique *Rogerum Bachonum*, *Thomam Digesseum* atque *Ioannem Dee*, eximios Mathematicos; nec non *Gul. Cambdenum*, Strabonem Britannicum; & insuper *Io. Owenum*, seculi nostri Martialem. Verum Britannicum hocce Religionis & Literarum stadium liberiori passu ad metam decurrere, atque ex singulis pietatis & scientiarum decoribus triumfalem coronam pertexere, voluntas quidem, sed facultas nunc non est: cum in hac temporis angustia & aliæ gentis virtutes ac laudes hic necessario sint libandæ. Quod ergo opificibus solenne est, ut magisterii sui candidatos non in una tantum particula examinent prolixe, neglectis reliquis; sed totum artificii systema leviter pererrant, quæstiunculis dexteritatem illorum percontantes; ac pluribus velitatiunculis varie periclitantes; facile sic cognituri, quantum viribus eorum sit fidendum: eandem rationem & ego hic sequar. Quid igitur de Britannis amplius? *Omnium*

Ios. Scalig. in Epist.

um

Bod. in M. H. c. 5. Alb. Gentil. in laud. Acad. Oxon. *Per natura i Francesi sono sempre nimici de gli Inglesi.* G. B. Adiani. l. 7.

um Europæ populorum bellicosissimi & strenuissimi sunt Britanni. Quis hoc dicit? Gallus hoc dicit; Bodinus hoc dicit. Et quis nescit; *Gallis inimicitias fere per naturam esse cum Britannis?* Et quis nescit, Bodinum in laudem Gallorum ingeniose plurima, & in opprobrium aliarum nationum plurima improbe mentitum fuisse? Illustre profecto Galli, & quidem Bodini, de bellica Britannorum virtute testimonium: quod pro Gallis latum, leve esset; pro Britannis autem, gravissimum omnino debet esse. Neque hic falsus est Bodinus. Quamcumque enim temporum seriem consecter; ubique Britannorum victorias, trophæa, & triumfos, cum admiratione intueor. Nam si celeberrimas illas, & tantopere a tot præclaris scriptoribus decantatas expeditiones, fortissimo duce Brenno in Italiam, Græciam, & Asiam susceptas considerem; video Britannos illorum veterum Gallorum fortunæ & gloriæ socios; video *Brennum* ipsum (cujus herois apud populares suos etiamnum nobile est nomen, qui Regem sua lingua *Brennin* appellitant) Britannum fuisse. Si autem Romana arma, ambitionis & avaritiæ chalybe indurata, lustrem; DEUM immortalem! quam illa in Britannia fuerunt mortalia, ingloria, & hebetia? quam illa, cum alibi valuerint plurimum, nihil, aut parum valde, valuerunt in Britannia? quam turpiter falsi sunt Romani, esse *validissimas gentes*, & esse

Gambd. de Br. morib. p. 24 & de agro Den. p. 547.

Tacit. in Agricola.

Tibul.

——*invictos Romano Marte Britannos?*

Equi-

Equidem *Silures*, Britannorum popellus; *Caractaci* reguli ſui virtute & viribus confiſi; atque Claudii Imp. Romani voce proritati; qui, ut quondam Sugambri exciſi, ita Silurum nomen penitus exſtinguendum rebatur; adeo difficili bello Romanos divexarunt; cohortibus auxiliaribus interceptis; legione, cui Marius Valens præerat, fuſa; & vaſtatis ſociorum agris; ut P. Oſtorius, Britanniæ Proprætor, his ærumnis feſſus & curarum tædio confectus vita conceſſerit. Quid factum Carolo Magno? Deſcenderat is in aciem per legatos, & ter aut quater cum Britannis conflixerat; ſed tanta ſuorum clade & cæde, ut ſerio affirmaverit; *Si vel ſemel tantum cum illis adhuc ſibi depugnandum eſſet, ne unum quidem militem ſibi ſuperfuturum.* O elogium magnum! tantoque majus, quanto, qui protulit, omnibus ſui & poſteriorum temporum bellatoribus bellica laude fuit major. Sed Galli ſunt præcipui, qui ante alios Britannorum ſagittariorum fulmina cum tremore, horrore, & interitu, in pectoribus & viſceribus ſuis, exacte & diu ſenſerunt; qui ad inanem eorum ſtrepitum etiam hodie vehementiſſimo metu motuque concutiuntur; ut non abs re Bodinus ſcripſerit, *Gallos ſæpe ab Anglis maximas in ipſa Gallia clades accepiſſe, ac pene imperium amiſiſſe, nunquam in Angliam, niſi ab incolis accitos, penetrare potuiſſe.* Et Anglicus Martialis:

Anglorum ſenſit virtutem Gallia ſemper:
Ad Galli cantum non fugit iſte Leo.

Tacit. Ann. l. 12. & Cam. in Br. de Silur. p. 466.

P. Matth. in hiſt. H. IV. l. 7. c. 1.

Bod. in M. H. c. 5.

Quo-

Bellefores. Serres, Froissardus, & alii Passim.

Quoties enim Reges, Principes, Magnates, & universas Gallorum ingentes copias vicerunt, profligaverunt, ceperunt, deleverunt Britanni? Quoties per totum regnum grassati; provincias; urbes, oppida, vastaverunt, expugnaverunt, exhauserunt? Quoties opimis onusti spoliis; & Gallicis exuviis amplificati; patriam ditaverunt? Quam existimatis fuisse Galliæ faciem, Auditores? cum *Eduardus* III Angliæ Rex *Philippum Valesium* Galliarum Regem ad Cressiacum vinceret: ubi *interempti Gallorum circiter XXX millia*; & inventi inter cadavera *Iohannes Rex Bohemiæ*; (hic etsi captus oculis, in hostem tamen pugnare voluit) *decem Principes; octoginta Barones; mille ducenti Equites*; flos totius Nobilitatis Gallicæ; Philippus autem vix fuga evaderet; qui noctu ad Brojam arcem deveniens, Præfecto ad portam quærenti, *Qui va là?* miserabili voce respondebat; *La Fortune de France.* Miserabilis Philippus; qui temeritate sua regnum suum in pullam vestem conjecerat: felicissimus Eduardus; qui virtutis suæ ferula Gallicam insolentiam compescuit; & mox dupliciter felicissimus, quando *Iohannem* Philippi filium Galliæ; & *Davidem* Scotiæ; Reges captivos, Londini in mensa sua spectavit; majori gloria, quam olim *Eadgarus* Rex de Britannicis Principibus triumfavit; quem in triumfali navicula ad proram sedentem *Kinnadius* Rex Scotorum, *Malcolinus* Cumbrorum; *Matonus* Mariniæ & Insularum, omnesque Walliæ Principes in fidem adacti, quasi remiges remis incumbentes

P. Æmil. de reb gest. Fr. l. 9. in P. Vales. Froissar. H. l. 1. Serres in Ih. Val.

P. Iovius in Scotia.

A. Ch. 960. Cã. de Cornav. p. 459.

tes per Devam fluvium læto spectaculo duxerunt. Etsi vero Johanne Rege captivo Gallia eo inopiæ devenerat, ut *Arietini*, aurei arietis effigie insigniti; pluribus solito assibus æstimari cœperint, Carolo. Delphino id jubente, necquicquam Parisiensibus reclamantibus; & postea *coriacei numi trajecti clavo argenteo* fabricati fuerint, auro & argento ad redimendum Regem impensis deficientibus: tamen & hanc & illam cladem multo horribiliores tragœdiæ sub Carolo V, Carolo VI, Carolo VII, Ludovico XI, Gallis Regibus, usque ad *Boni publici* bellum secutæ sunt; hoc fere semper eventu, ut Britanni aut Galliæ Valesios, aut Galliam Valesiis extorquerent. Tenueruntque Britanniæ Reges continuata possessione per *trecentos ac quinquaginta annos* Aquitaniam & Normanniam; & adhuc per titulos & insignia totam Galliam tenent, haud dubie jus suum armis repetituri, quando occasio erit; interim præclara cum laude iis, quibus Parisiorum Senatus tot civitates feliciter gubernat, belli pacisque legibus sapientissime a se constitutis in Gallia relictis. *Hispanos* an præteribo? qui olim & hodie nil nisi vindictam in Britannos spirant; nil nisi cruces, furcas, & excidia somniant: sed qui nunquam sine vehementissimâ animorum commotione recordantur, ELISABETHAM Britannam Belgarum patrocinium palam suscepisse, Orbis Christiani Principibus masculam in muliere fortitudinem demirantibus, quæ potentissimo Monarchæ quasi bellum denunciare ausâ;

St. Forcat. de Gall. imp. & Th. l. 1.

Serres in Io. Vales.

Comin. l. 5. & Sleid. in notis. Th. H. l. 13. A. Gentil. de jur. belli, l. 1. c. 21. Contz. de falsa pace c. 5. P. Iov. in Br.

Camd. in An Ang ad An. 1585. adeo ut Suecorum Rex dixerit, *Elisabetham capiti diadema jam detraxisse, & dubia Martis alea exposuisse.* Quinetiam ferunt illi nunc ægerrime, Britannos toties in Indias feliciter ire & redire; Indis injustitiam, crudelitatem, atque veteratorias ipsorum artes detegere; in America multa loca occupare, & novam ibi Britanniam parturire: imo insane dolent illi, Britannos duce Roberto Essexiæ Comite, (qui ne immensis sumptibus Regina terreretur, privatim sua & propinquorum fide militibus navibusque armandis sexcenta florenorum collegerat millia) felici audacia Gadeis, frustra Gaditanis, & navibus regiis commeatu ac milite instructissimis, resistentibus, diripuisse; oras Hispaniarum & Lusitaniæ terrore suo in solitudinem redegisse, atque immensam prædæ vim asportasse. Atenim insaniant Hispani, quamdiu quantumque velint, etiam cum Orci intemperiis & infernalibus legionibus in Britanniæ perniciem conspirent: in illa tamen, si domesticis factionibus non scindatur, pedem nunquam ponent; adeóque verum esse deprehendent, quod Itali credunt, *Che il regno d' Inghilterra non ha bisogno d' altri per la propria diffesa; anzi non solo e difficile, mà si può dire impoßibile (se non è divisione nel regno) che per via di forze possa essere conquistato.* Ædificaverat *Philippus II* Rex Hispaniæ *stupendam classem* fere per triennium, tanta hominum rerumque omnium abundantia fartam, ut alter quidam orbis navigare videretur; eamque anno superioris seculi LXXXVIII^vo^ (quem Regio-

Ens Merc. Gallo-B.ct. 4.l.1. Meteran.Belg.H. l. 17. Reid. An. l. 13.

Thes. pol. p. 1.

De hac classe vide Meteran.Belg. H. l 15. Th. H. l. 89 Ens. Comm. de bello Gallo-Brit. 3. l. 1.

Regiomontanus ante ſeculum, *annum fore mirabilem*, & Chronologi *mundi climactericum* prædixerant) emiſerat in altum; ut Britanniam captivam, atque catenarum ponderibus conſtrictam, in Peruviam ad opus metalli deportaret. Conſtabat illa in univerſum CL *navibus*, admirandæ magnitudinis & roboris, quarum ſimiles Septentrio nunquam antea vidit. his vehebantur *nautarum millia VIII, & claßiariorum millia ſupra XX*; præter Nobiles & voluntarios, qui ſuis ſumptibus operam & fidem inſigni aliquo facinore Regi probare voluerunt. *tormentorum ex ære fuſili erant mille ſexcenta: e ferro, mille plus minus: globorum centum viginti millia*: reliqui apparatus bellici, infinitas. Et Rex ipſe æſtimabat; quod ex Didaco Pimentello legionis tribuno, qui in Hollandorum poteſtatem devenit, poſtea cognitum eſt; *claſſem continere hominum millia XXXII: & ſingulis diebus conſtare ducatorum millibus XXX*. Bernardinus autem Mendoza, Philippi Regis in Gallia orator, habito cum Gallico Rege ſermone narrabat; *inita diligenter ratione omnis expenſæ in claſſem, a quo tempore primum incepta eſt, antequam Oliſipone ſolveret, a rationalibus compertum eſſe, ſumptus in eam factos centies vicies centena millia aureorum excesſiſſe.* Trepidabatur undique in Belgio ad rumorem tanti monſtri marini adventantis; eoque magis, quod Parmenſis etiam terra marique ſolito majores copias conquirebat. Britanniæ Regina, Eliſabetha, a Galliarum Rege monita, diligentiſſime

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1588.

ſibi ſuiſque proſpiciebat, *Recuſantes* (hos vocant in Anglia, qui Proteſtantium ſacris, quod ſemel quoque anno ſingulis per leges faciendum, aut mulcta XX librarum Anglicarum menſtrua ſolvenda eſt, omnino intereſſe recuſant) Recuſantes, inquam, alioſque ſuſpectos in Elienſium & Viſbichienſium paludes relegando, quoſdam etiam per Epiſcoporum ædes diſtribuendo, militem conſcribendo, exercitum luſtrando, caſtra obequitando, naves inſtruendo, utramque Tamiſis ripam propugnaculis muniendo, omnia denique Palladis & ſtrenuæ bellatricis munia obeundo. Verum moles illa Oliſſipone ſolvens, mox ad Coronam Galliciæ promontorium, Oceani furiis fœde jactata, tres actuarias triremes amiſit: cum Britannus quidam remex, *David Guinus* nomine, ex tempeſtatis injuria & Hiſpanorum infortunio animum & occaſionem rei præclare gerendæ mutuans, effracta catena & ſociis aliquot mancipiis, Gallis & Turcis, liberatis, præfectos militeſque omnes iſtius triremis, in qua ipſe erat, occideret; atque ita una potitus, reliquas duas decumanis fluctibus graviter afflictas debellaret, & Bajonam Galliæ pertraheret; ambiguum, majori audacia, an meliori fortuna. Inde e portu Coronenſi egreſſa claſſis, recta Angliam verſus curſum tenet; ſed vix freti fauces ingreſſa, ſentit Hiſpanorum & Parmenſis expectationem evaneſcere; qui ſtolida ſpe nimis ſuperbe ſibi perſuaſerant, Britannicas & Belgicas naviculas, viſa tantum tantæ potentiæ & tot ar-

cium

cium velivolarum pompa, fugam arrepturas: quod etiam Petrus Valdesius, primariæ auctoritatis tribunus militum, Francisco Drako, cujus clementiam dedendo se, quam vires pugnando maluit experiri, fassus est; *qui plurimum Anglorum audaciam mirari se dixit; qui tam parvis, tamque paucis navigiis tantam classem adoriri non dubitassent.* Belgæ enim Parmensem in Flandriæ litoribus ita obsidebant; ut is ne unam quidem navem in mare subducere ausus fuerit: Britanni autem, quanquam omni alia re inferiores, quia tamen animis, virtute & promptitudine præstabant, intrepide gigantes Iberos aggrediebantur; navibusq; suis equorum instar summa agilitate circumrotatis, venti prærogativam præripiebant semper; atque momento fere elibrandis commodissime tormentis utroque latere obverso tantam vim grandinis mortiferæ undique eructabant, ut hostis se non defendere amplius, nedum offendere alios potuerit. Hoc modo per multos dies, & diversis in locis, ad Caletum usque hostilis classis velitationibus, præliisque salutata, excepta, vexata, cæsa & conquassata fuit: multis navibus cum magno deditit iorum numero, cum magna pecuniarum, vasorum argenteorum, cimeliorum, & variæ nauticæ suppellectilis multitudine, captis: multis submersis: multis ad colles arenarios ejectis: & nihilominus interim in vicina Gallia de Anglia jam ab Hispanis debellata rumore constanti passim circumlato. Tandem Britanni dolum virtuti jungentes, ut Hispanos de statione Caletensi pel-

lerent; octo naves viliores exinanitas, pulvere, ſulfure, pice, aliaque materia ad concipiendum & alendum ignem idonea, replent, eaſque tormentis inſtructas & incenſas, VIImo Auguſti, hora ſecunda poſt noctis meridiem, vento & æſtu ſecundis, contra claſſem emittunt: ad quarum conſpectum tanta inter Hiſpanos orta eſt trepidatio; ut amputatis rudentibus & expanſis velis extemplo pro ſe quiſque effugere, & in apertum Oceanum recipere ſe magno conatu laborarit. Ita claſſis longe Norvvegiam verſus ad LXIIum uſque gradum excurrens, & totam Britanniam Hiberniamque circumvecta, atque novo naufragio miſere mactata, domum rediit cadaveri ſimilima. Ita paupertas opulentiam, dexteritas potentiam fregit; ita fœmina virum, Regina Regem caſtigavit; ita aliquot naviculæ claſſem maximam, pauculi Britanni Hiſpanos pene innumeros domuerunt. Magnum clades iſta dolorem pleriſque omnibus in Hiſpania familiarum nobiliſſimis attulit: e quibus paucæ erant, quæ non gentilem aliquem, affinem, aut cognatum, vel naufragio amiſſum, vel in pugna cæſum captumve non luxerint: Rege proinde, cui id gnarum erat, premendis vocibus, & atratis privato cujuſque luctu veſtibus, ne mali in dies memoria recrudeſceret, breviſſimum edicto ſpatium ponente. In Britannia contra, feſto ad diem XXIX Novembris gratiis agendis & ſacris faciendis indicto, (quod etiam in Belgio confœderatorum Ordinum juſſu factum

ctum est) Regina curru triumfali e palatio per urbem Londinensem ad primarium templum San-Paulinum vecta, equo devictorum Hispanorum insignia & vexilla propendentia ferente, magnificentissime triumfavit. Zelandi autem tantæ victoriæ memoriam apud posteritatem per monumentum quoddam deposituri, numum argenteum & æneum percusserunt, qui in una facie referret Zelandiæ arma, cum hac inscriptione, SOLI DEO GLORIA; & in altera magnas aliquot naves, cum his verbis, CLASSIS HISPANICA; super additis in circumferentia istis, VENIT, IVIT, FVIT. In Gallia autem, cum non ita pridem Hispani novam parturirent Hispaniam, & legitimo Rege Legeque Salica (qua LILIA NON LABORANT NEQVE NENT.) neglectis, alium sive Hispanum sive Hispanicæ factioni addictum legi percuperent: quid non laboranti vicino regno præstitit officiorum & auxiliorum fortissima & fidissima magna Britannia? In Normannia ad Dieppam, in Picardia, in Armorica, alibi, ab Hispanis acceptæ clades luculentum Britannicæ virtuti perhibent testimonium: & potissimum illa famosa Crodunæ expugnatio; ubi accidit tunc res inter Anglum & Hispanum laude & exemplo, quod ad posteros transmittatur, digna; etsi dolendum est, nomina utriusque intercidisse. Tenebat Crodunam Thomas Praxedes, veteranus belli dux, cum CCC delectis Hispanis: quam dum pertinacissime propugnat ille, Io.

Aumontius, illustrissimus ac vetustis heroibus æquandus imperator, qui locum obsidione cinxerat, edicto præcepit, ne cui præsidiariorum a milite gratia fieret, & si qui caperentur, coram se sisterentur, qui de iis arbitrio suo statueret. Sed jam expugnata Croduna, plerisque præsidiariis atque ipso etiam Praxede interfectis, dum Anglus ille abdita scrutatur, in Hispanum incidit, a quo olim in Belgio contra pari severitate conditum edictum fuerat servatus; agnitumque hominem complexus bono animo esset jubet, *Et hodie faciam*, inquit, *ut intelligas, beneficium bene collocatum nunquam perire. nam vitam, quam tibi debeo, prius amittam, quam permittam, ut tibi vita eripiatur.* Igitur ab æmulis accusatus, quod Hispanum apud se celaret, & ab Aumontio ut captivum sisteret jussus, audacter respondit, *Se ei salvam vitam promisisse.* & cum in edictum commisisse argueretur, *Si de edicti*, inquit, *severitate nihil remittitur, sum paratus pro eo pœnam subire, ea lege, ut Hispano vita salva, sicuti ei promisi, maneat; & is sciat, se meo beneficio servatum.* Cum mirarentur omnes, qui aderant, & Aumontius a reo quæreret, quid causæ esset, cur Anglus tantopere Hispanum diligeret, ut pro eo vitam ponere non dubitaret. Anglus rem, ut erat, exposuit. Qua intellecta Aumontius valde commotus est, & providentiam Dei admiratus, qui tam præclaram occasionem homini generoso gratiæ bene merito de se Hispano rependendæ obtulisset; utrumque lau-

Th. H. l. 111.

laudatum & donis oneratum dimiſit. Audiviſti, magne Princeps, de ſummo pietatis ſtudio, de exquiſita literarum cultura, & perfecta fortitudinis gloria Britannorum. Et quæ natio religioſa laudari poteſt, ſi Britanni non ſunt? quæ docta & literata, quæ ſtrenua & bellicoſa, ſi Britanni non ſunt? Verum enimvero, qui tantarum virtutum concurſum miratur: (& quis non miretur?) is velim cogitet, tantam inter Reges Britanniæ & eorum ſubditos intercedere neceſſitudinem; tanto deſiderio utroſque ad felicitatis humanæ faſtigium contendere, & fide tanta debitum utroſque facere officium; ut nihil tam ſit arduum & difficile, quod illis in tali actionum harmonia & concordia mutua non ſit proclive & facile. Quærimus enim in Rege vere *regiam poteſtatem & majeſtatem*? Ecce Britanniæ Reges ſuprema & abſoluta præditi auctoritate, præter DEUM, ſuperiorem inter homines agnoſcunt neminem; peregrinam juriſdictionem, ne tantilla quidem in re, inſigni ſupra Hiſpaniarum & Galliarum Reges, Pontificum famulos, prærogativa, venerantur nullam; & nullos ſubditos habent, qui peregrino imperio ullatenus ſint devincti. Et ecce, *Henricus VIII*, *Eduardus VI*, *Eliſabetha*, & *Iacobus*, omnem *ſervi ſervorum*, & *domini dominantium* dominatum de cervicibus Britanniæ fortiter & pie depulerunt; ſceptro a ſervitute quaſi manumiſſo, & immenſa pecunia, quæ pro *primitiis*, *indulgentiis*, *appellationibus*, *diſpenſationibus*, *palliis*, & id genus aliis,

Camd. de Ordd. Ang. p.118. Mete. Belg. H. L.13.

A. Gent. de Leg l. 1. c. 4. & in Diſp. de pot. Reg. abſoluta.

Camd. Ann. Ang. An. Ch. 1559.

Romam assidue exportari solebat, domi retenta: Henrico etiam tributum annuum jam ab *Inæ* temporibus pendi solitum (is enim regnum Papæ fecerat vectigale, singulis argenteis numis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis) abrogante; ac pœnam capitis, si quis supremam potestatem Pontifici adscribat, constituente. Quærimus in Rege *justitiam & clementiam?* Ecce Britanniæ Reges æqua lance jus distribuunt omnibus; aditu quibusvis concesso liberrimo, blande audiunt desideria omnium; refractarios comitate & facilitate flectunt ad obsequium, quantum possunt; nec ultima experiuntur, nisi quando alii remedio amplius non est locus. Et ecce *Eduardus senior* ad viculum *Austclive*, in Comitatu Glocestrensi, subditi *Leolini*, Walliæ reguli, enormem contumaciam humanitate & indulgentia correxit mirifice. Cum enim ambo Sabrina fluvio dividerentur; & Leolinus ad Eduardum colloquii causa trajicere nollet; hic ad illum transiit. *Videns autem ipsum & agnoscens Leolinus, projecto pallio solenni, (nam se foro paraverat) usque ad pectus ingressus est aquam, & cymbam amplectens, ait: Sapientissime Rex, tua humilitas meam vicit superbiam, & sapientia triumfavit ineptiam: collum ascende, quod contra te fatuus erexi; & sic intrabis terram, quam tibi hodie tuam fecit benignitas. acceptumque humeris super pallium suum sedere fecit, & junctis manibus sibi fecit hominium.* Quærimus jam in Rege *tranquillitatis & securitatis publicæ tuitionem?* Ecce Bri-

De tributo vide P. Virg. l. 4. H. Ang. M. Becanū de primatu R. A. cap. 6. Sleid. Com. lib. 9.

Jac. Rex. l. 2. Reg. Inst.

Verba Gu. Mapai, qui ante annos CCCC floruit. Camd. in Brit. de Dobun. p. 256.

Britanniæ Reges pacant omnia, tranquillant omnia, a latronibus hominum & pecorum tuta faciunt omnia. Et ecce *Ælfredus* Anglus, advertens in regno ſuo raptores licenter graſſari, omnia itinera brevi tempore tam reddidit pura ſanctaque, *ut ſi viator quantamcunque ſummam pecuniæ in campis, vel publicis compitis veſperi demiſiſſet; mane, vel poſt menſem rediens, integram & intactam videret.* Et ecce *Eadgarus*, crudelitatem & tyrannidem *luporum* in homines oviumque greges cum magna ſtrage diu exercitam deteſtans, *Luduallo*, Merviniæ Principi, *tricenos in ſingulos annos vectigalis nomine imperando*, non longo temporis intervallo carnivoras iſtas beſtias omnes ex tota Anglia ita extirpavit; ut poſtea, & etiamnum, lupus non minus ſit peregrinus in Anglia, quam Leo, aut Elephas. Quærimus in Rege *curam ditandi ſubditos?* Ecce Britanniæ Reges ſubditos ſuos locupletant, ornant, amplificant; eoſque evadere Craſſos, quam Codros, Crœſos, quam Iros malunt. Et ecce *Eduardus III pannificium* in Anglia inſtituit primus; ex quo privatorum opes & regni patrimonium tanta ſumpſerunt incrementa, ut etiam hodie inter Reipub. columina merito numeretur; nec inepte *per ſaccos laneos, rubro panno tectos*, quibus in regni comitiis diverſorum tribunalium Iudices, Rotulorum Magiſtri, Secretarii Status, inſident, *commodum lanarum & ovium non negligendum eſſe, Parlamentum moneatur.* Pannos enim Anglicos Suecia, Dania, Polonia, Gallia, Germa-

Verba Ingulphi Croulandenſis. Cãd. de Brit. div. p. 114. Malmesb. & Camd. in Mervinia. p 530. adde Camer. M H. Cen. 1. c. 28.

Camd. in Cant. p. 247.

Meteranus Belg. H. l. 13.

mania, semper æstimavit magni, & emit magno: *& nuper una Antuerpia ex uno Londino ducenta pannorum millia quotannis accepit.* Quid? quod opes plane incomparabiles ex Anglorum commercio redundarint, ex quo Ludovicus Malanus Flandriæ Comes, circa annum CHR. 1338, Anglos immunitatibus amplissimis concessis ad emporium lanæ Anglicæ Brugis Flandriæ constituendum illexit. Iam inde enim ex concursu omnium fere gentium in Flandriam ad pannos ex Anglica lana aliasque Anglicas merces emendas & suas distrahendas, incredibile est, quantum res mercatoria, institoria, navalis & piscatoria, apud Belgas floruerit. Adeo ut *lana Anglica* verum fuerit Belgis *Vellus aureum*, cui inclytus ille *Militaris ordo Velleris Aurei* suam originem, & Burgundiæ Duces ingentes divitias debuerunt. Certe *hoc nostro tempore* (ut rationum tabulæ ostendunt) *commercium inter Anglos & Belgas duodecim milliones aureorum in singulos annos superavit, & panni Anglici Antuerpiam quotannis exportati V millionibus aureorum sunt æstimati.* Et ecce *Divam Elisabetham*, quæ non tantum indictionibus non ursit subditos, sed etiam tributa, quæ tertio quoque anno exigi consueverant, sustulit: imo cum regni ordines aliquando magnam pecuniæ summam pro sumptibus Reipub. necessariis offerrent, illa magnam partem recusavit, ac populo gratias egit; dictitans, *pecuniam in subditorum arculis esse perinde ac in suis.* Quid vero audio? quod novæ huic virtuti no-

Camden. in Trin. p. 313.

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1564.

Bodin. de Re. l. 6. c. 2.

Camd. An. Angl. 1566.

nomen dandum est? Alibi fere omnium comitiorum & conventuum summa est; *pecunia, pecunia*: sed in Britannia, etiam ab Ordinibus oblata pecunia non accipitur. Credat hoc olim sera posteritas, & fidem adhibeat; *Elisabetham virginem* quadraginta quatuor annos ita sceptrum sine ullo vel vetustorum vel præsentium temporum exemplo tractasse; ut illam subditi amaverint ut matrem benignissimam, vicini Principes coluerint ut reginam sapientissimam, hostes metuerint ut ultricem justissimam, & totus Christianus orbis cum admiratione suspexerit ut pacis & tranquillitatis publicæ conservatricem; quippe quæ quasi heroina & honoraria arbitra inter Hispanos, Gallos, & Belgas sederit; ut illud patris HENRICI usurpare potuerit, CUI ADHÆREEO, PRÆEST; & verum fecerit, quod ille scripsit, *Galliam & Hispaniam esse quasi lances in Europæ libra, & ANGLIAM lingulam sive libripendem.* Quærimus autem *subditorum* erga Principes & Dominos suos *observantiam & fidem?* Ecce Britanni Principes & Dominos suos venerantur humilime, coluntque fidelissime. Et ubi veneratio major? Ecce nunquam illos alloquuntur, nunquam officia sua præstant illis, nisi adorantium in morem, ad genua subsidentes: etiam absentiam & umbram illorum honorant; cum nemo tegat caput in illo conclavi, ubi est sedes regia; nemo locum, in quo regia sigilla asservantur, sine honoris exhibitione prætereat. Et ubi fides illustrior? Ecce subdi-

Plerunque omnium Germaniæ comitiorum summa est, pecunia, dixit Iovius. Clapmar. de arc. Rerūp. l. 6. c. 13.

Camd. in Ann. Angl. A. Ch. 1577.

Meteran. H. Belg. l. 13.

Bod. in M. H. c. 6.

P. Matth. in hist. H. IV. l. 4. n. 3.

subditi insidiantium mucronibus pro illis se objicere promptissimi, omnia jussa capessunt; omnia præstant; & quicquid præstant, etiamsi magnum est, infra æstimationem beneficii regii putant. Atque iste adfectus non in summis habitat pectoribus, aut in lingua natat; sed veri certique est judicii, imis mentis sedibus alligatus, vitæque immixtus & unitus, resolutis etiam morte corporibus cum immortali mente victurus. Cum Hispanus ante hos L annos per clandestinos internuncios cum Duce Norfolciæ & Ormondiæ Comite egisset; ut hic in Hibernia, ille in Anglia Elisabethæ Reginæ facesserent negotium; quod tamen illi, qua fuerant in Reginam fide, ingenue aperuerunt; quamprimum maritimi Angliæ populi hæc comperissent, incredibile est, quanta alacritate maria insiluerint, & quam late piraticam in Hispania exercuerint; adeo, ut ad eos cohibendos edictis fuerit opus. Et quid quærimus multa? Is inter Britanniæ Reges & cives est morum & vitæ concentus; qui in optime constituta familia inter patrem & filios intercedere potest suavissimus; in quo hoc minus discordiæ & subversionum decipulis relinquitur locus, quo moderatur omnia circumspectius & prudentius JACOBUS, ille Principum gemma, & Regum decus, ille orbis amor, & patriæ pater, ac plane ad Homericum perfecti Regis exemplar,

Camden in Ann. Angl. A.Ch. 1569.

Iliad γ. Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής:

de quo illud, in honorem Constantini Magni dictum, verissime usurpare possumus; *Dii boni, quid*

quid hoc est, quod semper ex aliquo supremo fine mundi nova Deûm numina universo orbi colenda descendunt? Si hic jam finirem, illustrissime Præses; sine dubio pro ea, qua vales, æquitate & justitia, satis dictum censeres, ad sententiam pro Britanniæ principatu ferendam: sed quemadmodum peregrina regna transeuntibus positum in more est, ut singularum provinciarum memoratu digna in codicillos referant; ita patere, quæso, optime Princeps, ut pulcherrimam terrarum per suas aliquot partes adhuc brevissime percurram; tibique collectas admirandorum decimas offeram, promptius intellecturo, nullum aliud regnum in comparationem venire posse. A *Cornwallia* sive *Cornubia*, frugum feracissima, quas cum Hispania quotannis liberalissime dividit, Camden.in Danmon. facio initium: in qua præter aurum, argentum, adamantesque ab ipsa magistra natura in angulos eleganter conformatos & lævigatos, *stannum* p.134. copia effoditur incredibili; ex quo vasa domestica ducta apud omnes Europæos in mensarum usu argenteis fulgore æquiparantur. Atque uti ora illius regionis maritima creberrimis nitet oppidis, ad numerosam classem conficiendam satis potentibus: ita ibi quæstus colligitur longe maximus e piscibus illis, quos *Pylchardes* vocant; p. 135. qui immensis examinibus ad litora a Julio ad Novembrem circumfusi capiuntur, exenterantur, saliuntur, infumantur, condiuntur, premuntur, & in Galliam, Hispaniam, Italiamque exportantur; quibus sunt gratissimæ merces, & *Fumados*

dos appellantur. Sed ſingulare, & quod curioſos in ſtuporem dare poteſt, eſt celeberrimum ſaxum *Main-Amber*, parum diſtans ab emporiolo *Penſans*: illud quamvis ſit vaſtiſſimum, digitulo tamen moveri poteſt, ſed à loco ne a magna quidem hominum multitudine dimoveri poteſt. Niſi *Tindagium* plus mereatur venerationis, locus memorandus ab incunabulis magni illius Regis *Arthuri*; qui ob ingentis animi magnitudinem per omnes gentes poetarum præconio celebratus, hac tamen laude maxime illuſtris eſt; quod *rotundæ menſæ* proceres, ab heroica virtute lectiſſimos, in amicitiam auguſtiſſimis devotos legibus conſecravit: cui

p. 136.

pag. 241. & in Belg. p. 166. &c.

P Iov. in Br.

priſca parem neſcit, æqualem poſtera nullum
exhibitura dies: reges ſupereminet omnes;
ſolus præteritis melior, majorque futuris.

J. Iſcanus in Antioch. de Arth.

Ex Cornvvallia tranſilio in *Devoniam*; ubi nec ſtanni ditiſſimas venas, Cornvvallicis ne tantillum quidem cedentes, nec Dertmoricos magnetes nuper inventos, nec Kirtonium natale ſolum *Winifridi* illius Germanorum Apoſtoli; qui Haſſos, Thuringos, & Friſios ad Chriſtum convertit; nec item Exoniam, quondam Regum Weſt-Saxoniæ ſedem, laudibus efferam: *Plimmouthum* tantum jam contueor, oppidum; ſi ex capacitate æſtimetur, minime magnum; ſin a portus commoditate & incolarum virtute, apud omnes gentes longe maximum. Hinc enim, ut alia omnia taceam, fuit *Franciſcus* ille *Drakus*, Eques auratus, in gloria navali noſtræ memoriæ facile prin-

Cam. in Br. p. 345.

princeps :. qui primum, ut damna quæ ab Hispanis acceperat resarciret, Mexicanum sinum toto biennio victoriis quasi obsidebat, isthmumque illum Darienæ peragrabat; unde cum Australe (quod vocant Hispani) mare prospexisset, navigandi illud tanto flagrabat ardore, ut eo loci in genua procumbens divinam opem imploraric ad desiderium istud suum explendum : imo quasi novus Themistocles Miltiadis trophæis excitatus, sibi, patriæ, & suæ gloriæ defuturum se existimabat, nisi mare illud perlustraret; ita animo semper obversabatur. Anno igitur superioris seculi LXXVII^mo^ solvens Plimmoutho, Australe illud mare per Magellanicum fretum ingressus, orbem terrarum inter varias fortunæ vicissitudines triennio secundissime circumnavigavit. Quo tempore non solum variarum gentium hactenus fere nobis ignoratarum leges, studia, mores, ritusque admirabiles annotavit; novas terras, & præsertim *novam ALBION* detexit; *mare Australe* (quod *Pacificum* vocant) turbidum supra modum expertus est; partem cœli Austrino polo proximam pauculis iisque minoris magnitudinis stellis ornari, tresque tantum primæ magnitudinis in illo hemisphærio conspici, quas Anglia non viderit, observavit; deprehendit quoque, cum fretum Magellanicum ægre eluctatus Aquilonem versus tenderet, sperans hoc sese cursu Peruvianum regnum feliciter aditurum, recenteis tabulas Geographicas illis locis mutilatas aut non fideliter descriptas

Cam. In An. A. Ch. 1580.

Vide Cam. in An. Ang. A. Ch. 1580. Th. H. l. 71. Meteran. H. Belg. l. 10.

Ll esse,

esse, erroremque ad minimum XII gradus excedere, & discriminis maximi credulis hominibus causam præbere: verum etiam ultionis impetu in Hispanos hinc inde terra marique converso, multis eorum navibus direptis invidendas conquisivit divitias; cepitque in unica *Cacofoga* (id navi opulentissimæ nomen) præter pretiosissimas gemmas & uniones inprimis, *optimi auri XXC libras, argenti signati factiq; XIII arcas, & argenti infecti vim tantam, quanta navi in saburram sufficeret.* Et erat tunc mediastini Hispani jocus non illepidus, qui cum *Cacofoga* vacua abiturus ad Drakum dixisse fertur: *Nostræ navis nomen jam tuæ resignamus: nostra CACOPLATA*, id est, *ARGENTICACA deinceps vocabitur: tua autem CACOFOGA*, id est, *IGNICACA ut vocaretur, capta nostra meruit.* Verum rediit Drakus in Angliam incolumis magna gratulatione & lætitia ab Elisabetha reginæ exceptus; quæ & illum ob expeditionis tam feliciter susceptæ gloriam laudatum Equestrique honore decoravit, & prætoriam ejus navem *PUBLICANUM*, ad perpetuam rei memoriam, insigni ceremonia consecravit. O præclarissimum Angliæ Jasonem! ô *PUBLICANUM* cœlo dignam! Vive Drake, vive

I. Owen.

Drake, pererrati novit quem terminus Orbis,
quemque semel mundi vidit utrumque latus:
si taceant homines, facient te sidera notum;
atque polus de te discet uterque loqui.

PLUS ULTRA Herculeis inscribas, DRAKE, columnis:

& ma-

& *magno, dicas, HERCVLE MAIOR EGO.* *Dorsetiam* si non aliud, saltem Biertportium in agro optimæ cannabis feraci situm, commendare possit: ubi funes nautici & rudentes tanta solertia & arte ducuntur, ut privata ad præfinitum tempus lege cautum fuerit; non alibi funes, quibus Anglica classis uteretur, contorqueri debere. *Somersetia* autem, quam ampla, quam opulenta, quam populosa est? in qua veluti gemma radiat *Bristolia*, urbs ad aspectum ita pulchra; publicis privatisque ædificiis ita exornata; omnibus ad vitæ necessitatem pertinentibus bonis ita instructa; civibus ita frequens, ut inter Britannicas post Londinum & Eboracum sit prima. Bristolienses mercaturam uberrimam per Europam exercent, & in remotissimam usque Americam excurrunt, ad id portus sui; qui in ipsum urbis sinum naves passis velis admittit, commoditate invitati. Avona etenim flumen Oceani irruentis æstu tantopere intumescit, quoties luna a meridiano fastigio devergit, locumque oppositum prætermeat, ut naves in vado hærentes ad undecim & duodecim ulnas extollat. Avona etiam, antequam in Sabrinianum æstuarium se exonerat; præaltis utrinque rupibus obvallatur: quarum altera ad ripam orientalem, sancti Vincentii nomine; *adamantum* adeo fœcunda est; ut quis modios inde impleat; & existimationem pretiumque (nam uti duritie solummodo Indicis cedunt; ita eosdem colore translucido provocant; &

Cam. in Br. Durotrig. p. 145.

Camden. in Belg. p. 173.

p. 174.

quia laterum ſexangulo vel quadrangulo lævore a natura ipſa turbinati ſunt, etiam vincunt) copia tantum invideat: altera vero ad ripam occiduam, non minus adamantum eſt ferax; quos cavi & rufeſcentes ſilices, ceu fœtu gravidi, in ſe miro naturæ artificio & induſtria continent. *Wiltoniam* nobilitant Martis pulli, & fortia incolarum facinora: multis quoque locis ex eo celebritatem nactis; potiſſimum tamen *Edindono* olim, ubi *Alfredus* Rex nobili, ſi unquam alias, prælio graſſantem Danorum audaciam ita contuderat, & coegerat eos, ut conceptis verbis jurarint, ſe protinus ex Anglia ceſſuros; hodie vero *Wardouro*, eleganti caſtro, quod præcipuum debet ſplendorem Baroni ſuo, *Ioanni Arundellio*, qui cum pio inſtituto in ſacram militiam contra Turcos, juratos Chriſtiani nominis hoſtes, peregre profectus eſſet, ob ſingularem virtutem in expugnando Strigonio Hungariæ, honorariis literis ab Imp. Rudolpho II *Comes Imperii* fieri meruit, hiſce verbis: *Quod fortiter & ſtrenue ſe geſſiſſet in apertis præliis, & in civitatum & caſtrorum oppugnationibus, & ſpectato fortitudinis exemplo in expugnatione oppidi Aquatici juxta Strigonium vexillum Turcis ſua manu eripuerit, Ipſum, omneſque & ſingulos liberos, hæredes, & poſteros & deſcendentes legitimos utriuſque ſexus natos, æternaque ſerie naſcituros veros Sacri Imperii Comites & Comitiſſas creavimus, fecimus, & nominavimus, tituloque, honore, & dignitate Comitatus Imperialis auximus, & inſignivimus &c. Hantoniam*

vero,

vero, cum alia multa, tum *Southantonium*, urbecula peramæna, facit illustrissimam; & præsertim ob heroicum illud potentissimi *Canuti* Angliæ & Daniæ Regis factum, quo assentatorem, omnia ad regis vultum & nutum converti asserentem, ibidem loci repressit. Et cum nulla factio in Principum aulis sit validior, quam illa adulatrix: quæ dum serviliter nimis gratiam aucupatur, Reipub. & Principum familiis pestem & interitum non raro accelerat: audi, Princeps, sapientiam Canuti; & una aulicos istos Placentinos animitus mecum detestare: *Sedile suum Canutus* (verba sunt Historici) *in litore maris, cum ascenderet, statui jussit. dixit autem mari ascendenti: Tu mea ditionis es: & terra, in qua sedeo, mea est; nec fuit, qui impune meo resisteret imperio: impero igitur tibi, ne in terram meam ascendas, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacias. Mare vero de more conscendens pedes regis sine reverentia madefecit. Ille igitur resiliens, ait: Sciant omnes habitantes orbem, vanam & frivolam regum esse potentiam; nec regis quempiam nomine dignum, præter eum, cujus nutui cælum, terra, mare, legibus obediunt æternis. Nec unquam postea coronam sibi imposuit, &c.* Nec minus *Odiam*, regiis nunc ædibus superba, & Davidis II, Scotorum regis, carcere nota, quondam Episcopi Wintoniensis municipium, gentis fortitudinem ab oblivionis injuriis tutam & securam reddit; cujus propugnaculum regnante Johanne *tredecim Angli* quindecim diebus fortissime

Hũtingdonensis. Cã. in Belg. p. 189.

p. 194.

Matt. Paris H.An. p. 272.

ſime contra Ludovicum Francum, qui circumfuſo exercitu acriter invaſit, defenderunt. In *Bercheria* quot occurrunt memorabilia? Readinga oſtentat cineres Henrici I Regis, & *Matildis* Auguſtæ; quæ perinde ac Lampido illa Lacedæmonia regis *filia*, regis *uxor*, regis *mater* fuit: ut & verſus iſti tumulo inſcripti teſtantur;

Plin. H. N. l. 7. c. 41. Camden. in Attreb. Br. p. 205.

Ortu magna, viro major, ſed maxima prole,
hic jacet Henrici filia, ſponſa, parens.

Ille fuit *Henricus I* Rex Angliæ: iſte fuit *Henricus IV* Romanorum Imperator: hic fuit *Henricus II*, etiam Rex Angliæ. Sed *Windeſora* merito familiam ducit, amœniſſima deliciarum domus, quæ multis Regibus cunas, hoſpitium & ſepulchrum præbuit. Et in hac ad Galliam vincendam natus eſt *Eduardus III* Rex bellicoſiſſimus: qui, ad virtutem militarem ſplendore ac præmiis magis excitandam, nobiliſſimam *Equitum auratorum ſocietatem*, in quam poſtea magni Imperatores, Reges, Principes exteri, cooptari honori ſummo duxerunt, hic itidem conſcripſit.

p. 207.

In *Surria Nonneſuchum*, ſeceſſus Regius, omnium circumquaque ædificiorum luminibus obſtruit; opus ab omni artificum elegantia ita perfectum, ut omnem Architectonices peritiam in eo coacervatam eſſe, a naturæ ſolertia & ſitus opportunitate ſic abſolutum, ut ipſa amœnitas, ubi cum ſalubritate una cohabitet, non aliam ſibi ſedem delegiſſe videatur. Per *Suthſexiam* ferri venis paſſim fœcundam, multiſque tam terræ quam incolarum dotibus ſpectandam, ingredior

Cam. in Br. Regn. p. 215.

Can-

Cantium. Hæc eſt nobilis Britanniarum portio: pratis, paſcuis, arviſque ubique læta; pomis ad miraculum abundans; nec non ceraſis, quæ anno ab V. condita DCLXXX^mo in Italiam e Ponto per L. Lucullum devecta, & viceſimo ſupra centeſimum poſt in Britanniam tranſlata, feliciſſime hic proveniunt, arboribus in quincuncem jucundiſſimo ſpectaculo directis: villis, oppidis, & ſtationibus ſatis tutis frequens: humanitate civium & olim & hodie celebris: bellatoribus tantæ virtutis præcellens, ut in procinctu exercitus frons Cantianis, tanquam triariis, merito inter Anglos debeatur. Loca vero ante alia viſenda ſunt; *Grenovicus*, regiis ædibus ſplendidus, ſed nativitate Reginæ Eliſabethæ multo ſplendidior: *Roffa*, quæ in Medvveago navale exhibet claſſi omnium, quas ſol vidit, bellico apparatu inſtructiſſimæ, & in omnia momenta paratiſſimæ, ab Eliſabetha Regina ad ſuorum tutelam & hoſtium terrorem maximis impenſis ædificatæ: *Cantuaria*, ſedes Archiepiſcoporum; qui ut olim Pontificis Romani Legati, & veluti alterius, ut dixit Vrbanus II, orbis Patriarchæ erant; ita nunc, abrogata Pontificum autoritate, Primates & Metropolitani totius Angliæ dicuntur: *Dubris*, ſive Dovera, in ipſo cautium divortio confidens,

Plin. H. N. lib. 15. c. 25.

I. Sarisbur. in Policratico. Camd. in Brit. Cantio. p. 230.

p. 231.

p. 236.

p. 239.

——————*gemini qua janua ponti*
faucibus anguſtis, lateq; frementibus undis,
Gallorum Anglorumq; vetat concurrere terras;

p. 243. The Strait of Calicis.

trajectu in Galliam celebre eſt oppidum; cau-

tumque olim lege erat, ut nemo, qui religionis gratia peregre proficiſceretur, alibi trajiceret. Miſſo Cantio, in reliquam Angliam abeo. *Gloceſtriam* urbs cognominis Gloceſtria honeſtat multum; ſed non tantum, quantum *urbs Oxonienſis* Angliam univerſam. Eſt hæc ſitu ſaluberrima: ſiquidem planitiem ejus ita circumſident nemoroſi colles, ut hinc peſtilenti Auſtro, illinc tempeſtuoſo Zephyro excluſo, tantum ſerenantem Eurum, & Aquilonem corruptionis vindicem admittant: eſt etiam nitida publice & privatim, undiquaque elegans; ſed caput pulchritudinis eſt, quod *Academiam habet antiquiſſimam*, & in quatuor nobiliſſimis, quæ ſunt *Oxonium, Lutetia, Bononia, Salamantica*, primam; populoſiſſimam, & frequentiſſimam: quæ jam Eduardo primo regnante *triginta millia Studioſorum* cenſuit. Et quid de illo Collegiorum genere, ubi non tam docetur, quam alitur juventus, & ſubſidia ſtudiorum in certos annos habet, dicam? Oxonium hic magnificum eſt: neque credam, in orbe terrarum ſimile nunc eſſe, addam & fuiſſe. Magnæ ibi opes & vectigalia; bibliothecæ animatæ præſignes. Verbo Lipſii dicam: *unum Oxonienſe Collegium ſuperet vel decem Belgica.* Oxonienſis quoque fuit (ut nec hoc ſileam) *Richardus I* Rex Angliæ, vulgo *Leoninus*, animi excelſi & erecti pleniſſimus: Reipublicæ Chriſtianæ, Anglorum gloriæ, & paganorum terrori natus. Agrum *Buckinghamienſem* innumeri ovium greges, earumque mollia & tenuiſſima vellera

Cam. in Br. Dob. p. 254.

p. 267.

A. Gent. de laud. Acad. Ox. *eſt mater Acad. Pariſienſis.* Sc Gent. de juriſd. l 3. c. 17 Armach. Cam. p 270.

Lipſ. in Lovanio. l. c. 5.

Camb. pag. 269.

p. 179.

ab Asiaticis usque gentibus expetita; *Bedfordiensem* optimæ fabæ, sua redolentia, dum in agro sunt, odoram illam canum vim non sine venatorum indignatione prorsus hebetantes; *Hertfordensem* Verolamium suo cive *S. Albano*, Stephano & protomartyre Britannico, clarum, illustrant eximie. In *Midlesexia* autem plurima sunt ubique memoranda: sed *Londinum*, Britannici Imperii sedes, inter omnes Europæ urbes eminet. Nihil non præclarum Londini, nihil non pulchrum, nihil non excellens: & quorum bonorum alibi magna raritas, quodque sequitur magna charitas est; eorum Londini magna copia, & quod sequitur, magna vilitas est. Habet Londinum elementum utrumque mancipio: habet solum lætum; unde vix credenda omnium rerum affluentia & exundantia: habet Tamisin ad omnia servitia paratissimum, qui statis horis Oceani æstibus superbus, alveo tuto, præalto, & navium quamlibet magnarum & multarum capacissimo, tantas Orientis & Occidentis opes quotidie invehit & evehit, ut orbis Christiani emporia in certamen de palma venire cum illo non ausint. Stupent exteri intuentes sacra profanaque palatia, & opera inusitati splendoris: arcem, quam *Turrim Londinensem* vocant, munitissimam: Bursam, quam Regina Elisabetha *Excambium Regium* dixit, ad negotiatorum usum; pontem saxeum XIX fornicibus, præter versatilem unum, constantem, & speciosis ædificiis in formam plateæ utrinque decoratum; Prætorium Comitiis Parlamen-

Cam. in Br. Catieuchl. p. 286.

p. 293.

Cam. in Br. Trinobant.

mentariis & foris judiciariis dicatum ; Regiam vere regiam ; & templum Westmonasteriense, plurimorum Regum, Principum, Magnatum & literatorum sepulchris, præsertim Henrici VII sacrario (quod Lelandus *orbis miraculum* vocavit) augustum; & San-Paulinam ędem Episcopalem undiquaque ornatissimam. Ingentem præterea populi multitudinem alere Londinum , vel hoc testimonio sit; quod jam Gulielmi Normanni seculo , facta hominum armigerorum ostensione , *quadraginta millia peditum , equitum viginti millia* sub signis eduxerit. quem numerum nondum fuisse imminutum affirmabit ille, qui illic CXXI eccelsias , (quot nec ipsa Roma ostendit. Thomam Bozium enim , qui in Romana urbe atque suburbiis numerat *tria millia templorum* , pipulo absolvimus .) præter nosocomia & xenodochia numeraverit; & in pædotrophio orphanos plus minus DC, aliosque pauperculos circa MCCXL, collata stipe sustentari viderit. Laudabo Londinum cum humanissimo & eruditissimo Londinensi, Cambdeno meo:

Fitz.Steph.

Cam. in Br. Trinobantibus. p. 313.

LONDINUN *gemino procurrit litore longe*
æmula materna tollens sua lumina Troja,
clementer surgente jugo dum tendit in Ortum:
urbs peramœna situ, cœloq; soloq; beata,
urbs pietate potens, numeroso cive superba,
urbsq; Britannorum quæ digna BRITANNIA *dici.*
Hæc nova doctrinis Lutetia, mercibus Ormus,
altera Roma viris, Chrysæa secunda metallis.

Essexiam virtus *Iohannis Hawkwood* (Itali *Acucthum* cor-

corrupte vocant) mirifice insignit; quem illi sic æstimaverunt, ut quæcunque is prospere gessisset, & hostes & socii pro documentis & militaris disciplinæ præceptis habuerint; postea etiam Senatus Florentinus propter insignia merita Equestri statua & tumuli honore fortissimum virum ornarit. Sed sunt alia tria Essexiæ decora, non contemnenda. Primum est ager Waldenensis, croco sativo blandissimus; cujus proventus est tantus, ut e singulis jugeribus octoginta, vel centum plus minus croci, dum humidum est, pondo colligantur; quæ siccata ad viginti pondo conficiunt. & quod peculiariter memoriæ tradendum est; solum, quod tres continuos annos crocum protulit, hordeum sine stercoratione annos octodecim affatim profundet, denuoque crocum non recusabit. Secundum est sinus maris, optimorum illorum ostreorum, quæ Angli Wallfleet nominant, & olim Romanorum gula inter exquisitissimas retulit delicias, piscatu percelebris. Tertium est Centuria *Dengy*, ubi casеariis operibus omnia fervent, virique muliebri officio oves mulgent; unde casei raræ magnitudinis conficiuntur, qui non modo per Angliam, sed etiam per exteras regiones ad saturandos agrestes & opifices distrahuntur. Sed in *Suffolcia* pascuorum pinguedo laudem casеariam adhuc magis illuminat. Hic enim non solum, ut in Essexia, casei magno cum incolarum commodo, qui eos in Germaniam, Galliam & Hispaniam, divendunt, coagulantur: verum

P. Io. in El. illust. vir.

Camden. in Trinobant. p. 326.

p. 324.

p. 320.

Cam. in Bε. Icenis. p. 334.

verum etiam Placentinis iidem colore & sapore a peritis Medicis conferuntur. At quid caseos loquor? Suffolciam, imo totam Angliam, mirum quantum exornavit nuper *Thomas Cavendishus*, qui tertius a Magellano insigni gloria orbem terrarum circumnavigavit. *Norfolcia* ingeniorum versutissimorum, & JCtorum acerrimorum est altrix; præter hoc tamen soli bonitas, quæ partim ex incolarum nitore, partim ex agriculturæ labore minimo, (ager enim vili equo, & a parte altera jugi anu vomerem trahente, facile proscinditur) fructuque maximo, colligitur; & halecum piscatus, qui haud procul Norvvico, urbe clarissima, totius orbis est copiosissimus; invidiam vicinorum difficulter amoliri possunt. Comitatui *Cantabrigiensi* universus literatorum ordo annuos panegyricos & laudationes solennes debet. Quis enim Academiæ Cantabrigiensi XVI pulcherrimis Musarum sacrariis sive collegiis, pari cum Oxonio numero, coruscanti; doctrinæ & eruditionis antistitibus, & omnium scientiarum alumnis florenti; & salutaribus adversus ignorantiæ & inscitiæ scabiem thermis undecunque celeberrimæ; illud gratitudinis officium non præstet? *Huntingdonensem* ditionem ruris studium, sapientiæ consanguineum, non patitur latere in obscuro. Quin Gormonchestria, vicus ab agresti Philosophia ubique in Anglia laudatissimus, Reges Angliæ hac itinerantes olim centum octoginta aratris, rustica quadam pompa eductis, se excepisse etiamnum gloriatur. *Northantonia* ostendit

Pantaleon Medicus.

Cam. in An. Angl. A. C. 1587. Camd. p. 346.

p. 348.

p. 357.

p. 367.

dit nobilium villarum, oppidorum, & ecclesiarum raram multitudinem. Camden.in Br. Coritâ. alibi enim XX, alibi XXX plus minus, sacræ pyramides simul oculos jucundo spectaculo pascunt: & longe lateque excurrentes campi ovibus, ut fere ubique in Anglia, sunt quasi obsessi. p. 374. *Leicestria* propter carbones fossiles Coleovertonenses, quos in vicinas provincias ad extruendos focos liberali manu distribuit, merito bene audit. p. 317. *Lincolniam* amplissima urbs Lincolnia, avorum memoria quinquaginta sacris palatiis clara; nec non Sempringhamia, religioso & mirabili Gilbertinorum ordine celebris; p. 406. facile adversus temporis & hominum injurias cum posteritatis applausu vindicant æternitati. p. 402. Nec fraudat suis encomiis *Nottinghamiensem* provinciam Workensopum, lætissimo glycyrrhizæ proventu nobile; p. 514. nec *Darbiensem* optima cerevisia Darbiensis, & potissimum pars terræ occidentalis ultra Derventionem plumbi feracissima; p. 519. ut Chymistæ, qui planetas tanquam criminis reos ad metalla damnant, Saturnum, quem plumbo præficiunt, p. 420. Anglis animo esse benigno, quod plumbum concesserit, Gallis infenso, quibus denegavit, ridiculo errore tradiderint. *Warwicensis* pagus variis ferri venis dives fabriles operas plurimum juvat. Camden.in Br.Cornav. p. 432. *Vigornia* autem per salinas suas nobilissimas; atque insuper pyra sua, & ex horum vinoso succo fictitium vinum, *Pyrry* dictum; fluviatiles quoque murænas, quibus in Sabrina circa Holtium, Beauchamporum castrum, viva-rium

In Comit. Worcestrensi & Salopiensi sepes omnis est onusta *Crustumiis Syriisque pyris, gravibusq; volemis.* Merc. Brit. in M. altero. l. 1, c. 2.

tium fecisse videtur natura; cujusmodi olim crescente luxu excogitarunt Romani; non immerito honorum brabejum ambit. *Staffordia* plurimum laudis & fructus haurit e piscoso *Trenta*: quem imperiti quidam a Gallica dictione *Trente* dictum somniarunt; unde etiam finxerunt *triginta* fluvios in illum influere, *totidemque piscium genera* in eo natare; quorum nomina rythmo Anglico decantant accolæ. in mirabilem autem lacus Staffordiensis naturam Nechamus ita:

de laudib. div. sapientia.

rugitu lacus est eventus præco futuri;
cujus aquis fera se credere nulla solet:
instet odora canum virtus, mors instet acerba;
non tamen intrabit exagitata lacum:

in mirabilem, inquam, naturam inquirat Plinius aliquis, & Physicorum sagacissimus ordo. Cam. p. 451. *Salopia* lætatur suæ metropolis schola numerosissima, cui Minerval honestissimum *Thomas Aston* primus Scholarcha, vir optimus & integerrimus p. 448. sua opera comparavit; & fonte *Pitchfordensi*, cui liquidum bitumen indies, quamvis diligentissime despumetur, innatat; perinde ac in Asphaltite Judææ lacu, in Samosatæ stagno, & Agrigentip. 456. no Siciliæ fonte. *Cestria* æque ac *Vigornia* penu salarium est: hac tamen dignatione floret maxime, quod nulla alia Angliæ provincia plures Equestres familias in censum ferre possit. *Here*Camden. in Br. Silurib. *fordia*, si ulla alia regio, alendis frugibus nusquam non mitissima; nobili marmore, & præterea *Lemsteriana lana*, cui (excepta Apula &

Ta-

Tarentina) palmam relinquunt reliquæ Europææ omnes, beata eſt. *Radnoria*, *Brechinia*, Comitatus *Monumethenſis*, & *Glamorgania*, ſupra alias eximias dotes, piſcibus undiquaque, & nominatim ſalmonibus, trutis, umbris, abundant. Ex agro *Maridunenſi*, *Penbrochia*, & *Ceretica*, tribus non ignobilibus provinciis, tria tantum recito. Ex illa primum eſt, fons non longe Mariduno diſtans, qui, ut ſcribit Giraldus, naturali die bis undis deficiens, & toties exuberans, marinas' imitatur inſtabilitates. Ex iſta eſt alterum, portus Milfordenſis, quo non alter eſt in Europa aut nobilior, aut tutior, tot anguloſis receſſibus, tot portuoſis ſtationibus diſtinctus: ubi Camden.in Br. Dimet. P.504. P.510.

——— ———*exarmatum terris cingentibus æquor*
clauditur, & *placidam diſcit ſervare quietem.*

Ex hac tertium eſt, fluminis Tivii ad Kilgarranum lapſus ex alto præceps; *ſalmonis* ſaltum dicunt; eoquod ſalmones interiora fluminis ex Oceano petentes, cum obſtaculum hoc occurrit, caudam ad os replicant, interdum etiam ad majorem ſaltus efficaciam caudam ipſam ore comprimunt, dumque a circulo hujuſmodi ſe reſolvunt, cum impetu quodam, tanquam virgæ circulatæ explicatione, ſe ab imis ad alta intuentium admiratione tranſmittunt; ut ſcitiſſime ſcripſerit Auſonius: p.512.

nec te puniceo rutilantem viſcere ſalmo
tranſierim; latæ cujus vaga verbera caudæ
gurgite de medio ſummas referuntur in undas.

Monſ-

Cam. in Br. Ordovicib. pl 524. *Montgomeriam* laudant equi laudatissimi; quorum illa est fœcunda genetrix: *Merviniam* prædicat lacus *Pimble meare*, quem Deva fluvius integer transmeat, exitque tantus & talis, quantus & qualis venit; adeo ut nec *Guiniad*, peculiares lacui pisces, in Deva videas; nec salmones, qui sunt in Deva frequentes, in lacu capiantur.

p. 530.

Io. Leland.

Illud habet certe lacus admirabile dictu;
quantumvis magna pluvia non æstuat: atqui,
aere turbato, si ventus murmura tollat,
excrescit subito rapidis violentior undis,
& tumido superat contemptas flumine ripas.

Cam. p. 535. *Arvoniam* pretiosam facit Conovius fluvius, conchas alens, quæ cœlesti rore gravidæ margaritas parturiunt. Ditionem *Denbighiensem & Flintensem* convallium incredibilis amœnitas, salubritas, & ubertas; incolarum quoque firma sanitas & annosa senectus, speciosis titulis efferunt. In Cam. in Brigantibus. *Eboracensi* provincia, totius Angliæ patentissima, numerus eorum, quæ simul & oculos & animos contemplantium singulari jucunditate reficere possint, excrescit multum. Est ibi Hudlestonia latumia nobilissima; e qua lapides cum p. 567. primum excisi, sunt molliores; vento autem & aere indurati, evadunt solidissimi. Est ibi fons *Dropping Well*, in quem quicquid ligni immittip. 570. tur, lapideo cortice brevi obducitur, & lapidescit. Est ibi agrorum tractus, quem dum anseres illi immansueti, hyberno tempore lacus & fluvios p. 587. in Australibus partibus non congelatos gregatim petentes, transvolant, in terram non sine suma-

ſumma omnium admiratione ſubito decidunt. Eſt ibi in littore circa caſtrum *Moultgrave* ſuccini nigri copia, ſive Gagatis, quem inter rariores lapides gemmaſque habuerunt veteres; aitque recte Poeta, p. 587.

naſcitur in Lycia lapis, & prope gemma Gagates: Marbodeus de gemmis.
ſed genus eximium fœcunda Britannia mittit,
lucidus & niger eſt, levis & læviſſimus idem:
vicinas paleas trahit attritu calefactus;
ardet aqua lotus, reſtinguitur unctus olivo.

Eſt ibi *Scarborrough*, caſtrum inſeditiſſima rupe; in cujus ſubjecto mari halecum piſcaturam Hollandi & Zelandi exercent quæſtuoſiſſimam; venia prius ex caſtro veteri inſtituto impetrata. Veniam enim piſcandi ſemper concesserunt Angli, honore ſibi reſervato, utilitate vero exteris quaſi per deſidiam reſignatâ. Eſt ibi Ripponenſe templum; quod *S. Wilfridi acus* avorum ætate fecit celeberrimum. iſta erat anguſtum in cryptoporticu foramen; quo mulierum pudicitia explorabatur: ſiquidem id caſtæ tranſibant facile; ſed quæ famæ dubiæ, neſcio quo miraculo conſtrictæ detinebantur. Eſt ibi Halifax, eſt Kingſtonium, oppida mercatoria magni nominis; illud ex re pannaria, hoc ex Iſlandiæ piſcibus induratis quaquaverſum divendundis, ingentes divitias conſequutum. Eſt ibi, quod primum dicere debueram, *Eboracum*; Brigantum, gentis fortiſſimæ, & apud meliores autores inprimis celebratæ caput; urbs Angliæ ſecunda, ampla, munita; opibus, operibus, civibus, & Archiepi- Cam. p. 586. P. 570. S. Wilfrids Needle. p. 564 & 78. p. 556.

ſcopali ſede, illuſtris: & ſi priſcorum temporum dignitatem obſervare velimus, uti decet, Imperatorum Auguſta ſede illuſtriſſima. In hac enim Severus Imperator palatium ſuum habuit, una
l. 1. C. de rei vindicat. cum Antonino Auguſto reſcripta dedit, & animam in hæc verba exhalavit: *Turbatam Remp. ubique accepi; pacatam etiam Britannis relinquo.* In hac anno poſt Severi obitum plus minus centeſimo Fl. Val. Conſtantius, cognomento Chlorus, Imperator omnibus virtutibus & Chriſtiana pietate inſignis, mortalitatem, cum prius
P. Jov. in Br. Baron. An. Eccl. ad An. Ch. 306. Sed vide Lipſ. de M. Rom. l. 4. c. 11. & not. ex priore conjuge Helena Britanna Conſtantinum Maximum (an Eboraci, non certe conſtat, conſtat certe in Britannia) ſuſcepiſſet, explevit: in hac Conſtantinus Max. Romanæ urbis liberator, quietis fundator, publicæ libertatis auctor, patris ſpiritum excepit, & Imperator ſalutatus
Cam. p. 591. eſt. Sed pergo in *Richmondiam*: cujus montes ære, plumbo, & carbone foſſili gravidi, ſunt grati. gratior eſt Swala fluvius, , antiquis Anglis merito ſacer habitus; cum in eo, uno die, quando Angli primum Chriſto initiabantur,
p. 593. pluſquam *decem millia virorum*, præter fœminas & parvulos, a Paulino vitali baptiſmo feſtiva lætitia fuerint regenerati. gratiſſima eſt nobilis
p. 592. *Medcalforum* familia, totius Angliæ his temporibus numeroſiſſima; *cum nuper Chriſtophorus Medcalfus, trecentis equitibus ejuſdem familiæ & cognominis, eodem amictu, ſtipatus, Juſticiarios Aſſiſſarum Eboracum deduxerit.* Epiſcopatus *Dunelmenſis* agri fertilitate cum agricolarum laboribus certant,

& non

& non raro vincunt. *Lancastriæ* bonitatem æstimare licet ex incolarum habitudine, qui ab aspectu sunt inprimis decori; & ex bobus, qui sunt proceris cornibus & composito corpore, nec Magonis Carthaginensis apud Columellam censuram reformidant. *Westmorlandiæ* oppidum Kandale, lanificii gloria cumprimis præcellit. *Cumbriæ* Oceanus piscibus repletus est optimis, & negligentiam accolis, minus gnaviter piscaturam exercentibus, quasi exprobrat. Quid? quod in amniculo *Irt*, mare petente, conchæ ex rore, quem veluti maritum appetunt, oscitatione quadam hausto, fiunt gravidæ margaritasque sive baccas concheas pariunt; quas accolæ residente aqua venantur, ac parvo vendunt gemmariis, non parvum inde quæstum facturis. Habet insuper Cumbria æris venas opulentas, non sine auro & argento, jam olim inventas: sed a *Daniele Hochstettero* Germano Augustano nostro tempore denuo repertas: tantum abest, ut Ciceronis illud verum sit; *neque argenti scrupulum esse ullum in insula Britannia.* Nec Cæsar, si has novisset fodinas, Britannos importato ære uti scripsisset; cum hæ & aliæ ærariæ non solum universæ Angliæ sufficiant, verum etiam magna vis quotannis exportetur. Vltima autem Angliæ provincia est *Northumbria*: sed primis existimatione par. Incolæ enim sunt bellicosissimi, & velites optimi; cumque omnino Marti se veluti consecrarint, non est inter eos quispiam melioris notæ, qui suam turriculam aut munimentum non habeat.

P. 610.

P. 624.

P. 630.

P. 61[illegible]

Cic. ad Attic. Ep. 14. lib. 4.

Cam. In Br. Ottadin. p. 658.

Et hactenus, optime Princeps, bene magnam Britanniæ partem, ANGLIAM nempe, illam Innocentii IV Pont. Max. elogio *vere hortum deliciarum & puteum inexhaustum*, qua potui brevitate & festinatione tantum non pervolitavi; & ostendi, satis amplam & illustrem felicitatis terrenæ partem ultra Oceanum in fortunatissima Britannia hodie sitam esse. Doleo vero hoc unum inprimis, nobis omnibus simul nunc non esse occasionem oculis æstimandi admiranda, & singularia Angliæ quævis; quod si fieret; quavis sponsione certaverim, neminem non vestrûm meam jejunam nimis & sterilem laudationem in negligentiæ culpam tracturum, & exclamaturum, *auget præsentia famam.* Ac licet de Britannia hic plura profari videri possit intempestivum: tamen, si & reliquas provincias, laudibus suis inclytas, vel uno saltem ictu in speculo vobis monstravero, nemo, uti spero, mihi vitio vertet: præsertim, cum omne Britanniarum imperium, quod non ita pridem Angli & Scoti separatim possidebant, nunc unus & solus *Iacobus, Magnæ Britanniæ Rex*, felicissime gubernet. Vbi dememinisse non possum fatalis & regalis illius *saxi*, quod olim Kenethus, Pictis ad internecionem occisis, ex Hibernia in Argatheliam translatum, in *Scona* celebri monasterio Regibus Scotorum consecrandis lignea cathedra inclusum collocaverat, atque id postea Edvvardus I Rex Angliæ Westmonasterium deferendum curavit; de quo vaticinium vulgo jactitatum, & cui felicitas JACOBI nuper fidem fecit, est istud:

M. Paris H. Angl. p. 683.

Ni

Ni fallat fatum, Scoti quocunq; locatum
Invenient LAPIDEM, *regnare tenentur ibidem.*

At quid præclarum dixi de Anglia, quod non possum æque dicere de SCOTIA; quæ cum Anglia veluti una urbs eadem fossa, mari scilicet, circumambitur? Sita est illa commodissime, & ita æstuariis undique intersecta, ut nulla domus in ea sit, quæ aquam marinam ultra viginti leucas excludat. Nulla etiam toto orbe regio volatilium, omnisque generis avium, & ferarum, quæ aucupiis atque venatione parantur, ubertate copiosior: nulla fluminibus, lacubus, & toto denique Oceani litore piscosior: nulla majoris minorisque pecoris carnibus abundantior; quæ ita delicatæ sunt, ut ferinis præferantur; & plures bubulæ summam saporis dignitatem attribuant. Tanta vero ubique venatio se se offert, ut vel recta & quotidiana convivia tripartitis cœli ac terræ marisque ferculis onerentur. Non exspatiabor in singulas provincias: & naturæ miracula maximaque beneficia, hinc inde in hunc Septentrionis angulum confertim collata, silentio jam obibo. Si enim *aurifodinam* tantum, inter Craufordiæ tesqua tempore Jacobi IV Scotiæ Regis repertam, e qua Azurum quotidie fere sine ullo labore eruitur; & si Sutherlandiæ *ex candido marmore surgentes montes*, dignis laudibus exornarem: omnem Philosophorum turbam, frigidas istas plagas omni auro omnique carere marmore pertinaciter nimis asseverantium, penitus confunderem; & vobis desiderium plura

Camden. in Scot. p. lov. in Scotia: G. Buchan. & Boethi de reb. Scoticis.

Et hactenus, optime Princeps, bene magnam Britanniæ partem, ANGLIAM nempe, illam Innocentii IV Pont. Max. elogio *vere hortum deliciarum & puteum inexhaustum*, qua potui brevitate & festinatione tantum non pervolitavi; & ostendi, satis amplam & illustrem felicitatis terrenæ partem ultra Oceanum in fortunatissima Britannia hodie sitam esse. Doleo vero hoc unum inprimis, nobis omnibus simul nunc non esse occasionem oculis æstimandi admiranda, & singularia Angliæ quævis; quod si fieret; quavis sponsione certaverim, neminem non vestrûm meam jejunam nimis & sterilem laudationem in negligentiæ culpam tracturum, & exclamaturum; *auget præsentia famam.* Ac licet de Britannia hic plura profari videri possit intempestivum: tamen, si & reliquas provincias, laudibus suis inclytas, vel uno saltem ictu in speculo vobis monstravero, nemo, uti spero, mihi vitio vertet: præsertim, cum omne Britanniarum imperium, quod non ita pridem Angli & Scoti separatim possidebant, nunc unus & solus *Iacobus, Magnæ Britanniæ Rex*, felicissime gubernet. Vbi dememinisse non possum fatalis & regalis illius *saxi*, quod olim Kenethus, Pictis ad internecionem occisis, ex Hibernia in Argatheliam translatum, in *Scona* celebri monasterio Regibus Scotorum consecrandis lignea cathedra inclusum collocaverat, atque id postea Edvvardus I Rex Angliæ Westmonasterium deferendum curavit; de quo vaticinium vulgo jactitatum, & cui felicitas JACOBI nuper fidem fecit, est istud:

M. Paris H. Angl. p. 683.

Ni

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Inveniunt LAPIDEM, *regnare tenentur ibidem.*
At quid præclarum dixi de Anglia, quod non possum æque dicere de SCOTIA; quæ cum Anglia veluti una urbs eadem fossa, mari scilicet, circumambitur? Sita est illa commodissime, & ita æstuariis undique intersecta, ut nulla domus in ea sit, quæ aquam marinam ultra viginti leucas excludat. Nulla etiam toto orbe regio volatilium, omnisque generis avium, & ferarum, quæ aucupiis atque venatione parantur, ubertate copiosior: nulla fluminibus, lacubus, & toto denique Oceani litore piscosior: nulla majoris minorisque pecoris carnibus abundantior; quæ ita delicatæ sunt, ut ferinis præferantur; & plures bubulæ summam saporis dignitatem attribuant. Tanta vero ubique venatio se se offert, ut vel recta & quotidiana convivia tripartitis cœli ac terræ marisque ferculis onerentur. Non exspatiabor in singulas provincias: & naturæ miracula maximaque beneficia, hinc inde in hunc Septentrionis angulum confertim collata, silentio jam obibo. Si enim *aurifodinam* tantum, inter Craufordiæ tesqua tempore Jacobi IV Scotiæ Regis repertam, e qua Azurum quotidie fere sine ullo labore eruitur; & si Sutherlandiæ *ex candido marmore surgentes montes*, dignis laudibus exornarem: omnem Philosophorum turbam, frigidas istas plagas omni auro omnique carere marmore pertinaciter nimis asseverantium, penitus confunderem; & vobis desiderium plura

Camden. in Scot. p. Iov. in Scotia: G. Buchan. & Boethi § de reb. Scoticis.

cognoscendi nunc importune moverem. Hoc in præsenti sit omnibus instar omnium miraculorum: Scotiam bonarum frugum ditem adeo probum proferre triticum; (cedat hic Zelandicum triticum, quod tamen ad oryzam proxime accedere, ajunt.) ut cum *pane Scotico*, sane candidissimo, levissimo, & maxime solutili, nullus præterea tota ex Europa comparari mereatur. Nimius quoque sim, si *viginti seculis* illustrissimum regni *sceptrum*, (*& est a primo Fergusio Iacobus Britannicus Rex hodie centesimus octavus*) si Nobilitatem copiosam & bellatricem, si populi ingentem probitatem ac fidem, (datur enim honoris causa ob eximiam fidem hoc Scotis militibus in Gallia, ut singulari privilegio jam a Carolo V concesso custodes Regii corporis sint præcipui; ita, ut inter tria satellitia *Scoti* stipatores obtineant locum *primum*, *Helvetii secundum*, *Galli* vero *ultimum*) si item urbes & oppida insignia nec vulgariter culta & ornata, si præter alia admiranda plurima, *Glascuensem* & *Deuanensem* *Academias*, describere velim. De ingeniis autem Scotorum excitatissimis judicium ferre nemini erit arduum, qui *Bellendenos*, *Blacuodæos*, *Balfuræos*, *Abrencthæos*, *Sanclaros*, *Cadanos*, *Strachanos*, *Barclajos*, *Scharpios*, *Leythos*, *Duncanos*, *Andresonos*, *Hegatos*, *Vimæos*, *Burnatos*, *Chreistios*, *Ridæos*, *Ramsæos*, *Sibaldos*, *Hirdæos*, *Matthisonos*, *Dazellos*, *Primroseos*, *Meluinos*, *Gelios*, *Ihonstonos*, *Cragios*, *Cureríos*, *Vallæos*, *Lautæos*, *Stuartos*, *Lumisdanos*, *Lestæos*, *Pendrichos*, *Tamsonos*, *Magillos*, *Brusæos*,

Iul. Scalig. ad Card. Ex. 140. & Ex. 200.

G. Barcl. l. 1. cont. Monarch.

Camden. in Scot. p. 695. Iov. in Scot. Cl. Malingre en l' H. de Louys XIII. R. de Fr.

Th. Demp. Ep. ad Iac. R. Brit.

Nepe-

Neperos, & tot alios illustres & præstantissimos Musarum alumnos noverit, aut qui vel unum *Georgium Buchananum*, virum ingenii felicitate & scribendi facultate, quod ejus scripta ad omnem posteritatem victura testantur, incomparabilem, cognoverit; quem mortuum veris laudibus extulit Jos. Scaliger, hoc Epitaphio: Th.H.l.76.

Postquam laude tua patriam, meritisque beasti,
Buchanane, tuis Solis utrumque latus:
contemptis opibus, spretis popularibus auris,
ventosæque fugax ambitionis, obis;
præmia quina quater Pisea functus olivæ,
& linquens animi pignora rara tui:
in quibus haud tibi se anteferant, quos Itala vates
terra dedit; nec, quos Gallia mater alit,
æquabunt genium felicis carminis; & quæ
Orbis habet fama conscia signa tuæ.
Namque ad supremum perducta Poetica culmen
in te stat, nec quo progrediatur habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes,
Romani Eloquii Scotia finis erit.

Ex Scotia in adjacentes, & confines, & subditas Britanniæ Insulas trajicio; inter quas primaria est HIBERNIA; quam *Richardus Strigbuliæ* & *Penbrochiæ Comes*, vir infracto animo, & projectissimis brachiis, *Strongbow* cognominatus, quod arcu intentissimo uteretur, & nihil levi brachio ageret, Anglis primus sua virtute aperuit: regio, sive terræ fœcunditatem, sive maris & portuum opportunitatem, sive incolas respicias, qui fortes sunt, ingeniosi, corporum lineamentis conspicui, Cam. de Hibernia, & Ins. Britannicis.

mirifica carnis mollicie, & propter musculorum teneritudinem agilitate incredibili, a multis dotibus ita felix; ut non male dixerit Giraldus, *Naturam hoc Zephyri regnum benigniori oculo respexisse.* Temperies cœli locique hic est mitissima: nec Cancri calor exæstuans compellit ad umbras; nec Capricorni rigor ad focos. Prata ibi adeo luxuriosa, herbis non lætis modo, sed & dulcibus, ut etsi exigua diei parte pecora se impleant; &, nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Et pecorum quidem numerus tantus, ut Comitatus Letrimensis angusto illo, quo circumscribitur spatio, uno tempore *supra centum viginti millia* pecorum capita numerarit. Equi passim optimi; quos a mollissimo incessu *Hobinos* Angli vocant, ob idque delicatis expetuntur, & in Gallia Italiaque nobilioribus fœminis dono dantur. Sed & apum tot tantaque examina; ut non solum in alveariis, sed etiam arborum truncis, & terræ cavernis reperiantur. Hoc autem summæ gloriæ est proximum: cum Romani vix ullam regionem præterierint, quam non depauperarint spoliando, devastando, & in servitutem cogendo: Hibernia tamen indigena virtute illorum grassationes longissime rejecit. Et quæ major laus est, & cum gente duratura; Religionis Christianæ incrementa Hiberni studiosissime procuraverunt. Nam *Patricius*, natione Britannus, qui multo maximam Hiberniæ partem ad Christum convertit, & propterea *Hibernorum Apostoli* nomen meruit, & ejus discipuli, tantos progres-

P. Iovius in Hibernia.

sus

ſus in re Chriſtiana fecerunt, ut ſubſequenti ætate Hibernia *Sanctorum patria* diceretur, & Scoticis in Hibernia & Britannia monachis nihil ſanctius, nihil eruditius fuerit, & in univerſam Europam ſanctiſſimorum virorum colonias emiſerint; quibus *Luxovium* Burgundiæ, *Bobienſe* Italiæ, *Herbipolis* Franconiæ, *S. Gallus* Helvetiæ, *Malmesburia*, *Lindisfarna*, & quamplurima alia in Britannia, monaſteria originem debent ſuam. Ex Hibernia enim fuerunt *Cælius Sedulius Presbyter*, *Columbanus*, *Colmannus*, *Aidanus*, *Gallus*, *Kilianus*, *Maidulphus*, *Brendanus*, & alii plures vitæ ſanctitate & doctrina illuſtres. Longe tum alia *Monachiſmi* quanquam recentis & nuper inſtituti facies erat. Re ipſa cupiebant eſſe, quod dicebantur: nihil fucatum illis, nihil perſonatum placebat: ſimplicitatis erat, non malitiæ, minus pertinaciæ, ſi qua in re errabant. Opum autem & rerum ſeculi tantus illis contemptus, ut eas nec ambirent, oblatas etiam & hæreditarias reſpuerent. Præclare enim *Columbanus*, qui a Sigeberto Francorum rege magnifica pollicitatione, ne regno ſuo decederet, invitatus hoc ipſum reſpondebat, quod & de Thaddeo Euſebius retulit; *Non decere videlicet, ut alienas divitias amplecterentur, qui Chriſti nomine ſuas dereliquiſſent.* Quinetiam Anglo-Saxones priſca illa ætate in Hiberniam, tanquam ad bonarum literarum mercaturam, undique confluxerunt: unde de viris ſanctis ſæpiſſime in ſcriptoribus Anglicis legitur, *Amandatus eſt ad diſciplinam in Hiberniam*: & in Sulgeni vita, qui ante ſexcentos annos floruit, Abbas Walafridus.

Exemplo patrum commotus amore legendi,
ivit ad Hibernos Sophia, mirabile, claros.

Reliquarum insularum, quæ circum Britanniam veluti famulæ, jussum nutumve Dominæ exspectantes & observantes, respiciunt, vix iniri potest numerus; nedum laudes hoc tempore colligi in compendium. Occurrunt ibi, Sabriniano freto per Hibernicum mare in extremam Scotiæ partem velificantibus, *Flatholme, Stepholme, Barry Caldey, Londey, Gresholme, Stockholme, Scalmey, Ramsey, Berdsey,* (hæc quondam tot sanctis viris culta, ut præter Dubricium & Merlinum Caledonium *vicies mille Sanctos* hic conditos antiquæ referant historiæ.) *Mona* (hæc *Druidum sedes* olim, hodie tritici proventu sic beata, ut *mater Walliæ* vulgo audiat) *Presthölme, Menavia*, sive *The yle of Man, The calfe of Man,* (hæc marinis avibus, quas *Puffins*; & anatibus illis, e ligno putrefacto enatis, quas Angli *Bernacles, Scoti Clakes & Soland Geese* vocant, abundantissima) *Arran, Buthe, Hellan, & Hellan Tinoc.* Inde confertissimæ jacent *Ebudes*, quas Scoti *Westerna Iles* dicunt, & XLIV numerant. Hinc ad ortum æstivum si litora legantur, *Orcades*, nunc *Orkney*, XXX plus minus, interfuso Oceano discernuntur; ex quibus *Mainlandia* stannique & plumbi ferax est. Magis ad Arcton sedet *Thule*, nostris *Schetlandia*, Poetis celebratissima, LXIII gradibus ab Æquinoctiali definita. In ipso autem mari Germanico conspiciuntur *Bas* (quanta *marinorum volatilium* præ-

ſertim *anſerum* copia ſuo tempore huc advolet; ſua enim, ut ferunt, multitudine in ſerenitate ſolem adimunt: quot piſces iidem adferant; ſiquidem centum præſidiarios milites, qui hic in præſidio egerunt, non alio cibo uſos perhibent, quam recenti piſce ab hiſce delato; quantum ramuſculorum ad nidos conſtruendos convehant, ut abunde hinc incolis de materia ad ignem ſit proſpectum; quantum lucri ex horum plumis & oleo factum, adeo fidem ſuperat narratio, ut vix credat, qui non viderit) conſpiciuntur, inquam, in Germanica mari *Bas*, *May*, *Keth*, *Inche Colme*, *Holy Iland*, *Farne*, *Coquet*, *Canvey*, *Scheppey*; & in Britannico *Vecta*, quæ jam Anglis *The yſle of Wight*, *& Whigt*, dicitur: (cujus incolæ facete gloriari ſolebant, quaſi reliquis beatiores eſſent; *quod cucullatos monachos*, *cauſidicos*, *& vulpes non habuerint*) *Gerſey*, *Garnſey* (hæc nihil venenoſum; & nullum bellum habet, gaudetque ex veteri Angliæ Regum privilegio induciis perpetuis: ſiquidem Gallis aliiſque licet bellum exardeſcat, ultro citroque huc ſine periculo venire, & commercia ſecure exercere licet. Smyris item lapis duriſſimus & aſperrimus hic inter cautes reperitur: quo gemmarii lapides expurgant ſcinduntque, & vitriarii vitrum diffindunt.) *Serke*, *Alderney*, *Arme*, *Les ſept iſles*, *iſle de Bas*, *Sillinæ* circiter CXLV., *Vshant*, *Sayn*, *&c.* P. Iov. in Britannia

Atque ut jam tandem in portum ſententiæ dicendæ invectus vela orationis contraham; ſic cenſeo. Cum Britannia natura & arte ita muni-

ta ſit, ut nullos hoſtes timeat; ita opibus indigenis & alienigenis abundet, ut avaritiæ & luxuriæ pruritus laſſet: ipſimet autem Britanni pietatis & virtutum meritis veteribus ac novis totum Chriſtianum orbem ita ſibi obſtrinxerint, ut nuſquam major occcurrat debitorum obligatio; navigationum felicitate ita excellant, ut etiam ipſi Antipodes eorum victricia ſigna adorent; domi pacis artibus ſub imperio ſapientiſſimi Regis IACOBI ita floreant, ut fortunam ſibi fingere aliam non poſſint: cenſeo, inquam, Britanniæ & Britannis honorum Dictaturam decerni, & omnes alias Europæ & Orbis nationes populoſque illis ſupremam gloriæ laurum offerre debere. Hæc mea eſt ſententia ſuper Relatione tua, excellentiſſime Princeps: quam in honorem gentis Anglicæ ſymbolo Garterii Ordinis adhuc firmo; & dico, *Honny ſoit il, qui mal y penſe.*

PRINCEPS

FRIDERICVS ACHILLES, &c.

DICTV

WOLFGANGE BARO STVBENBERGI.

ORA-

ORATIO
WOLFGANGI
BARONIS STV-BENBERGII,
Pro
BRITANNIA.



E MENENIA GENTE, aut Trallianus sim, inclyte Princeps, si post cognatum meum Eubesvvaldiæ Baronem, in Britanniæ laudes aliquid dicere velim; dicturus utique, nisi ille tam accurate & eleganter dixisset. At cum in illa incredibili rerum ubertate, & in ista temporis penuria, plurima necessario pretermissa fuerint; non debebant tamen omitti, qui sunt inter omnes Europæos longe principes ac generosissimi, CANES

magnaq; taurorum fracturi colla Britanni.

Etsi hunc Claudiani versum nequaquam ad *Caledonios Silvestres tauros* traxerim; qui candidi, & dense instar leonum jubati, valde sunt truculenti, feri, & ab humano genere adeo alieni, ut abhorreant ad aliquod tempus, quæcunque homines vel manibus contrectaverint, aut halitu perflaverint; certe canum impetus non sustinent

Camden in Scot. p. 702.

nent tantum, sed etiam contemnunt omnino. Cæterum Britannicorum canum ferocitatem ita Roma olim admirata est; *ut ferreis caveis putarit advectos*: quos etiam in Amphitheatralibus illis & aliis venationibus ad pugnas emittere solebat. Equidem in Notitiarum libro *Procurator Cynegii in Britanniis Ventensis* memoratur: ubi licet Jacobus Cujacius legat *Gynacii*, & sacrum textrinum interpretetur; juxtaque sentiat Guidus Panciroius, qui existimat, illa Gynæcia constituta fuisse *texendis Principis militumque vestibus, navium velis, stragulis, linteis, & aliis ad instruendas mansiones necessariis*: tamen Wolfgangus Lazius aliter statuit, censetque *Procuratorem illum canes Imperatoribus* in ista Venta, quæ Belgarum dicebatur (erant enim in Britannia præter illam & aliæ duæ Ventæ, altera Silurum, & altera Icenorum) *curavisse*: quæ opinio si error est, eruditus profecto error fuerit; cum & Suidas *Cynegium* locum esse dicat, in quo feræ conficiebantur, a *canibus* sic appellatum. Verum Britannicorum canum summa laus in eo olim consistebat, quod & *milites* essent, priscique Galli etiam in bello eorum opera uterentur. Reperiuntur enim robustissimi, audaces, ac prodigiosæ magnitudinis; qui herum vel contra armatos hostes egregie tuentur; cum admirabili ingenio fideque depugnent, illisque etiam innata vis sit humanæ prope solertiæ, ut furum, sicariorum, maleficorumque hominum vestigia indefessa indagine insequantur, & tanta perti-

nacia

Symmach. l. 2. Ep. 77.

In parat. ad tit. 8. Cod. l. 11.

Cō. in Not. Occid. c. 38.

Strab. Geograph. l. 4.

[illegible]ius in Scot. S. Majol. de dieb. canicul. T. Demp. Ant. R. l. 2. ad c. 7. Paral.

nacia, ut nec clausæ portæ, nec objecta flumina remorari possint, usque dum fugitivos deprehenderint, vel latebris ad pœnam eruerint. Nec ambigo, quin ob singularem illam præstantiam canum, quos *magnâ BRITANNIA gignit*

veloces, nostriq; Orbis venatibus aptos, Aur. Nemesianus in Cyneg.

inde factum sit, quod Scoti ante cunctas alias gentes studium venandi semper coluerint. Namque

illa pharetratis est propria gloria Scotis,
cingere venatu saltus, superare natando
flumina, ferre famem. Buchan. in Epitha!. Fr. 2. Val.

Et ante natum Assertorem humani generis, Anno CCLXX^mo, *Dornadilla Maini filius Scotorum Rex* præcepta venandi scriptis commisit, & subditis suis servanda proposuit: quæ leges & nostro adhuc ævo ceu sacræ observantur. Atque hec tantum in canum gratiam, quos præter cæteras bestias diligo maxime, hic dicere volui: in cæteris Eubesvvaldiæ Baroni per omnia adsentior. Balæus de scriptorib. Br. Bucha. rer. Scot. l. 4. A. T raq. de Nobilit.

PRINCEPS
FRIDERICVS
ACHILLES, &c.
DIC TV
DANIEL WENSINI.

ORA.

ORATIO DANIELIS von Wensin/

contra

BRITANNIAM.



Ausonius. NEMO BONUS BRITTO EST: Atque hoc jam olim, augustissime Præses, inter proverbia fuit. Quod licet ego de omnibus Britannis proferre non possim: certe majestas JACOBI Regis incomparabilis, virtus & gloria tot fortissimorum, præstantissimorum, humanissimorum, doctissimorum, honestissimorum Britannorum, longe aliis titulis decoranda est: tamen hoc dicere possum, neque Britanniam usquequaque bonam, neque Brittones usquequaque bonos esse. Et Cã. de Insf. Brit. p. 853. quemadmodum mare Anglicum est infidum, atque a Beerfleeto Normanniæ ad medium usque canalem scopulis & cautibus quasi constratum; A. Ch. 1120. inter quas Gulielmus, Henrici I filius, Angliæ & Normanniæ hæres; dum e Normannia in Angliam transmitteret, luctuoso naufragio, cum sorore, fratre notho, & aliis e flore Nobilitatis submersus est: sic Britannorum & Britanniæ dotes, undique & undique spinis, & sentibus, & dume-

dumetis ſunt obſeſſæ; inter quæ boni mores enatant difficulter, naufragium faciunt facilime. De ſingulis Britanniarum regnis aliquid ſigillatim dicam, & eo ordine, quem tu Paule, Eubeſvvaldiæ Baro, obſervaſti. Equidem ANGLIA angelica non eſt: & quod tuæ laudationi, Paule Baro, non paulum decerpit, non ſatis eſt habitatoribus plena; poſcitque plures, quam habet colonos. Teſtis terra, teſtis mare, teſtes peregrinorum coloniæ: & adhuc ea paſſim inculta; ne dicam inarata; & pagi plurimi teſtes, deſerti ac deſolati; & de quibus etiam in aliquo Parliamento querelæ oblatæ: teſtes etiam piſcationes externorum ad litora Angliæ; & hominum illorum, hinc quæſtum ducentium, *viginti amplius millia*: teſtes reliquæ navigationes, quas ſuſtinere Angli non ſat poſſunt, non ſatis abundantes copia eorum, qui navigare aquas, qui ſervare repoſtas valeant terras. Quin ſæpe in fertiliſſimis Angliæ locis plurima ovium millia, & pauculi homines conſpiciuntur: quaſi ovibus & bobus homines ceſſerint, vel ab ipſis devorati fuerint. Ingenia autem Anglorum ſunt maxime varia & mobilia: & uti illi conſilio ſuperantur a Gallis, ita quoque *ſuperſtitionis* vanitate vincunt Gallos. Tribuunt *vaticiniis* plurimum, & cum de rebus arduis tractant, in medium ſemper aliquid tale adducunt; adeoque vel Mileſiis fabulis avidam admovent aurem, & ineptiſſimis prædictionibus ſuperſtitioſa vel ſpe vel ſollicitudine ſtatim credunt. Atq; ut Tages, genii filius, aruſpicinam ſuis Hetruſcis effinxit:

A. Gent. de Vn regn. Br.

Cam. in Brigant. p. 564.

Bod. de Re. l. 5. c. 1.

Comin l. 6. Th. H. l. 4.

Cam. de Br. prim inc. p. 11.

Cic. Divinat. l. 2 Am. Marc. l. 2.

Ovid. Met. l. . f. 47. *Indigenæ dixere Tagen, qui primus Etruscam*
Edocuit gentem casus aperire futuros:

Cam in Br. Dim. p. 504. ita *Merlinus* Maridunensis, incubi filius, vaticinia, imo mera Crestis somnia suis Anglis tradidit; quo nomine etiamnum apud credulam plebem A. Ch. 1548. celeberrimus est. Sane cum Galli superiori seculo Febrium castellum in Scotia ab Anglis de- Th. H. l. 5. tentum caperent, inter captivos Anglos quidam sacrificus repertus est, homo tanta vecordia, ut etiam contumeliosis verbis victoribus illuderet, Gallosque in Angliam venisse diceret, ut vice equorum aratro terram verterent, servatis Anglorum in usum belli equis, cum queis propediem in Galliam essent descensuri, ut eam sub jugum mitterent: id enim indigenas vates suos prædixisse; quibus non minorem, quam DEI verbo fidem adhiberet. Cum ergo is Gallos præter opinionem victores cerneret, tantum mœrorem animo ex indignatione concepit, ut in terram prostratus clausis oculis nec cibum capere, nec cœlum, quód victores Gallos videre tulisset, adspicere ad mortem usque voluerit. Quæ communis Anglorum de illis nugis fanatica opinio multum vero religionis cultui detraxit: & non minus nationem infamavit, quam civis ille pessimus, hæresiarcha virulentus, *Pelagius*; qui Beda Ecc. H. Ang. l. 1. c. 10. Cam. in Br. Cornav. p. 457. in gratiam DEI iniquissimus damnatos errores in Orientem, Palæstinam, Africam, Constantinopolim, Italiam, Siciliam, Gallias & Britannias,

Prosp. Aqu. *pestifero vomuit coluber sermone Britannus.*

In

In *literis* autem Angli hodierni ut ſint aliqui cum doctiſſimis & literatiſſimis totius Europæ conferendi: tamen gens tota quantum deſcivit a majorum gloria? Quam rari hodie ſunt Alcuini, rari Bedæ, rari Winefridi, qui rudem orbem erudiant? Quis non ſtatuat mecum, Anglos adeoque Britannos univerſos, in re literaria a Germanis, Gallis, Italis, Polonis, infinitis paraſangis ſuperari? Quam priſcæ laudis jacturam aut ad ſingulare & occultum fatum refero, aut ad ſupinam hominum *ignaviam*, qua ſupra modum diffluunt Angli. Fœminæ præſertim huic ſcenæ rite inſerviunt; quæ cum deformes non ſint, verentur, ne vel ex ſolis radiis nigreſcant, aut ex pulvere nævum contrahant, aut ex laboribus duris occalleant; ideoque ſe mitellis, larvis, & galeris diligenter communiunt, & manuum candorem contra quaſvis aeris tempeſtates perpetuo chirothecarum uſu ſedulo vindicant; more omnium tam communi, ut etiam ruſticæ non minus familiariter iſtis curioſitatibus ſtudeant, quam apud nos Aulicæ & Nobiles. Vtinam vero fœminæ Anglicæ, ſicuti olim ab *Anna* Regina, Regis Richardi II uxore, Imp. Wenceſlai ignavi ſorore, Imp. Caroli IV filia, eam inſidendi equi formam, quæ hodie in uſu, didicerunt; cum antea parum decore, & ſexui parum convenienter, divaricatis tibiis perinde ac viri obequitarent: utinam, inquam, & a noſtratibus fœminis Germanis artem otii honeſte fallendi; quæ in rei familiaris curatione

Meter. l. 14.

Camden. in Br. Regnis p. 214

consisterit potissimum, apprehenderent, & jugi opera exercerent! At viri, quales? Turpiter torpent: ut ea causa piratæ maris Mediterranei, si quos capiunt, eos tanquam ad laborem inutiles vilissimo pretio addicant. Habent mare piscosissimum: sed mera ignavia facit, ut a vicinis pisces emere cogantur. Nec diu est, cum plerique artifices & opifices in Anglia peregrini & exteri, & aurifabri Londini pene omnes fuerunt Germani: Anglis interea gulæ voluptatibus (& ferunt, Anglos totius culinæ disciplinam epularumque apparatum, cum in Gallia late imperararent, Gallis & Belgis tradidisse) & rebus nihili, atque adeo *histrioniæ* jugiter operam dantibus; in qua sic profecerunt; ut jam apud nos Angli histriones omnium maxime delectent. Sed qui sunt isti homines? Sunt ludiones, sunt mimi; quos Impp. *viles & inhonestos* appellant; indignos, qui in honesto loco adnotentur sive collocentur; quos etiam, quia quæstus causa & propter præmium in scenam prodeunt, *famosos* esse, Pegasus & Nerva filius responderunt. Verum otiosa mens, in mille facinorum discurrens furias, quærit, quomodo nihil agendo male agat: qua in re video Anglos operosissimos. Nam cum sint illi *ab humanitate plerunq; alieni, & exterorum contemptores*: quoniam infelicem & semihominem eum putant, qui alibi quam in Britannia sit natus; eum porro longe infelicissimum, cui extra insulam in aliena terra spiritum atque ossa reliquisse contigerit) sunt etiam *fastosi & superbi*. Et

ut

Bodin. de Rep. l.5.c.1.

Meteran. H. Belg. l.13.

Iov. in Br.

l. 4. C. de spect. l. 11.

l.2 §.f.ff. de his, qui n. infam. Pet. Greg. Synt. jur. univ. l. 39. c.5. & A. Gent. de Actorib. fab.

G.B. Adria. l. 11. Th. H l. 44.

Iov. in Brit.

ut hunc gravamen in partem proclamant publice Nobiles Angli, more veterum Gallorum, qui plurimos circum se ambactos clientesque habebant, ingentem asse ctantium famulorum cohortem, longe supra vanitatem Hispanicam, secum trahunt: quos tamen, quam tractent liberaliter, communi hoc innuitur veriverbio; *Angliam fœminarum paradisum, servorum purgatorium, & equorum infernum esse*: republica gravissimum tamen inde sentiente incommodum; dum otiosi illi stipatores, qui nullam unquam quærendi victus artem didicêre, familia ejecti, ne esuriant strenue, latrocinantur strenue, & furantur ita ingeniose; ut Anglia jam etiam ex ipso Nobilium ordine (a) *Baccalaureos & Magistros in scientia furandi* ostendere possit. Exemplum autem fastus ad omnem memoriam detestabile dedit *Nicolaus Breakspere*, in Comitatu Hertfordiensi Langleii natus; qui creatus Pontifex Romanus (*Hadrianus IV* cognominatus) eo insolentię processerat, ut Imp. Fridericum Barbarossam objurgarit, supra modum incandescens; quod ille nomen suum Imperatorium in literis præposuerit Pontificio; & ipsius Hadriani de equo descendentis sinistram stapiam tenuerit, cum dexteram tenere debuisset; frustra Friderico excusante, nunquam se stratoris officio functum, & culpam non devotionis, sed scientiæ defectui adscribendum esse. Sed prætumidos hosce spiritus tandem musca interclusit, quæ in os Papæ involans spiritum ejus præclusit & exclusit. Hadriano huic non impar, quin typho fuit major,

Cæs de bel. Gall. l. 6. Cam de pr. Br incol. p. 14.

(a) Ie pensois, (dicit quidā) que la vertu de desrobber fust seulement pratiquee en Angleterre: la ou quelques Gentilshō mesmesme se passent Bacheliers & Maistres es arts en telle sciēce.

Cam. in Br. Catti euch. p. 297.

Nauc. vol. 2. gen. 39. Helmold l. 1. Chr. Slav. c. 81. Mornæus in H. Papatus.

Camden. in App. Ann. Ang. Th. H. l. 1.

proximo seculo *Thomas Wolsæus*, qui vili & sordido loco natus (quippe *Lanii filius*) sed tanta ambitione & superbia præditus, ut gravis proceribus ac Nobilitati, postremo Regi ipsi Henrico VIII molestus fuerit. Is ad summam dignitatem favore Regis evectus, Vintonii Episcopus, Eboraci Archiepiscopus, dein etiam in Cardinalium Collegium cooptatus, ac legatione amplissima ornatus, omnia regni negotia administrabat. Itaque Cæsar Carolus V, qui sciret quantum sua interesset amicitiam Anglorum cum Burgundis olim initam conservare, summo studio enitebatur, ut Wolsæi gratiam omni cultu & observantia demereretur; adeo ut etiam in literis, quas ad eum crebras nec alterius quam sua manu scriptas dabat, *Filii* nomen & *Cognati* in subscriptionibus apponeret. Et ut vanitatem hominis magis inflammaret, spem dederat fore, ut Leone X mortuo, votis Cardinalium in Pontificem eligeretur. Verum cum Leoni præter spem Hadrianus VI suffectus fuisset, & præterea indignaretur Wolsæus, Archiepiscopatum Toletanum sibi a Carolo negatum esse, mox odium, quod huc usque implacabile Cæsaris contemplatione in Gallos exercuerat, in Cæsarem vertit. Igitur de Henrici animo & ingenio certior, qui Catharinam conjugem, fœminam moribus sanctissimis & Hispanica gravitate, sed sæpius abortientem, post XVII annos fastidiebat, eam occasionem opportunam injuriose lacessendi Cæsaris ratus Wol-

sæus,

ſæus, Regi ſcrupulum injicit, nuptias illas cum Catharina, quæ prius fuerat Arthuri fratris ipſius uxor, lege divina eſſe prohibitas; Deumque in has tam injuſtas nuptias iram effudiſſe, qui prolem maſculam ſemel atque iterum ſuſceptam ſupereſſe noluerit; nec aliud quicquam expectari poſſe, quam ut funeſta illa bella nuperrime conſopita novis cladibus reſuſcitarentur, niſi de legitimo regni hærede certo conſtiterit. illam iccirco repudiandam, ut omnis ſcrupulus Regi ex animo tolleretur, ejusq; animæ tot annos inceſtu pollutæ, & ſimul regni ſaluti ex certa legitimæ prolis ſucceſſione conſuleretur. Licet autem Rex hiſce Wolſæi artibus, qui ſimul quoque Franciſci Galliæ Regis ſororem Margaritam ei commendaverat, a Catharina penitus fuerit alienatus: tamen ubi reſcivit Wolſæus, Henricum non tam Galli adfinitatem appetere, quam inſanum amorem, quo *Annam* Thomæ Boleni Equitis filiam proſequebatur, nullo rerum ſuarum & regiæ dignitatis reſpectu explere velle, ille negotium de divortio, quod curandum ſuſceperat, multis tergiverſationibus & procraſtinationibus de induſtria fruſtrabatur: quo factum, ut gratia ſenſim exciderit, & aliquanto poſt a Thoma Havarto Norfolcio comprehenſus Vintonienſi Epiſcopatu ſe abdicare fuerit compulſus, moxque in aulam evocatus, ut ſe Regi ſiſteret, in itinere ex animi mœrore deceſſerit. Erat homo ille ingentis fortunæ ſuæ incantamentis ita faſcinatus; ut potentiæ ſuæ oſtentator ſcriberet *Ego & Rex*;

Vide Polyd. Virg. in H. Ang. G Cavendish in vita Wolsæi H. Wake in Rege Plat.

Rex; ut insignia sua Cardinalitia supra Regis insignia loco statueret & præfigeret eminentiori; ut denique familiam & aulam instrueret immensis sumptibus splendidissimam, & vel Regiæ parem: in qua (quod in viro subdito fidem superat) assiduo famulitii obsequio aderant, *Comes unus, Barones novem, Equites & Armigeri multo plurimi, aliiq; non pauciores quam quadringenti*; homines adeo omnes corporis animique lineamentis commendabiles, ut etiam ex inferiori ejus famulorum ordine, Rex sexdecim simul in selectissimi satellitii sui numerum cooptaverit, cæteri vero omnes eo merito, ut a Wolsæo jam declinante monerentur, ne cuiquam infra Regiam dignitatem dignarentur famulari. Quid vero nunc dicam de flagitiosis otii administris *libidinibus*? Quæ natio Anglicam in hac perversæ & aversæ Veneris palæstra exuperat? Quis nescit, jam olim Bonifacium Echeldobaldo Regi scripsisse, *gentem Anglorum spretis legalibus connubiis adulterando & luxuriando, ad instar Sodomiticæ gentis, fœdam vitam ducere*? Quem vestrûm *Henrici VIII Regis* amores latent? Quis ignorat, illum *Annæ Bolenæ* (quæ in Galliis *la mule du roy & haquenee d'Angleterre* antea appellabatur) patrem & maritum a multis creditum esse; notissimo insuper dicterio, Franciscum Brianum hominem dicacem, & ob facetias urbanique leporis venustatem alioqui gratiosum, Regi quærenti, *Quale peccatum videretur, matrem primum, deinde filiam cognoscere? Tale*, respondisse, *quale*

c. 10. Dist. 56. B. Chover. de Publ. cōcub.

N. Sander. de Sch. Anglic. l. 1. H. & Matt. de la Royne d'Escosse, imprime à Par. A. Ch. 1589.

Galli-

gallinam primum, deinde pullum ejus gallinaceum comedere. Quæ ut forte ſint falſa, & a *Nicolao Sandero* (cui divina juſtitia os illud ad rebelliones concitandas, & calumnias cum mendaciis eructandas ſemper apertum fame obſtruxit in Hibernia) & ab aliis malevolis in odium religionis ad infamiam Henrico, & Reginæ Eliſabethæ natalibus, inurendam nequiter conficta: tamen in illa *ſex conjugum* viciſſitudine; quarum *ſecundam & quintam* ſecuri percuſſit, *primam & quartam* repudiavit, *tertiam* in partu perdidit, *ſextam* ſuperſtitem reliquit; quot & quantas uxorius ille Henricus inſanivit inſanias? Atenim *fortiſſimi & ſtrenuiſſimi* ſunt Angli. Ita quidem tu exiſtimas, Eubeſvvaldiæ Baro: & ego ita exiſtimem, ſi in *Tabaccanis Tabernis* bellum ſit gerendum. Nam ex quo Fr. Drakus cum ſociis Indicam illam plantam, quam *Tabaccam* vocant & *Nicotiam*, qua adverſus cruditates ab Indis edocti uſi erant, in Angliam attulerunt; illa inde uſu cœpit eſſe crebertimo & magno pretio; dum quamplurimi graveolentem illius fumum, alii laſcivientes, alii valetudini Venerea lue proſtratæ conſulentes, per tubulum teſtaceum inexplebili aviditate paſſim hauriunt, & mox e naribus efflant; adeo ut tabernæ Tabaccanæ non minus quam cereviſiariæ & vinariæ paſſim per oppida habeantur, integra vix ſylva, magni Regis JACOBI judicio, Britanniæ fumivendulis ſuffocandis ſuffectura; & generoſos juvenes *Tabaccophilos* reperire ſit, qui in ex-

Cam. in Annal. Ang. A. Ch. 1581.

Cam. in appar. ad Annal. Angl.

Iac. Rex in Miſocapno. Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1585. Iſ. Wake in Reg. Plato.

p[illegible] solent Tabacci pretium, *argenti uncias mille & sexcentas.* Atque fas est credere, *Anglorum corpora* (quod idem Rex salse dixit) *qui hac planta tantopere delectantur, in barbarorum naturam degenerasse: cum iisdem, quibus barbari delectentur, & sanari se posse credant.* Extra jocum: ut maxime credam, Anglos in Gallia olim potuisse aliquid: tamen cum hodie in Gallia nec habeant, ubi vel pedem ponant, ecquid aliud est illa priscæ fortitudinis gloria, quam hodiernæ ἀνανδρίας exprobatio, & degenerantis posteritatis locuples testimonium? Equidem cum *Carolus VII* Galliæ Rex, bonus magis quam felix, mortuo patre laceri regni sceptra capesseret, jam tum Henricus V Anglus Gallicos agros, viros, & oppida late possidebat, eoque postea Carolum perduxerat angustiarum, ut inter jocos *Biturigum Regem* ipsum (Bituriges enim tanquam arcem tutissimam, furentis fortunæ impetum in ea excepturus, elegerat Carolus) appellitare non erubesceret. Sed adversus istam Anglorum vim divina providentia supremo Galliæ bono mox excitavit duos fortissimos Equites, *Stephanum Hirum, & Potonem Xantralium*; quorum conspectus non minus jucundus Gallis debuit videri, quam Romanis olim Castor & Pollux extitêre, ex equo pugnare visi in acie, dum A. Posthumius Dictator cum Octavio Mamilio Tusculano dimicaret. Nihil vero, si singula percurramus, æque firmavit vacillantem Galliam, atque adventus *Ioannæ* puellæ fatidicæ,

Æmil. in Car. VII. Po. Virg. in Hēric. V. St. Forcat. de Gall. Imp. l. 7. Nic. Gill. Serres in Car. VII. Monstrelet vol. 2. Chr. in Car. VII.

Cic. l. 2. de Nat. Deor.

dictæ, ex Lotharingia Galliæ suburbana oriundæ, nisi cœlestem civem dicere malimus; quippe cum supra humanam virtutem se se bellicis factis dictisque sapientissimis extulerit. Anglos enim obsidionem Aureliani solvere coegit, multis præliis fudit, multis urbibus exuit; demum ad Compendium ab hostibus capta, & Rotomagum traducta, ibi flammis exusta est; ut scilicet quasi aurum excoctum splendidiorem animam redderet Deo. Moriens illa veluti ex testamento Gallis reliquit prosperitatem eandem, quam vivens iisdem ubique attulerat. Nunquam enim ex eo tempore desierunt pessum ire Anglorum conatus, & sponte sua festinabat ad Gallos victoria, rotæ exemplo ex clivo in præceps labentis: & quidem cum *Ioanne Talboto* Comite Salopiense, magno duce, omnis simul Anglorum potestas in Gallia corruit; ita ut nihil illis reliqui citra Oceanum fieret, præter Caletum & contributa illi castella; quæ tamen omnia postremo Francisco Guisio duce Henricus II Gallorum Rex expugnavit. At memoria ejectorum Anglorum etiamnum in primariis Galliæ urbibus per est jucunda, civibus semper recens, & cum odio in insulanos illos æternum duratura. Ita *Aurelianenses* quotannis die VIII Maji, supplicationibus publice decretis, gratulabundi civitatem obeuntes ad pontem procedunt, ibique ad *crucem* in honorem suæ liberatricis *Ioannæ* erectam, ubi inhibitus perhibetur irruentium Anglorum impetus, re divina peracta

Mer. Cosm. p.2.l.3.c.22.

cta in urbem redeunt. Appellant κατ' ἐξοχὴν vernacule *La feste de la ville.* Ita *Rotomagenses* XII^mum Augusti celebrant anniversarium in memoriam exactorum cum urbe, tum tota Gallia Anglorum. Ita quoque *Rupellenses*, quod hodie ex civium corpore Majorem Scabinosque legant, qui urbis politiæ præsint; quod nullam peregrinorum gubernationem admittere cogantur; quod nullis militum præsidiis divexentur; quod arcis a suis pomœriis arcendæ jus habeant; hæc & alia amplissima privilegia consecuti sunt, cum exturbato Anglorum præsidio se Galliæ Regi Carolo V submitterent. At vero, quæ hodie nihil potest amplius in Gallia: quidnam domi potest Anglia? Non ita multum. Capi potest unica pugna intra viscera ejus commissa: quia caret urbibus & arcibus ad ferendas obsidiones idoneis. Sic facili negotio Britones pulsi sunt per Saxones: hi per Danos, & Normannos. Et cum bellis civilibus principes familiæ Lancastrensium & Eboracensium inter se exarsissent, *non amplius semestri spatio ter amissum & recuperatum regnum fuisse* legimus. Quamobrem candide & vere Anglus Historicus: *Anglia*, inquit, *exterorum habitatio, & alienigenarum dominatio.* Et si inter ipsos vicinos Scotos & Anglos instituatur collatio; quoties Angli succubuerunt? quoties profligati sunt? Henricus Percius, Comes Northumbriæ, & tum limitis Orientalis Angliæ Præfectus, multis suorum clades ferens indignissime, coactis amplius septem millibus hominum in Scotiam irruit, ultioni frenos laxaturus: sed illum

M. ib. c. 30.

Merula ib. c. 34. I. Sincer. in Gall. itinerario.

Bed. de Re. l. 5. c. 5. P. Matth. in H. H. IV. l. 7. n. 1.

Malmesburiensis, & vide A. Git. de un. regn. Brit.

Buchā. rer. Scot. l. 9.

illum rustici & pastores genere crepitaculorum, quibus cervos & pecora absterrent, ingenti strepitu in proximis collibus edito ita turbaverunt, ut in toto exercitu tumultuatum, & , *ad arma*, clamatum sit; Anglique jumentis una cum equis amissis, & relictis impedimentis, fugientium modo domum redierint. Quid sub Conquæstore contigit? Nonne repleta fuit Scotia captivis Anglicis; ut nec villula, nec domuncula illic diu potuerit sine his inveniri? Equidem ex diuturnis & cruentis bellis inter Anglos & Scotos enatum odium, tandem capitale & hæreditarium factum est; quod etiam nulla superiorum Regum amicitia, vel cognatione, aut fœderum tabulis extingui potuit. Et Rex JACOBUS, Princeps, in quo ne invidia quidem inveniat, quod calumnietur, nomen *magnæ Britanniæ Regis* hac maxime de causa assumpsit, ut animos invicem abalienatos communi nomine sociaret, & simul Scotos demulceret; aliter torvum visuros, si ille in titulis Angliam Scotiæ anteponeret. Quamvis autem interdum Angli domi forisque victoriis potiti sint; (neque enim eos facio omnino imbelles) tamen illis plerunque aut usi sunt valde crudeliter; aut per avaritiam turbatis confusisque imperiis illas penitus corruperunt. Hoc quidem luculento experimento patuit in Lusitanica expeditione, qua Antonium Priorem Cratensem Regina Elisabetha in amissum regnum reducere conabatur; classe in eam rem egregie armata, in qua præter Regias quam ornatissimas na-

Hoveden 9. A. Gent. de un. regn. Br.

Iac. Rex l. 3. Basi. dori.

P. Matth. in Hist. H. IV. l. 7. n. 4.

A. Ch 1589.

Reid. Ann. l. 8.

naves, aliæ C & XX privatim a Britannis, qui prædæ spe una profecti nulla stipendia faciebant, fuêre instructæ; Johanne Noritio terra summum in milites imperium, mari Francisco Draco obtinente. Appulsis in Lusitaniam aderant præclaræ multæ feliciter rem gerendi occasiones; ac certa spes potiundi Olissipone, jam suburbio, quod ad occasum celebre vastumque est, sine vi, sine certamine capto, in quo repertæ mercatorum opes, quadragies centenis ducatorum millibus æstimatæ: at prædæ hujus tanta vis erat, ut mox fractis gloriæ stimulis Noritius etiam supplices Antonii ac toties iteratas preces atque obtestationes adspernatus, & quibuscunque quæ ceperat locis dimissis, cum tantis divitiis in Britanniam reversus fuerit: expendendum inde relinquens, quam falso sæpe homines, qui fortunæ ac prædæ spe militiam absque stipendio sequuntur, *Voluntarii* appellentur; quos nuncupare *invitos* majori jure possis; cum soli rapinæ inhiantes, si quid insigne gerendum, neminis imperia accipiant. Antonium equidem, qui dicentem ipsi audiverant, tradidêre firmare solitum, *Quamvis in spem Paradiso potiundi veniret, nunquam Anglorum ope tentaturum.* Illud vero, quam victorias crudeliter exerceant Angli, in nobili illa pugna, qua Gallicum Imperium fere pessundederant, fecêre testatum: ubi, cum plures captivos haberent, quam ipsi victores essent, veriti nocturna pericula, selectis nobilioribus cæteros trucidarunt, victoria ipsa magis cruenta, quam ipsum prælium fuit. Et

Comment. Tit. l. 6. Polydor. l. 17. A Gent. de Iure bell. l. 2. c. 16.

vide-

videtur alias ingenium Anglorum ad *feritatem* occulto quodam naturæ ductu nimis propendere; ita, ut in crudelitatis exercitio etiam voluptatem consectentur. *Eduardus enim IV Rex*, dum fratrem *Georgium Clarentiæ Ducem* post graves inimicitias in gratiam receptum, tandem tamen *in carcere dolio vini Cretici immersum* inaudito carnificinæ genere delevit; ecquid aliud, quam voluptatem in crudelitate spectavit? *Leofricus* primus Conventriæ Dominus; dum in cives commotior durissimis illos tributis oppressit, & ea nulla alia lege mitigari voluit, Godiva uxore obnixe intercedente, nisi ipsa nuda frequentissimam urbis partem obequitaret; (quod & præstitit) ecquid aliud quam ludum immanitati miscuit? *Robertus* Comes Salopiæ, dum filios & obsides suis ipse manibus exoculavit & castravit; ecquid aliud quam sanguinis sui voluptuarium edidit munus? Et quid Angli in *Mariæ* Scotiæ Reginæ morte, post XX annorum carcerem, venati sunt aliud? O tempora! O mores! Eone rem rediisse, ut Franciæ & Scotiæ, & ut multi addunt, Angliæ Regina, in ipsa Anglia, tam crudeliter, impie, contumeliose habita; ut a carnifice attrectata, securis ictibus repetitis decollata, caputque illius in sublime elatum plebi commonstratum fuerit! O pessime Davisione! qui licet surdaster non esses, audivisti tamen pessime; quando condemnationis tabulas contra voluntatem & jussum dominæ tuæ prodidisti, & sententiæ executionem festinasti. O immisericors Elisabetha! quæ Mariam capi-

Cam. in Br. Icen. p. 336.

Cam. in Br. Cornav. p. 428.

Cam. in Br. Corn p. 453.

P. Matth. in Hist. H. IV. l. 6 n. 2. & vide Met. H. Bel. l. 13.

Cam in An. Angl. Ann. Chr. 1587.

E. Pasq. de Recher. de la Fr. l. 5 c. 17. Th. H. l. 86.

capitis damnavisti. Si enim cognata tua morte digna fuit; si tibi jus in illam fuit; (& si forsitan illud fuit, hoc tamen vix fuit) cur non mortis illud genus morte ipsa pejus in aliud commutavisti? cur non aspidis morsus carnificis ictibus, aut Atheniensium cicutam securi Anglicæ prætulisti? cur passa es infamem lictorem, ipsa infamia viliorem, in caput mortuæ Mariæ, & in tuum sanguinem, dicteria & jocos jacere? Hoc factum totam tunc Europam in varios raptabat adfectus & censuras; nemine non infelicitatem Mariæ deplorante; bene multis novi exempli rigorem in Elisabetha exsecrantibus: cum etiam Galli cæteris populis magis exacerbati hisce versiculis Anglos compellarent;

Anglois, vous dictes, qu' entre vous
un seul Loup vivant on ne trouve.
Non: mais vous avez une Louve,
pire, qu' un million des Loups.

Quid censeam, amice Baro Paule; de Regum & subditorum in Anglia concordibus inter sese adfectibus? de miti & benigno illorum *imperio?* de facili & paratissimo istorum *obsequio?* quos utrosque ita tu commendas, ut inter eos omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & charitate summa sit perfecta consensio. Sed evolve annales, & disces, non vanam Porphyrii exclamationem fuisse; *Britannia fertilis provincia tyrannorum.* Vis testimonium clarius? Nimrodus vocatus est *robustus venator:* quod plerique Theologi interpretantur, illum

Cam. in Br. de Roman. p. 50.

fuisse

fuisse præpotentem tyrannum: cum venationes immodicæ Principum & Magnatum animos moresque non raro in Reipub. & subditorum perniciem efferare soleant. Sed ubi terrarum plures unquam fuêre Nimrodi, quam in Anglia? Vbi major vivariorum multitudo? quæ jam ante secula aliquot in eum numerum excreverant, ut pluta fuerint in una Anglia; quam in reliquo orbe Christiano universo. Ex quo insano venandi & cum feris conversandi studio quanta profluxerunt mala? Quales populi querimoniæ auditæ sunt? Sarisburiensis paucis verbis multa comprehendit: *Quod magis mirere* ait, *pedicas parare avibus, laqueos texere; allicere nodis vel fistula, aut quibuscunque insidiis supplantare, ex edicto sæpe fit criminis; & vel proscriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur salutisque dispendio. volucres cœli & pisces maris communes esse audieras: sed hæ fisci sunt; quas venatica exigit, ubicunque volant: manum contine; abstine; ne & tu in pœnam læsæ majestatis; venantibus cedas in prædam. a novalibus suis arcentur agricolæ; dum feræ habeant vagandi libertatem: illis ut pascua augeantur; prædia subtrahuntur agricolis; sationalia insitiva colonis; cum pascua armentariis & gregariis; tum alvearia a floralibus excludunt: ipsis quoque apibus vix naturali libertate uti permissum est.* Verum Angliæ tyrannis ut non in venationibus tantum, ita nec in uno duntaxat Rege vires & virus suum exeruit. Et quemadmodum aspis non vagatur nisi cum compare; atque altera interempta incredibilis al-

G. Mor. de jure ven. p. 1, c. 2. n. 74.

Cam. in Br. Dobun. p. 266.

in Polycratico.

Cam. in Br. Attrebat. p. 210.

Plin. H. N. l. 8. c. 23.

teri ultionis cura; persequitur interfectorem pertinacissime: sic Angliæ tyranni malitiæ successoribus caruerunt nunquam. Quinetiam Regum tyrannis ipsos subditos fecit tyrannos: adeoque *turbulentis Regis Stephani temporibus tot erant in Anglia tyranni, quot castellorum domini*; singulis sibi jus pecuniæ signandæ & alia majestatis jura arrogantibus. Certe Angli ex Regibus XL civili conspiratione *duodecim*; atque annis triginta sex, quibus bella civilia Philippi Cominæi ætate gesta sunt, Regiæ stirpis homines amplius LXXX interfecerunt. Vnde & Maria Scotiæ Regina, cum magno animo mortis sententiam in se latam audivisset, immanitatem Anglorum perstrinxit hisce verbis: *Angli in suos Reges subinde cædibus sævierunt; ut neutiquam novum nunc sit, si etiam in me ex eorum sanguine natam itidem sævierint.* Quid? quod etiamnum Angli sub optimi, & omnium, quos sol intuetur, clementissimi Regis JACOBI imperio, animos immanes & tortores non deponunt. Quod enim, obsecro vos, Auditores, post homines natos *conjuratione pulveraria* majus aut horribilius scelus fuit unquam susceptum? quod ferinæ crudelitatis tetrius exemplum legistis unquam editum? Vt Populus Romanus unam cervicem haberet, Caligulæ, Principis furiosi & humani sanguinis avidissimi, votum fuit; sed votum tantum: Angli vero, non voverunt illi quidem fortasse, ut universa Anglia cervicem unam haberet, uno ictu præcidendam; sed quod longe majus est, subtilissimam ratio-

nem

Cám in Br. Belg. p. 199.

Bod in M. H. c. 5. & 6. & de Rep. l. 2. c. 5. l. 4. c. 7

Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1586.

Casaub. in Ep. ad Frōt. Ducæum.

num novi Sisyphi vel Autolyci excogitarunt, qua id ipsum fere in Anglia effectum darent, quod Romæ Caligula voluit, nec potuit. Regem enim, Reginam, Principem Henricum, cum fratre Eboracensi Duce, item cunctos Regni proceres, cunctos Episcopos, cum ipso flore cæteri ordinis Ecclesiastici, magistratus præterea majores omnes, minores plerosque omnes, nec non aliam populi multitudinem infinitam, uno impetu difflasse, & in aerem impulsos (o crudelitatem!) membratim ac frustillatim discerpsisse; quid futurum erat aliud, nisi totius Angliæ caput una veluti cervice nixum amputasse, & reliqui corporis trunco vitam eripuisse? Et o perduellium impietatem! *Iohannes Grant* e conjuratis unus, jam jam ad supplicium ducendus, in suscepto negotio adeo nihil fuisse delicti contendit; ut e contrario confideret, *generosi incepti id esse meritum, quod pro satisfactione omnium suorum in omni vitæ peccatorum abunde sufficeret.* Et e conjuratis alius *Guido Fauxius*, cum primum a consiliariis examinaretur, fiduciam plane antiquam & veluti novus quidam Angliæ Mutius Scævola Romanam constantiam præ se ferebat. Nam neque sceleris aut immanitate, aut conscientia, nec gravissimi Concilii audientia, nec quæstionum numero vel assiduitate confusus dejiciebat vultum; sed potius renidens ultro ludificari, ad omnia expedite respondere, & si quid alienum, aut ineptum quæreretur subsannare; Regem nec Dominum suum, nec DEI unctum, ut qui esset hæ-

Iacobus R. in conjur. Sulphurea & Ens An. n. 5. l. 3. de tragœd Angl.

reticus, agnoſcere; factum non negare, verum cum Scævola dolere fruſtra ſuſceptum; *poſtremo* DEUM *non detexiſſe, ſed Diabolum*, truculenta voce teſtatus eſt. Cæterum his prætermiſſis, juvat etiam curſim obire pleraſque Angliæ provinciolas; & oſtendere, ſingulas peculiares & plures nævos habere, qui ſinguli totam nationem deturpare poſſint. Te alloquor, Eubeſvvaldi Baro: quid cauſæ eſt, quamobrem *Pyrrhocoracas Cornwallicos*, illas incendiarias & furunculas aves omiſiſti? Quid cauſæ eſt, quare non ſtatim piratas Cornvvallicos, imo Britannos omnes, veros Oceani Pyrrhocoracas; aurum Peruvianum ſublegentes furunculos, juratos publicæ fidei hoſtes, laudaviſti ſingulariter? Etſi in Americanis *Fr. Draki* expeditionibus dilaudandis ſatis ſuperque morbum animi prodidiſti: cum Rhetorica dicendi libertate, ex vaferrimo archiparata Jaſonem, & ex infami myoparone navem cœleſtem faceres: ubi tamen nominatim addere debebas, *Draconem* illum, cum in portu San-Juliani patibulum inveniſſet a Magellano ſeditioſis puniendis erectum, ibi *Iohannem Doughtejum* Anglum Nobilem, virum gnavum & animoſum, atque ab ipſo ſecundum, veluti gloriæ æmulum ad mortem nimis inclementer damnaviſſe; *Draconem* illum Hiſpanorum crudelitati Luſitanum, quem in Africæ ora ceperat, ad Aguatulcum nimis barbare reliquiſſe: *Draconem* illum bellam Nigritam, ab Hiſpano, cujus navi pepercerat, donatam, & quæ in ipſius navi compreſſa fuerat, jam prægnantem in Inſulam

Cam. in Br. Dannoniis p. 137.

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1580. Th. H. l. 71.

lam nimis inhumane expoluisse: *Draconem* quoque illum in Angliam reversum nihil tulisse impatientius, quam *quod primarii aliquot in aula viri oblatum ab eo aurum respuerent, quasi piratico scelere partum*: & denique Elisabetham Reginam Draconicas illas opes, ut præsto essent, si Hispaniarum Rex peteret, sequestrando seposuisse; uti & postea grandis pecunia Petro Seburæ Hispano, qui licet nulla ab institoribus mandata haberet procuratorio nomine restitutionem persequebatur, numerata fuit; quam dominis minime restitutam, sed in usum Hispanorum in Belgio militantium conversam fuisse sero fuit deprehensum. Quid vero memoriam adeo debilitavit tuam; ut infœcunda *Devoniæ* latifundia, cumprimis solum Exoniense *vix steriles avenas, & plerunque inane folliculum sine grano producens,* reticueris? ut quoque *Henricum Exoniæ Ducem,* qui etsi Regis Eduardi IV sororem duxerat, tamen laceris vestibus nudisque pedibus in Belgio misere victum quærere visus fuit, præterieris? Quid obstitit, ut in *Dorsetia saltum candidi cervi*, qui vernacula gentis lingua, *The forest of White hart*, est celeberrimus, non pererraveris? in quo, cum olim Rex Henricus III venaretur, & cervo pulcherrimo parceret, quem postea *T. de la Lynde* cepit & occidit: ille in istum & asseclas decumanos irarum fluctus volvens, non solum ab iisdem ingentem pecuniæ vim mulctæ nomine extorsit; sed & prædia, quæ tenuerunt, ad annuum vectigal fisco regio inferendum,

Malmesbu. Camden in Danmon. p. 147.

Cam. in Br. Durotrig. p. 156.

quod *White hart Sylver*, ſive *candidi cervi argentum*, etiam hodie appellatur, damnavit. An non ægre feret tuum ſilentium Portlandia,
p. 154. quondam inſula, nunc continenti Dorſetiæ adnexa, quæ ſparſim licet habitata, ſylvis tamen adeo eſt indiga, ut incolæ ad ignem alendum fimo bubulo ſole exſiccato lignorum vicem ſupplere habeant neceſſe. Ita ſcilicet ex unico viculo ſeſquipedali, & reſtiariorum manipulo, totam in provinciam laudum rivulos (hui cannabinas laudes!) derivare rem magnam præſtitiſſe te, perperam opinatus es. Et quid cenſes? An exiſtimas, quemquam ſenſibus integris, qui
Cam. in Br. Belg. p. 179. rupibus adamantinis *Somerſetanis* pretium non conſtituit; vaſtiſſimis & patentiſſimis in media *Wiltonia* campis, quos incolarum magna raritas, & latrociniorum magna crebritas infamant, honorem habiturum? An putas, quempiam ſanum *Hantoniam* alicujus facturum; ſi in ea ferarum
New Forest. luſtra ſaltumque ampliſſimum, triginta plus minus milliaria in ambitu colligentem, perambulaverit? ſi Gulielmum Normannum furiali
Cam. p. 158. venandi pruritu excæcatum, *propterea terram*
Gualt. Mapæus. *DEO & hominibus abſtuliſſe, feris & canum luſibus dicaſſe, triginta ſex matrices eccleſias extirpaſſe, populum inde exterminaſſe*, cogitaverit? ſi vindicta divina Regis tyrannidem mox aſſequente, in eodem ſaltu Richardum illius filium ſecundogenitum peſtilenti aura extinctum; Gulielmum Rufum, Regem Angliæ, alterum filium, ſagitta a Gualtero Tirello fortuito transfixum;

Hen-

Henricum quoque e Roberto filio natu maximo nepotem, dum ibidem feras contentius insectaretur, ramusculis appensum, exanimatum esse, perpenderit? si denique Beaulense rus, asylum utique intemeratum & tutum profugis receptum, unde homicidas quantumvis sceleratos, vel læsæ majestatis reos, abripere nefas & piaculum Angli non ita pridem sancte credebant, viderit? Quid dein opus fuit versare ingenium in memorabilibus *Bercheriæ* referendis? Tanti res non fuit. Nam cineres Henrici I Regis Readinga quidem habuit olim, sed habuit, & jam frustra ostentat; uti recte Poeta Redingum describens conqueritur:

———————heu dira piacula flenda!
Neustrius Henricus situs hic, inglorius urna
nunc jacet ejectus: tumulum novus advena quærit
frustra. Nam Regi tenues invidit arenas
Auri sacra fames, Regum metuenda sepulchris. Cam. in Attrebat. p. 106.

Et vero quantum splendoris cadaver aut cineres Regis alicujus toti alicui regioni afferre possunt? Sic quantumlibet Windesora regio palatio fulgeat; hoc tamen facit, ut magis feris, quam hominibus tota provincia serviat, nemorumque & inerrantium ferarum frequentia, villarum raritatem & hominum infrequentiam inducat. Quid loquar *Surriæ* stigmata, nullis ætatibus silenda? p. 210. Guildfordium vicum si nominavero, an non perfidiam & immanitatem Anglicam, maxime Diabolicam, simul insimulavero? Illic enim Godvvinus Cantii Comes in Alfredo Ethel-

redi regis filio, & regni Anglici hærede, demonstravit, quantum ſceleratus animus instrumenta explicandæ nequitiæ nactus, attentare auſit. Nam non tantum regium juvenem, e Normannia in Angliam ad jus ſuum repetendum venientem, contra fidem datam Haraldo Danico in manus tradidit; a quo privatus oculis, in vincula abreptus, & ad mortem uſque carcere conditus fuit: ſed aulicum illius comitatum, ſexcentos Normannos, intempeſta nocte ex improviſo oppreſſos, novo & ingenioſo ſævitiæ genere decimavit: ſiquidem non decimum quemq; ſorte ductum antiquo militiæ more interfecit, verum novem interfectis, decimum quemque dimiſit, decimoſq; reſervatos ſumma cum crudelitate redecimavit. Non excurram jam in *Suſſexiæ* maculas; nec mare ibi brevibus atrox, fluctuoſum, lituſque ipſum ſcopuloſum; & Anderidam ſylvam immanem, Sigeberti Occidentalium Saxonum regis, a ſubulco in hac confoſſi, fato infamem dicam: neque etiam Cantii ignominias, impietates & ſcelera in ſummo templo San-Thomano Cantuariæ perpetrata, & mille alia; non horrorem Oceani ſupra modum intumeſcentis, & immenſa aquarum mole terribili cum fragore & murmure in Rhutupina litora irruentis, longo ordine enarrabo: non item *Glocestrenſes* notabo, quorum ſocordia factum, ut regio illorum olim vini mire fertilis, jam ſit omnino ſterilis; dignos, qui propterea cum Apuleii aſino ſemper ſint invinii: non in agro *Oxonienſi* Wodſtokianum laby-rin-

A.Ch. 1036.

Cam. in Br. p. 113.

p. 219.

Camden. in Cantio. p. 238.

Am Marcel. l. 27.

Camden. in Dobun. p. 252.

rinthum, in quo Henricus II suam pellicem Rosamundam, haudquaquam rosam mundam, ab uxore sua occultavit, rimabor. Agrum autem *Buckinghamiensem* nemo laudabit, nisi forte suarius aliquis, qui fageis sylvis, quibus constat Buckhinghamia, & unde ei nomen, tribuens nimis, porcorum saginarium quærit: *Bethfordensem*, passim siticulosum & arboribus nudum, etiam propter illas fabas tuas, optimas scilicet, sua redolentia odoram canum vim non sine venatorum indignatione prorsus hebetantes, nemo singulari dignabitur encomio: *Hertfordensem*, fere ex ruinis tantum vetustorum oppidorum cognitum, nemo admiratione, sed potius commiseratione prosequetur. In *Midlesexia* Londinum quidem excellit; sed monstro est simile, quod urbs illa totius Angliæ caput cum reliqui corporis decremento crescit adeo, ut de ea dicere liceat, quod de Constantinopoli Hieronymus, *eam nuditate omnium civitatum constructam fuisse.* Lien urbs illa est Anglici corporis: eo intumescente cætera membra contabescunt. Quare Regina Elisabetha edicto vetuit, ne qua ædificia ad habitationem intra tria millia passuum ab urbis portis de novo extruerentur, sub pæna carceris & amissionis materiæ ad ædificandum convectæ, nec plures quam singulæ familiæ singulas ædes incolerent. Quid ponderis autem Elisabethæ illud interdictum apud contumaces Anglos invenerit, Jacobus Rex postea expertus est, & multoties repetitis edictis ædificandi li-

p. 206.

Camden.in Br. Catti-euchlanis. p. 278.

p. 284.

p. 290.

Cam. in Br. Trinobant. p. 312.

Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1580. Th. H. l. 70.

centiam compescere, adeoque temeritatem nonnullorum, qui vim edictorum festivis ac ridiculis evasionibus ad certum tempus perperam restringebant, in solenni oratione ad Ordines voce & lingua Regia severe prohibere necesse habuit; aulicis, civibus, causidicis eorumque clientibus in urbe vivere fas esse pronuncians, cæteris in agros ire jussis. Neque etiam ibi ea in ædificiis elegantia, non is viarum & platearum ordo ac compositio, quæ in Germania nostra communiter cernitur: & privatorum domus in eo potissimum a nitore deficiunt; quod quo surgunt altius, eo in vias suis subgrundis & protectis prominent & propendent longius, adeo ut sæpe tecta adversa pene coeant contigua, viasque deformiter obscurent. Casearios *Essexios & Suffolcios* ferrem, nisi hisce magno nimis esset dedecori *Edmundi Burgus*, mutua civium & monachorum rabie, supra fidem fere truculenta, & tumultibus frequentissimis celebratus: nisi quoque aspergeret ignominiam Hemingstonium, ubi Baldvvinus, dictus *Le Pettour*, beneficio regio *tenuit terras per seriantiam*, (ita enim loquitur scriptor antiquus) *pro quo debuit facere die Natali Domini, singulis annis, coram domino Rege Angliæ, unum saltum, unum suffletum, & unum bumbulum*: id est: debuit saltare, buccas cum sonitu inflare, & ventris crepitum edere. O regia servitia! O feuda Nobilia! O piam in die Christo Natali devotionem! *Norfolcios* litium & controversiarum architectos leges odio ha-

habita in Cam. Stellata, 12. Kal. Iul. A. Chr. 1616.

Cam. in Icenis. p. 315.

p. 337.

habent: cum Reipub. interſit lites minui. *Cantabrigienſes* locus Academiæ paluſtris cœli gravitate, Studioſis noxia, non parum gravat. *Huntingdonenſes* ruſticulos vix ullum civilitatis conſortium admittit. Non perſequar multis verbis *Northantoniam* ſylvarum nuditate triſtem; non *Leiceſtriam*, eodem paupertatis malo duriter preſſam; non *Lincolniam*, Dæmonum Crovvlandicorum terriculamentis infeſtam, & Gilbertinis monaſteriis, in quibus contra Iuſtiniani Conſtitutiones, quanquam Eugenii III P. R. permiſſu, cum Veſtalibus Monachi quoque, annuo uberrimo & vagienti cum impudicitiæ fœnore, licenter ſtabulabantur, inhonoram; non *Nottinghamiam*, arenoſo ſolo colonorum labores ludificantem; non *Darbiam*, ex *Diaboli podice*, magni hiatus ſpecu, neſcio quas fabellas deblaterantem. Relinquam *Warwicenſem* pagum, ferme totum in nemoribus hoſpitantem; & *Vigorniam*, in frigido flatulentoque ſuo *Pyrry* Nectar & Ambroſiam ſorbillantem; & *Staffordiam*, de Trenta ſuo & lacu mirabili mira ſomnia recitantem: & *Salopiam*, (ubi poſtremo *Sudor Anglicus* erumpens inde ab Oceano per alias regiones incredibili celeritate pervagatus, velut incendium aliquod longe lateque depaſcebat omnia) Oſvveſtriæ ſuæ a ſolis in Ariete Eclipſibus incendiariis vehementer metuentem; & *Ceſtriam*, de farris & maxime tritici inopia conquerentem. *Herefordiam* vero, quanquam uberem provinciam, *montes* tamen *ambulatorii*, veluti ſpectra lemureſve inſignes

Cam. p. 357. Cam. in Coritan. p. 374. p. 386. p. 399. p. 402. Novell. 113. c. 3. Cam. p. 412. Difels Arſe. p. 421. p. 432. p. 439. & 444. p. 451. p. 456. Camden. in Silurib. p. 473.

ædes,

ædes, nimium horribilem reddunt. Nam, ut ne quis putet, me antiquas fabellas recitare, anno salutis post seculum decimum quintum septuagesimo primo, XII Kal. Martii, vesperi hora' sexta, in orientali Comitatus parte, terra decessit, monsque cum subjecta caute (ingenti mugitu primum & stridore, ut a vicinis longe exaudiretur) tanquam si ex diuturno somno consurrexisset, se extulit; & in superiorem locum, relicto cubili profundo, ascendit; secum una deferens arbores infixas, caulas & ovium greges. Arborum quædam terra obrutæ jacuerunt: aliæ monti accedendo junctæ ita coaluerunt, ac si eo loco radices egissent. Quo loco discesserat, *hiatum quadraginta pedes latum, longum octoginta ulnas reliquit. Ager omnis viginti jugerum plus minus erat.* Inter eundum sacellum obvium evertit: taxum in cœmeterio sitam ab Occidente in Orientem transtulit. Eadem vi publicas vias cum caulis, sepibus, & arboribus protrusit. Ex culta pascuam, ex pascua rursus cultam effecit. Terram eminentiorem, cui obviam occurrit, provolutam & vi majori actam, in montem celsiorem tanquam aggere facto redegit. *Ita cum a vespere die Saturni usque ad meridiem diei Lunæ obambulasset,* veluti ex itinere fessus & mole sua laborans substitit. Hoc terræmotus genus Physici, uti judico, *Brasmatiam* vocant. *Radnoriam* damnat illa solitudo, itinerum anfractibus & montium horrore formidolosa; in quam, utpote tutissimum perfugium, se subduxit pestis ille patriæ *Vortiger-*

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1571.

gernus, Diis hominibusque invisus; cum invocatis in Insulam Anglo-Saxonibus, & sua ipsius filia horrendo incestu sibi in uxorem accepta, nefariorum scelerum magnitudinem sera æstimatione perspexisset: sed numinis telo volante, vindice igne cœlitus demisso, cum urbe sua *Caer Gourtigern*, quam in præsidium sibi construxerat, deflagravit. *Brechiniam*, Comitatum *Monumethensem*, *Glamorganiam*, agri asperitas, vix ullo cultu mitescens, facit aspernabiles. *Maridunensis* ditionis, *Penbrochiæ*, & *Ceretica* felicitas infra omnem invidiam est. In pago autem *Montgomerico*, *Mervniensi*, *Arvoniensi*, *Denbighiensi*, *Flintensi*, multo plura sunt, quæ prolixam miserationem, quam quæ vel tenuem laudatiunculam efflagitent. Vbique fere montium circumsidet conglomeratio; qui sunt glabri, macilenti, steriles, horribiles, & toto anno nive, seu potius nivium senio canescentes; excelsi adeo, ut non cœlo minari sed inserere juga videantur; præcipites quoque adeo, ut *pastores in summis verticibus duobus confabulantes vel convitiantes, si concurrere forte statuerint, a mane ad vesperam vix convenire possint.* Sed id maxime inter admiranda Britanniæ referendum; Mervinienses perpetua licet locorum miseria flagellatos, tamen præmaturæ Veneri & otio ita deditos, ut vicinis sint maximopere odiosi. Recte vero dixisti, Paule Baro, *Eboracum Brigantum esse caput*. Sed cujus gentis caput? Validissimæ. Quo merito talis? Grassationibus & latrociniis. Ipsimet Britanni, si quos pravo ingenio, & audaci

Cam. in Silurib. p. 471.

Camden. in Silurib.

Camden. in Dimetis.

Camden. in Ordevicib.

Giraldus.

Cam. p. 530.

Camden. in Brigant., p. 555.

dacius grassantes viderint, etiam hodie pervulgato verbo *Wharret Brigands*, id est, *Brigantes agere* dicunt. Galliqueid genus homines *Brigands*, & prædatorias naves *Brigantins*, vocitant. Et quod obiter moneo; deciperis & decipis, si credis & credere vis alios, Helenam matrem & Constantinum filium in Britannia natos esse: cum gravissimi authores constanter asserant; Constantium, cum ad Persas legatus iret, Drepanum Bithyniæ venisse, divertisse, Helenam hospitis sui filiam novisse, Constantinum genuisse. *Richmondia* rupibus horret; & proxime Lancastrenses inter montes adeo vasta, solitaria, squalentia, & muta sunt omnia, ut quosdam rivulos hac reptantes *Hellbeks*, quasi rivulos infernales sive Stygios, dixerint finitimi. Secura sunt hoc tractu cubilia capris, damis, & cervis, qui hic visuntur magnitudine sua & ramosis cornibus spectatissimi. Episcopatus *Dunelmensis*, & *Lancastria*, & *Cumbria*, exsucca macie & verrucosa soli pauperie passim languent. *Westmorlandia* qualis sit, nomen dicit. Loca enim inculta, & quæ non facile agricultura sublevari possint, *Mores* Angli Septentrionales vocant, & *Westmorland* nihil aliud est, quam inculta ad occasum regio. Vltima Angliæ provinciola est *Norhumbria*; & omni jure debet esse ultima. Nam, si solum spectem, iniquum ubique, asperum, & uno verbo, pessimum est; sin homines considerem, sunt ii crudeles, truculenti, abactores, Nomadum instar in tuguriolis stabulantes: & plane tali regio-

Pasq. Rech. de Fr. l. 7. c. 41.

Niceph. Eccles. H. l. 7. c. 18. Iul. Fir. Math. l. 1. Lips. de M. Rom. l. 4. c. 11. & in not.

Camden. in Brig. p. 191.

Cam p. 624.

Camden. in Ottadinis.

gione digni, meliore indigni. Post Cleolulphi mortem Northumbria, tunc regnum, factionibus scissum, paucis annis septem Reges partim immaniter occidit, partim seditiose profligavit; facinore communiter apud omnes sic abominabili, ut Principes boni postea recusarint suscipere imperium illius nationis, quæ majorem gloriam in parricidiis patrandis, quam legitimis obsequiis præstandis quæreret: Northumbria ideo quasi triginta annos omnium prædæ exposita. Jam vero qualis est SCOTIA? Multis modis & nominibus est deterior atque infelicior, quam Anglia. Est enim pluribus in locis obsita saxis, arboribus glabra, passimque obsessa palustribus aquis; & supra id, quod ferendis vitibus atque oleis est inepta, in ea etiam triticum in siliginem cito degenerat. *Anglia habet in annuis redditibus millionem, aut cum excessu, quindecies centena millia coronatorum*; uti quidam Scriptores tradunt: (namque ego regni rationes non vidi, tabulasque accepti & expensi non excussi: & alias scio, Regem Jacobum testari, patrimonium suum Regium non ita attritum esse, quin magnitudine & splendore cum quovis alio Christiani orbis facile possit comparari) cum *Scotiæ regnum vix centum millia coronatorum, aut non multo amplius regi pendere* asserant: quantum fere majorum gentium Comites in nostra Germania colligunt. Quare cum regni ordines superiori ætate Botuelium apud Orcadas & ulteriores Insulas piraticam facientem comprehendere constituissent,

P. Matth. in Disc. fun. H. IV. Gall. Reg.

Iov. in Scotia.

P Matth in Hist. H. IV. l. 6. narr. 2. Bod. parle de treize cents mille livres par chacun an. *L' entrata del Re di Scotia non arriva a cento mila scudi. Boter.*

Th. H. l. 40. ſent, propter inopiam publicam privatis Mortonii ſumptibus inſtructa, & duce Kirkadio claſſis miſſa eſt. Et quo tempore Eliſabetha Angliæ Regina Norfolciæ Ducem reprehenderat acerbius; quod ipſa inconſulta Mariam Scotorum Reginam in matrimonium poſtulaſſet; ille non dubitabat aſſerere, (quaſi Scotam negligeret) *proventus ſuos in Anglia non multo eſſe minores, quam regni Scotorum tunc miſere bellis exhauſti.* Et quid extremus ille & ſeptentrionalis mundi tractus; Naturæ privignus; inter vaſtas paludes; inter montium ſupercilia; inter ericeta ſpinoſa, producat opimum & locuples? ubi etiam lupi non ſolum in armenta maximo damno; ſed etiam in homines magno periculo adeo immaniter graſſantur; ut ex Parlamentaria ſanctione Vicecomites & incolæ in ſingulis Comitatibus ter ſingulis annis ad lupos & eorum catulos tollendos venatum prodire jubeantur. Homines etiam regionis bonitatem; quæ fere nulla eſt, vixdum imitantur: alibi quidem ſatis humani; ſed alibi, & majori ex parte; *Caledonii*; id eſt, duri, aſperi; agreſtes; alibi etiam prædones, abactores, & maxime illi, qui limitaneas Angliæ & Scotiæ valles incolunt; quorum ſtudia & ingenia Joannes Leſleus ipſe Scotus & Epiſcopus Roſſenſis ita deſcribit: *Noctu*, ait, *turmatim per invia loca, perque multos mæandros è ſuis finibus exeunt: Interdiu in latibulis præſtitutis equos vireſque ſuas recreant, donec eo tandem per tenebras, quo volunt, perveniant: Arrepta præda ſi-*

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1569.

Camden. in Scot. p. 619.

militer noctu per circuitus & devia duntaxat ad sua redeunt. Quo quisque peritior dux per illas solitudines, anfractus, & præcipitia; media caligine & tenebris esse potest, is ut ingenio excellens majore in honore habetur: & tanta calliditate hi valent, ut rarissime prædam sibi eripi sinant; nisi canum odorisequorum ductu rectis semper vestigiis se se insequentium ab adversariis nonnunquam capiantur. Cæterum si capti sint; tanta eloquentia pollent, verborumque suavissime fluentium lenociniis, ut & judices simul & adversarios quantumvis severos; si non ad misericordiam; saltem in admirationem & commiserationem quoque vehementer permoveant. At hi limitanei prædones mitium ovium titulum tueri possint præ illis *Albanensibus*, qui *Highlandmen* vulgo vocantur, genus hominum incultum, inprimis maleficum, latrociniis innatum, & ad vindictam odio capitali projectissimum; quorum effera crudelitas *legem* extorsit, qua licet, *si quis ex aliqua illorum gente damna intulerit, quicunque ex illa gente captus fuerit, aut damna resarciat, aut capite luat.* Nec tamen hi Albanenses tantum, sed & Scoti in universum animos gerunt prorsus implacabiles; & vix est in omni Europa natio, quæ in *ultiones* feratur ardentius. Privatas contumelias in ipsarum familiarum injuriam vertunt: & vis inimicitiarum in hæredes quoque abit. Cædem cæde repensare decorum: incendia alternis ignibus vindicant. Nec aperto solum Marte; insidiis, fraudibus agunt. Nihil turpe aut ignobile satianti oculos inimicorum ma-

p. 797.

Euphormi. in Icone Animo. c. 4.

maiis. Etiam quod ut plurimum regio arboribus caret, quidam putant illorum odiorum facinus esse: dum adversis facibus inimicorum silvas cremant, & privatis injuriis vastitatem patriæ faciunt. Quam Scotorum barbariem dum mecum exputo, non miror, D. Hieronymum αὐτόπτην scribere; *se adolescentulum in Gallia vidisse Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus; & cum per sylvas porcorum greges & armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates & fœminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari.* Et minus adhuc miror, quod alibi legi, *tres & quinquaginta reges Scotiæ, aut bellica vi, aut procerum insidiis crudeliter interemptos fuisse.* Recentia sunt facinora contra Reginam *Mariam* (iterant enim hujus memoriam perduelles Scoti) flagitiosissime perpetrata; & quæ sunt in Europa sine exemplo. Vbi enim gentium auditum est, populum & proceres in suum Regem vel Reginam ita sæviisse, prægnantem vi metuque exagitasse, tuta loca captantem in regia obsedisse, ad iniquas conventiones compulisse, regno exturbasse, apud cognatam Angliam, ubi auxilium quærebat, capitis ream egisse, in carcerem vicennalem misisse, securi & carnifici subjecisse, de morte triumfasse? Vbi terrarum auditum hoc est? Aut si illa sunt legitima & debita subditorum erga Principes obsequia; ubi a condito mundo subditorum major laus atque gloria, quam in Scotia? Macte vero virtute JACOBE, Rex magnæ Britanniæ sapientissi-

l. 2. adv. Iovinian. L. Isac Pont. in ap. ad Itinerar.

Iov. in Scotia.

Cam. in Annal. Angl. passim.

tissime; cineres & memoriam matris caram habe; *Buchanani & Knoxii*, qui turbas Scotiæ & suum adfectum scripserunt, libellos in tuis regnis morari ne patere. Nam sicuti venenum inficit nullo forti antidoto munitos: ita illi incautos fascinant lectores; imo manes illorum seditionum flabellorum μετεμψυχώσει quadam in eorum corpora transeunt, qui talia impura scripta & nequam dogmata vel legendo imbibunt, vel defendendo aliis commendant, non minore supplicio plectendi, quam ipsimet autores, si a mortuis jam essent resuscitati. Et quidem *Buchananus*, homo fide promercali, partium studio & Jacobi Moravii, in cujus verba fuit juratissimus, munificentia abreptus ita scripsit, *ut libri ejus falsitatis damnati fuerint ab Ordinibus regni Scotiæ; & ipse ingemiscens coram Rege, cui fuit pædagogus, subinde se reprehenderit, quod tam virulentum calamum in Reginam bene meritam strinxisset, moriensque optaverit, ut tantisper superesset, donec maculas, quas maledicentia falso asperserat, revocata veritate vel sanguine elueret; nisi* (quod ipse dixit) *hoc vanum esset*; cum præ ætate delirare videretur. Sed recentior adhuc est *Rethuenorum*, Comitum Goureæ, atrocitas; qua sceleratissimum illud fratrum par, clementissimum Regem JACOBUM (eheu quot periculis innocentissimus & optimus Rex subjicitur! qui non tantum postquam natus est, sed etiam antequam nasceretur, atque in ipso matris utero vix ullo tempore ab insidiis & sicariis fuit tutus) pene

Iac. Rex l. 2. Bas. dori.

Cam. in Annal. Angl. A. Ch. 1567. & 1584. & in descr. Scot. p. 718.

Iac. Rex in Orat. quadam. Ens An. t. 5. l. 3. P. Matth. in hist. H. IV. l. 3. n. 2.

Pp 2

pene oppressit. Cum enim Rex Perthum ire ab *Alexandro* altero fratre consutis dolis persuasus esset, facta spe thesauri, quem nuper invenisset, illi exhibendi: prandio sumpto, inermis per aliquot conclavia circumductus tandem in Musæum perducitur, locum lanienæ destinatum; in quo homo pugione armatus parricidii adjuva erat solus. Ibi Alexander occlusa prius janua, pileoque in caput superbe injecto, e vestigio armato pugionem eripit, & Regis pectori admovet, ultimaque minis & factis intentat. Rex autem, qui eloquentiæ viribus & majestatis veneratione armatum illum continebat, Alexandrum tamdiu luctando sustinuit, donec quatuor ex aulæ familiaribus unus post alium intervenerunt, qui numero & armis impares licet, conjuratos tamen vel interfecerunt, vel male multatos in fugam egerunt; Rege inde in medio suorum in genua suppliciter procumbente, Deoque pro liberatione tam miraculosa & victoria tam insperata gratias prolixe agente; & postea *Ioannem Ramsey*, cujus pe[illegible]issimum dextera vindex fuit Principis in nefanda illa conjuratione, titulo & honore *Vicecomitis Hadingtoniæ* ob fidem donatum, inter Regni Scotiæ proceres cooptante. Ordo præterea regni amplissimus decreto damnavit memoriam Rethuenorum, ita, ut qui ejusdem essent nominis, illud deponerent, & novum sibi adsciscerent. Possem in Scotos alia dicere plurima, ob quæ vel singula inter populorum abjectissimos referri possint: tamen in adulteriis ac vora-

Camden. in Scot. p. 687. & p. 709.

voracitate illorum faciam paulam. *Adulteriorum* licentiam & frequentiam induxit impius *Evenus III*, Rex Scotorum, qui non contentus *centum e Nobilitate concubinis*, ni suam spurcitiem, latis legibus, in vulgus proderet. Tulit enim, *ut cuivis liceret pro opibus, quot alere posset, uxores ducere: ut Rex ante nuptias sponsarum Nobilium, Nobiles plebejarum prælibarent pudicitiam: ut plebejorum uxores cum Nobilitate communes essent.* Etsi vero *Milcolumbus III*, Rex Scotiæ LXXVI tus, longo tempore post uxoris precibus dedisse fertur, ut primam novæ nuptæ noctem, quæ proceribus per gradus quosdam lege Regis Eveni debebatur, sponsus dimidiata argenti marca redimere posset: quam pensionem adhuc *Marchetas mulierum* vocant: noctium tamen fures propterea non desierunt esse frequentes, & non minus postea, etiam extra Grammaticorum scholas,

mansit apud Scotos indeclinabile CORNU.

Voracitatem eorum satis testantur immoderatæ quotidiani convictus impensæ, quibus plerique devoratis patrimoniis ad tantam rei familiaris inopiam rediguntur, ut ab obviis stipem emendicare non pudeat; quod agrum colere, aut sellulariam exercere artem honesto loco natis (mendici enim se stirpe regia prognatos esse dicere audebunt) indecorum arbitrentur, usque adeo, ut plerique latrociniis & furtis se se alere, nullo pœnæ metu, æquissimum putent. Euge vero Paule Baro, etiam in HIBERNIAM trajiciamus. Est ibi cœlum ad maturanda semina iniquum;

G. Buchan. rer. Scot. l. 4.

Buch. a ibid. l. 7. boeth. in Sc. hist. & Ren. Chop. de Sac. Polit. l. 2. t. 7. n. 4.

Iov. in Scot.

Münsterus Cosm. l. 2. c. 9. & 15.

Cambd. in Hibernia.

terra montosa, aquosa, sylvestris, ventis exposita, & adeo paludosa, ut supra montes stagnare aquas videas. Est ibi *Insula Purgatorii*, (quis jam neget *Purgatorium* esse?) & in ea ad monasteriolum specus, obversantium nescio quorum spectrorum terrore, & horrendis visis decantatus. Sunt ibi luporum agmina passim sævientia. Sed quid ego talia? Hiberni ipsi, lupis & illis infernalibus spectris pejores, ea pollent nequitia & improbitate: ut nequitiam & improbitatem ipsas, si se conspiciendas mortalibus darent, ad duellum ipsi nequiores ac improbiores sint provocaturi, facile victuri & triumfaturi. Non omnes quidem hujusicemodi inhumanitatis accuso; cum non pauci Anglico sub Imperio rectius imbuti ad civilitatis & honestatis castra transierint: belluæ tamen & bruti inhumanique illi homines longe superant; quorum maxima pars odium in Anglos alit contumacissimum & quasi inexpugnabile; adeo quidem, ut *Conus*, Coni filius, cognomento *Bacco*, id est, *Gladius*, qui patri in dignitate *O-Neal* successerat, (hæc dignitas barbaris tanti est, ut insolenti fastidio elati *Principum*, *Ducum*, *Marchionum*, *Comitum* titulos præ nomine *O-Neal* dedignentur) suis posteris male fuerit imprecatus, *si vel Anglice loqui discerent, vel triticum sererent, vel ædes extruerent*; solicito timore, ne Angli his invitamentis in suos agros pellicerentur. Et quidem cum *O-Neali* non ita pridem læsæ majestatis damnati essent ab Elisabetha Regina, *Thomas Smith* Eques auratus, &

Regi-

Reginæ a Secretis, regio permissu coloniam deduxit in Comitatum Dunensem, præclaro certe ausu, at fato nimis infesto. Nam post magnas expensas filium naturalem, quem præfecerat, ex insidiis interceptum canibus objecerunt Hibernici; cujus tamen immanitatis pœnas perditissimi illi postea gravissimas persolverunt, interfecti, & lupis in prædam dati. Verum de feris istis Hibernis, Eubesvvaldiæ Baro, plurima atrocia & horrenda compendio verborum accipe. Illa hominum purgamenta, *sylvestres Hiberni*, summum bonum, & omnem felicitatis consummationem hodie collocant in otio: ditissimos se esse reputant, dum labore careant; & omnes deliciarum opes possidere se credunt, dum libertate gaudeant. Cumque aliquibus in locis agrorum pinguedo negligentiam cultorum quasi increpet, & ora maritima multis sinubus & navigabilibus alveis pervia accolas ad navigationes quodammodo invitet; illos tamen innatæ desidiæ dulcedo ita detinet, ut ostiatim malint victum quærere, quam honestis laboribus paupertatem repellere. Latrocinia apud eos nullam habent infamiam, quantumvis habeant plurimum immanitatis: & latrocinaturi preces ad DEUM fundunt, ut præda offeratur; & prædam pro munere a DEO oblatam arbitrantur; neque vim, neque rapinam, neque homicidium DEO displicere religiose persuasum habent. Audire est a sicariis & incendiariis; *Misericors est Dominus, & non sinet pretium sui sanguinis in me irritum.* Quin patrum vestigiis se

insistere dicunt, & eam sibi vivendi rationem reliquam esse; Nobilitatis suæ autem infamiam esse, si velint ex labore manuum victitare, & a facinoribus abstinere. Alias sunt corpore validi, agiles, animo elati, bellicosi: sed plurium animos ridicula opinio pervasit; illum, qui in militari barritu sive clamore, quo in congressu magna vocis contentione utuntur, reliquorum clamori non respondeat, subito a terra arripi, & quasi volantem in desertas Comitatus Kerriensis valles deferri, ex quacunque Hiberniæ regione; ibi gramine vesci, aquam lambere, nec male nec bene esse sibi sentire, rationis non orationis usum tenere, a venantibus demum ministerio canum capi, & domos suas deduci. Liberis, cum ad sacrum Baptismum accedunt, ad propria, profana etiam nomina imponunt, ut *Rufus*, *Albus*, *Niger*, *Calvus*, *Latro*, *Superbus*, *Scabiosus*; & licet contumeliarum sint impatientissimi, hæc tamen nomina non dedignantur Optimates (verius Pessimates) illi, qui ob eminentiam O literam nominibus præfixam habent. Lupos sibi adsciscunt in patrimos, quos *Chari Christ* appellant; pro eis orantes & bene precantes, & sic se ab illis lædi non verentur. Omnes in præproperam Venerem effusi, nec annorum maturitatem, quæ in aliis regionibus observatur, præstolantur: in peramplis cubilibus integræ familiæ cubant, & facile tenebris verecundiam extinguunt. Etiam matres statim post sextum a partu diem ex integro se maritali operi dedunt; & parvulos ad nutrices expo-

Jov. in Scot.

exponunt. Nobiles autem *nutrices* tot habent, quot adolescentulas famulas; quæ stupri pretium, lactandi infantulum facultatem putant; & quæ alumnos suos ad obscœnitatem & flagitiorum immanitatem omnem gnaviter erudiunt. Sacrificuli sunt omnium turpissimi; qui e DEI domibus meretricum stabula efficiunt: horum filii, qui *Mac Decan*, *Mac Pherson*, *Mac Osspac*, id est, *filii Decani*, *Ecclesiæ Rectoris*, *& filii Episcopi* dicuntur, plerunque insignes evadunt prædones, parentum liberalitate ad seditiosorum manum conscribendam adjuti: filiæ patribus superstitibus magnis dotibus elocantur, si nubunt; patribus vero defunctis, aut mendicant, aut meretricantur. Quinetiam fama est, lacum illum *Erne*, in Comitatu Fermanaghensi celeberrimum & maximum, quippe tot insulis habitatis confertissimum, quarum nonnullæ centum, ducenta & trecenta jugera continent; tot insuper luciis, trutis, salmonibus, & aliis piscibus tam copiosum, ut piscatores nimiam frequentius piscium copiam retiumque rupturas potius, quam defectus conquerantur; fama, inquam, est inter accolas, hunc lacum olim fuisse agrum cultissimum, & incolis frequentissimum; sed subito propter eorum infandam cum bestiis Venerem superfusis aquis in lacum redactum. *Terram*, ait Giraldus, *tam turpium contra naturam facinorum consciam non tantum primis, sed cunctis in posterum habitatoribus indignam autor naturæ judicavit.* Verum hi detestandi Hibernorum mores sunt an-

tiquum a majoribus in posteros devolutum patrimonium, quod tanto nequitiæ studio hactenus servatum est, ut difficile sit statuere, nepotibusne an vero avis debeatur scelerum palma. Olim Episcopali sedi *Conerensi* præerat *S. Malachias*, vir suo seculo doctus & pius, & qui *de natali barbarie nihil minus traxit, quam de sale marino pisces maris*: sed qualis tam sancto pastori ibi grex fuerit, hisce verbis describit S. Bernardus: *Tricesimo ferme ætatis suæ anno Malachias consecratus Episcopus introducitur Conereth. hoc enim nomen civitatis. Cum autem cœpisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo Dei, non ad homines se, sed ad bestias destinatum. Nusquam adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie. Nusquam repererat sic protervos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad leges barbaros, cervicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam. Christiani erant nomine, re pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire conjugia; non facere Confeßiones: pœnitentias nec qui peteret, nec qui daret, penitus inveniri. Ministri altaris pauci admodum erant. Sed enim quid opus pluribus, ubi ipsa paucitas inter laicos propemodum otiosa vacaret? Non erat, quod de suis fructificarent officiis in populo nequam. Nec enim in Ecclesiis aut prædicantis vox, aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? Aut cedendum turpiter, aut periculose certandum: sed qui se pastorem, non mercenariam, agnoscebat, elegit stare potius quam fugere, paratus animam suam dare pro ovibus, si oportuerit. Et quanquam omnes lupi, &*

oves

oves nullæ, stetit in medio luporum pastor intrepidus, omnimodo argumentosus, quomodo faceret oves de lupis. Hæc S. Bernardus: & dubito, an mitiora, qui hodie ibi præest Episcopus, de sitis sit prolaturus. Cum enim Robertus Dudlejus Licestriæ Comes in fœderato Belgio summam gereret præfecturam, hoste in propinquo ac Daventriæ imminente, offerebat Comes magistratibus urbis, ut ex omni exercitu, quas civitati gratissimas putarent, centurias deligerent in præsidium. Cæterum illis obstinate detrectantibus, cum nihil impetraret, Leicestrius mille ducentos Hibernos, inopinantibus civibus duci in urbem jubet, præfecto Gulielmo Standlæo, Nobili Britanno. De civilitate horum præsidiariorum si quæritis, Auditores? *Homines barbari ferissimique erant, quos unquam vel uspiam vidisset Belgica. Medium corpus nudi; verenda exiguo linteo velabantur, ita ut inclinati nullam fere partem occultarent. In capiendo cibo bestiis, quam humano generi propiores: & victus, sæpe crudæ, sæpe meræ sine pane carnes. Cultus omnisque humanitas aberat: nec Christiano in orbe, sed America educatos crederes. Nulla per sermonem commercia. Ea denique vita, ii mores, ut feros Hibernos, haud injuria ipsi appellare Britanni consueverint. Christianorum sacra incognita illis; de Missa fando aliquid audierant, ac ceremoniis inhiabant.* Tales sunt Hiberni: quibus *Henricus Sidnejus*, cum annos plus minus XI divisis temporibus Prorex præfuisset, navem conscensurus versiculo e Psalmis valedixit: *In exitu Israel*

E. Reidan. Annal. l. 5. A. Ch. 1586.

Cam. In An. Angl. Ann. A.C. 1578.

rael de Ægypto, & domus Iacob e populo barbaro.

Cam. in Insulis Br. *INSULÆ Britannicæ reliquæ* dignæ fere non sunt, quæ in aliquam classem nisi fœdæ paupertatis & extremæ inopiæ veniant: ex quibus sane jejunis & infœcundis sedibus quotannis æstivo tempore, præsertim Scoti insulani, ut rei suæ domi parcant, in Hiberniæ Comitatum Colranensem confluunt, ut victum parent, intenti simul in omnes occasiones rebelliones fovendi; adeo ut sub pœna læsæ majestatis lege cautum fuerit, ne quis eos in Hiberniam advocet, aut hospitio excipiat. Quis autem nostrûm in illis *Hebridibus* sive *Ebudibus*, cautium & saxorum horrore inviis, & vix virenti cespite vestitis, inter monstra hominum portentosis illis Hibernis ne hilo meliorum, quis, inquam, vel unum diem commorari desideret? Quis nostrûm cum abjectissimo rustico Herciniæ nostræ, quam cum *Schetlandiæ* Optimatibus, pisce exsiccato & contuso pro farre utentibus, cœnare non malit? Quis nostrûm
Th. H. l. 5. in *Orcadibus*: (& sunt Orcadenses imperterriti milites, qui, quando tormenta disploduntur, solent humi procumbere obturatis auribus, ne fragorem sentiant.) Quis in *Sillinis*, in quas olim damnati relegabantur; quis in cæteris omnibus delicias, imo quis vel necessaria tantum inveniat?

Et hæc sunt, illustrissime Princeps, quapropter Britanniam in summo & principe dignitatis gradu cum Barone Eubesvvaldio collocare non possim. Cumque nihil audiverim hactenus, neque etiam sciam aliquid; ob quod Germania ullam

Iam Europæ provinciam comparem habere, nedum ullius pediſequa eſſe debeat; ego jure & merito FRANCISCO CAROLO, Duci Saxoniæ adſentior.

PRINCEPS

FRIDERICVS ACHILLES, &c.

DIC TV

ERNESTE SCHAFELIZKI.

ORA-

ORATIO ERNESTI SCHAFELIZKI,

contra HVNGARIAM.



T IGO ILLUSTRISSIME Princeps, cum inclyto Duce Saxoniæ, DN. FRANCISCO CAROLO, pro Germania noſtra ſuffragium fero. Sed quoniam fieri poteſt, ut illuſtris Henricus Albertus, Baro Limpurgius, Hungarico ſuo elogio adhucdum quorundam auribus atque animis obſtrepat; ego nunc rationibus evincam, illum Herculis cothurnos aptare infanti, qui provinciarum Europæ prærogativam adſcripſerit Hungariæ. Vt enim intereſt permultum; cujatis, & unde quis ſit, adeo, ut JCtis anſam dederit quærendi; *An natio hominis infamata indicium ad torturam faciat, necne?* ita non minus refert, Cretenſis quis ſit, an Romanus; Hungarus quis ſit, an Germanus: cum Romanorum & Germanorum virtus omnium ſeculorum encomiis ſemper extiterit illuſtriſſima; de Cretenſibus autem tranſierit in alia omnia verſiculus Epimenidis, ab Apoſtolo Paulo laudatus,

H. Boeer. de Quæſtioni. & tort. c. 3. n. 31. arg. l. 32. §. 21. ff. de ædil. ed.

ad Tit. c. 1. v. 12.

Κρῆτες

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί:
& de Hungaris aliud testetur proverbium Germanicum; **Der Hunger ist ein Vnger.** Sed prius de HVNGARIA ipsa aliquid. Hoc regnum quamvis agro gaudeat opimo & pingui, & ubique fere fertili; quamquam ex Martis intemperie etiam agricultura & metallorum fodinæ omnia hostilia jam tot ætates patiuntur: tamen *Aer* ibi est maxime insalubris, & quasi omnibus peregrinis noxius ac hostis, semper aut ob extremam crassitiem, aut subtilitatem extremam suspectus. Vnde castra uno in loco supra mensem illic haberi sine periculo non possunt: cum ille pulmonibus puriori auræ assuetis paulatim virus infundat, & tandem *Languorem Hungaricum* ingeneret, crebra tamen stativorum mutatione non nihil corrigatur. Equidem nulla alia re calamitosa illa *morbi Hungarici* labes in castris ad Comorram enata, ad Javarinum incrementa sumpsit, & demum ceu per seminaria distributo contagio Germanos, Bohemos, Belgas, Gallos, Italos afflavit sævissime; quam quod uno eodemque loco in Hungaria castra nimis diu hæserint; parum Medicorum castrensium prudenti consilio. Quemadmodum autem ad Budam primariam regni urbem (urbes in Hungaria sunt rarissimæ: atque excepta Buda, &, si vis, Posonio, vix ullam tota Hungaria paulo splendidioribus ædificiis constructam videas) sunt aquæ sulfuratæ, tanti fervoris, ut pede vix tentari possint, & in eas a laniis projecti sues facile depilentur, & tamen ibi pisces degere,

Cobertus in Observ. castrensib.

Vide M. Ruland de lue Hung. c. 8. & 21. a Cobero in aliquib. dissentient.

Busbe. ep. 1.

G. Agric. l. 2. de nat. eor. quæ effl. ex terra. Iov. H. l. 39. Busb. Ep. 1. Isthuanf. H. l. 14.

gere, & ranæ frequenter innatare conspiciantur, aliis fluvialibus piscibus aut ranis in illas aquas immissis mox supino ventre mortem anhelaturis: sic Hungaris suus Hungaricus pessimus aer uti propter singularem naturæ consensum per est amicus; ita aliis gentibus est adversus, pestilens, & vix tolerabilis. Quid dicam de illis teterrimis bestiolis Hungaricis, illis *pediculis*, qui jure quasi proprio suis ambulatiunculis, suctiunculis, & morsiunculis in cunctos passim numerosissime grassantur? Quam fœcundus hac fœdissima sobole est aer Hungaricus? Qui viderunt & experti sunt, attestantur, linteolum aqua, stagnanti præsertim lotum, & ad solem siccandi causa expositum, mox totum Syllanis vermibus scaturire. Et laterem lavant, qui crebris indusiorum novorum mutationibus pediculorum contubernium subterfugere conantur; cum illo modo plures semper attrahant, quam pellant; & frustra sunt, qui aliis rationibus familiarissimorum & ingratissimorum comitum ictus se evitare posse sperant: quos vel ex ipso corporis madore Hungaricus aer cito producet. Illam aeris gravitatem æquat *malitas aquarum*; quæ plerunque omnes, & quidem flumina extra Danubium, qui Budam usque satis salubres & potui commodos fert latices, fere omnia, firmam hominum valetudinem hostiliter adoriuntur. Certe Rabniza sive Arabo, qui juxta Javarinum Danubio miscetur, pestilentes aquas & summe graveolentes volvit: adeo ut pisces

Cob. in Obs. castr.

ces canciique etiam cocti, putidum fœtorem spargant. Verum ut concedam liberaliter, totam Hungariam esse usquequaque saluberrimam; fertilissimam; cultissimam; ditissimam: quid hoc tamen ad ipsorummet HVNGARORVM gloriam facit? Sicuti enim patres, qui filias habent, gibbo; varice; struma; lentigine; balbutie; lippitudine, aut aliis corporis animique vitiis fœde deformes, eas ita dotant magnifice, ut procos allicaant:

scilicet uxorem cum dote, fidemque, & amicos, Hor. 1. Ep. 6.
& genus & formam regina pecunia donat;
ac bene numatam decorat Suadela Venusque:

sic Natura & Fortuna Hungaros tanquam prolem alias rejiculam plurium munerum copiis largiter instruxêre, hoc veluti emplastro infames illorum cicatrices occultaturæ. Namque Hungarorum quamplurimi, incuria honestatis ita se omnibus depravarunt erroribus; ac piacularibus sceleribus incumbentes prope exesa mansuetudine generis sui immane efferarunt; ut possit videri nullum animal in terris Hungaro postremius. Nec enim vel unum vitium nequissimæ genti (quod cum bona venia & sine injuria proborum dictum volo) deest: sed omnia prorsus, ut in quamdam cœnosam latrinam; in illorum animos flagitia confluxerunt. Quod ipsum & Otto Frisingensis Episcopus, Imp. Friderico I sanguine junctus, vir sapiens & luculentus historicus, olim animadvertebat; cum ita de Hungaris judicaret: *Hungari inquit, sunt facie tetri, pro-* l. 1. c. 31. de rebus gest. Frid. I.

 fun-

fundis oculis, statura humilis, moribus & lingua barbari & feroces; ut jure fortuna culpanda, vel potius divina patientia sit admiranda; quae, ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris tam delectabilem exposuit terram. Equidem Hunnorum, qui Hungarorum sunt patres, tanta fuerat scelerum immanitas, ut veteres quidam scriptores, nisi eorum originem ad ipsos cacodæmones referrent, fidem scriptis suis inventuri sibi non viderentur.

Bonf. rerum Hung. l. 1.

Jornandes *Alirumnam*, nescio quam e Scytharum gente, supra modum humanum vasta corporis mole mulierem, a Filmero Gothorum Rege in exercitu repertam, quod parum secunda esset pudicitiæ fama, in exilium scribit ejectam: quæ cum ultra Mæotidem paludem in sylvis ac solitudine misera erraret, dæmonum compressu gravida multos monstrosos partus ediderit, e quibus deinde Hunnorum genus sit propagatum. Alii Satyros & Faunos generis produnt conditores. Sed commenta hæc, fabularum amatoribus relinquamus. Illud certum est, ab extremis frigidissimisque Septentrionum oris Hunnos sive Hungaros prodiisse. Et gloriantur hodieque Mosci, eorum olim subditos Hungaros ex *Iubaria* sive *Iubra*, quæ ad Oceanum Septentrionalem Moschici imperii est provincia, egressos ad Danubii ripas commigrasse, occupataque Pannonia eam suo nomine *Iubariam* primum, & post literis paululum immutatis *Vngariam* appellasse. Ajunt, Juharos in hunc diem eadem cum Vngaris lingua uti. Scythicæ vero & hujus barba-

Al. Guagninus rer. Pol. t. 2. Neugebauer in Mosco. c. 4.

īæ originis apud Hungaros clarissima etiamnum ubivis locorum apparent vestigia: & facile est *Iubaros* in media Pannonia agnoscere; hominum genus, ——— *quo non deformius ullum*

Arctos alit, turpes habitus, obscœnaque visu corpora. Claudian.

Bipedes existimares bestias, vel quales in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incompte in hominum figuras: ingenia eorum, ad similitudinem corporum horrentia. Qualem tam rudem Juharum, etiam cum res Hungarorum in summo fortunæ fastigio & splendore flagrarent invidia vicinorum, credimus fuisse *Petrum illum Corogium* e famulitio Regis Ludovici, Mohaciana quoque clade obrutum: qui stupendo naturæ & omnia conficientis stomachi robore mures vivos, præcisasque felium caudas, & abjecta in plateis canum cadavera terra sanie & tabo vermibusque scatentia, absque horrore & ulla gulæ nausea mandere vorareque solebat. In hoc vero Petro progenies defecit nobilium Corogiorum: quibus olim, Andreæ I Regis ævo, Divo Gerardo impiam necem afferentibus, ex eo divina Nemesis totam eorum posteritatem in pœnam traxit; ita quidem, ut post sancti viri nefandam cædem nemo quisquam Corogiorum in Sacellum, Divi ejusdem memoriæ in colle urbi Budensi opposito ædificatum, sponte aut secus ingressus, continere se potuerit, quin soluta repente alvo fœde contaminaretur. Hoc ipsum Rex Ludovicus in ultimo Petro isto deprehendit experimentis fa-

Marcellin. l. 31.

Nic. Isthuant. rer. Hungar. l. 8.

cto sæpius periculo, non sine multo spectantium risu & admiratione. Cæterum non ostendam jam, nullos amplius esse in Hungaria Martinos & Hieronymos, Christianæ religionis columina; quorum nomina cælo condita profanis posterorum sordibus turpiter inquinantur. Et quis præsens est rerum status? Quæ sors? Pannonia in media Pannonia hodie non inveniatur, in media Stridone, (si hæc D. Hieronymi patria, & non potius in agro Istriæ Justinopolitano quærenda est.) nulla Hieronymi, in media Sabaria nulla Martini memoria hodie superest. Et quid ibi locorum Hungari, ultra Virgilianos opiliones & bubsequas rusticani ac barbari, de religione ac religiosis pie loquantur vel cogitent? Est universa Hungaria jam a ducentis annis totius Europæ sepulchretum, publicum Martis macellum; quod uti sanguinolentis gurgitibus, & concisarum legionum sanie taboque, ita etiam sacrarum ædium ruderibus ac ruinis late horret: aut si quis adhuc religioni & humanitati relictus est locus, id omne Germanorum pietati & virtuti debetur; qui in regiis ac liberis Hungariæ civitatibus, in urbibus montanis, & in ipsa Transsilvania, non hybridæ, aut novi homines; sed armis prisci domini sunt. Neque etiam jam in Pannonum veterum Imperatorum sceleribus enumerandis immorari est animus: cum nemo humanioribus literis doctus nesciat; *Decium* cunctas virtutum, quæ in ipso eminebant, elegantias immensa in Christianos

Io. Lorin. Com. in Ps. 73. v. 14.

Iul. Pflug. de Rep. Germanorum. Berger. in Trin. Eur.

Egnatius.

nes crudelitate commaculasse; *Aurelianum* in necessariorum magis, quam bonorum Principum catalogo effulsisse; *Probum*, cætera non improbum, tamen Germanorum quadringentis millibus cæsis, cum reliquias ultra Albim removeret, & novem Regulos ex diversis gentibus ad pedes victoris suppliciter prostratos sedecim tyronum millia tradere cogeret, improbitatem spirasse; *Diocletianum* fortunæ imparem & mortalitatis oblitum, Divinos honores, cum pedum suorum oscula & adorationem pateretur, adfectasse; *Iovianum* (de quo anus quædam: *Quanta est longitudo & profunditas, tanta est stultitia*) ignobilissimam pacem cum Sapore (hic est *Schabur* ille, qui corona regia insignitus fuit, antequam nasceretur) Persarum Rege, multatis Imperii Romani finibus, quod ante eum annis cIↃ CXVIII nunquam accidit, fecisse; *Valentinianum* nimia judiciorum atrocitate, levibus delictis gravissimas pœnas imponendo, laborasse; *Valentem* Arrianum in Catholicos sæviisse; *Gratianum* a Reipublicæ gerendæ scientia non modo voluntate, sed etiam exercitio alienum fuisse. Sed nominatim de Hunnorum Hungarorumque fastu, crudelitate, & perfidia, ut aliquid nunc, & quidem breviter eloquar: quemnam vel illi vel isti populum per totum terrarum orbem possunt suo *typho* & *superbia* invenire comparem? Intuemini, Auditores, *Attilam*, quem Hungari *magnum* jure vocant; eodem, quo olim *Alexander magnus*, aliique generis ejusdem; magnum latronem, & felicem imperiorum prædonem:

Eutr. l. 9.

Cuspinian. in Probo.

Sigon. de Occ. Imp. l. 1.

Suidas.

Eutrop. P. Læt. Marcellin. l. 25. W. Schickart. in Persic.

Sigon. de Occ. Imp. l. 7.

S. Aur. Vict.

terrarum fatale malum, fulmenq; quod omnes
percuteret pariter populos, & sydus iniquum
gentibus.

Vide, ut ille *fatis urgentibus actus*
humana cum strage ruit? gladiumq; per omnes
exegit gentes? ignotos miscuit amnes?

Quis vero unquam Tyrannus cum illo *Attila*, illo humani generis portento; lingua ad omnem blasphemiam effreni garrire ausus est; *Stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse universi orbis?* Quis mortalium unquam titulos *Attilæ* ferre potuit; cum ille epistolis & diplomatibus superbe hac formula præscriberet; *Attila filius Bendecuci, nepos magni Nembroth, nutritus in Engaddi, Dei gratia Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum, metus orbis, flagellum Dei?* Quasi non alio lictore opus foret, quam ipso *Attila*; & non aliunde carnifices hominum, quam ex Hungaria petendi essent; qui acerbius lege agere, & virgas, secures, ignes, validius intorquere possent, ut mortales extrema supplicia meriti severissime plecterentur. At flagellum illud, non Hunnorum suorum magis, quam Marcomannorum, Quadorum, Herulorum, Turcilingorum, Burgundionum, Thuringorum, Bructerorum, Saxonum, Francorum, & aliorum populorum, in societatem belli pertractorum, potentia *septingenta millia hominum* complexa, terribile, *Aetius*, præter militem provincialem & Italicum, Liticianis, Armoritianis, Sarmatis, Labronibus, Ripariolis, Saxonibus, Burgundionibus, Alanis, Gothis

Nic. Olaus in Attila M. I. de Tarocz in Hung. Ch. c. 16

M. Ritius de reb Hug. lib. 1.

Jor. Elog. l. 1. de Attila. M. Welser. Rer. Boic. lib. 2.

Sig. de Occ. Imp. l. 13.

Gothis, Francis adjutus (ac si ad Germanos profligandos Germanorum opera semper necessaria esset) in campis Catalaunicis ita repressit & contudit; ut *Attila* ille, salute jam desperata, rogum ex sellis equorum construxerit, eo animo, ut si Aetius castra ejus cepisset, sese in illum ardentem conjiceret, ne Romanus miles aut se vulnerato gauderet, aut de capto magnifice triumfaret. Atque hoc est immortale *prælium Catalaunicum*: in quo CLXII *millia hominum* ceciderunt, præter *nonaginta millia Gepidarum & Francorum*, qui nocte, quæ prælium præcessit, inter se armis congressi mutuis vulneribus occubuerunt. Narrant, rivulum memorati campi humili ripa labentem peremptorum ac sauciatorum sanguine fluxisse; quosque sitis intolerantia ad bibendum adegit, eos sanguinem, quem vulnerati fuderant, potasse. Sed tandem abominabilis ille tyrannus, qui Galliam & Germaniam crudelissime vastaverat, Italiam immaniter diripuerat, cum animo versaret Orientem, & Syriam Ægyptumque cogitaret, illi

occurrit suprema dies. Naturaque solum
hunc potuit finem vesano ponere Regi.

In nuptiis enim, quas cum Bactrianorum regis filia apparaverat, dum Baccho & Veneri jam senex supra vires strenue operaretur, dormiens repentina sanguinis eruptione suffocatus est. At vero non caruit fastus & truculentiæ hæredibus Attila: ac sequentibus temporibus seculisque posterioribus non cessaverunt Hungari excursionibus

P. Diacon. l. 15. Naucl. v. 2. gen. 16. Sigon. de Occ. Imp. l. 12.

M. Io. de Turocz Chr. Hung. c. 12. Ens rerum Hung. l. 1.

nibus & cunctis sævitiæ exemplis divexare Germaniam: plerunque tamen a fortissimis Germanis ita excepti, ut illi fere semper pro præda plagas, & infame nomen domum retulerint. Quid enim *Cachannus* præstitit, cum magnum numerum præstigiatorum, & in diaboli schola eruditorum, adduceret secum in Germaniam? Nempe Rex Sigebertus prædones hos & veneficos ita ultus est, ut pacem ab eo petere fuerint coacti. Et quid aliud alii superbæ gentis latrones suis invasionibus acquisiverunt, præter summum dedecus, & æternam nullisque meritis eluendam scelerum memoriam? Sed ut ne nimius sim per omnia annalium & historiarum scrinia eundo, nulli Cæsarum Satanicum & violentissimum Hungarorum typhum generosius represserunt, quam *Henricus Auceps*, & *Otto Magnus*. Ab illo superbe & non sine minis efflagitabant *tributum* Hungari, quod jam a duobus Imperatoribus antea extorserant; id vero cum Henricus, ad dignitatem Imperii minuendam magnopere pertinere ratus, persolvere prorsus recusaret, mox ingens perditissimorum hominum colluvies, ceu densa aliqua nubes in Italiam & Germaniam sese effudit, tantamque procellam excivit, ut Germania in cæde ac sanguine suorum civium pene nataret. Henricus, qui occasiones commode assiliendi hostis diligenter captabat, primarium Hungarorum ducem inopinato oppressit. Cumque Hungari vitæ ducis sui metuentes magnam pecuniæ vim lytri nomi-

nomine offerrent, Cæſar pecuniam hanc e rapinis & præda coactam aſpernatus, illis novem annorum inducias conceſſit. Vixdum hi exierant, cum ecce iterum adſunt Hungari, tributum multo quam ante ferocius repetentes. Sed Imperator, qui interea ad vim ſeſe diligenter comparaverat, tributi loco *canem mutilatum & ſcabie deformem* ad ipſos mitti juſſit. Hac contumelia magis accenſi, pro uno mutilo cane trecenta hominum millia remiſerunt; quorum tanta fuiſſe ſcribitur truculentia, ut major ne excogitari quidem poſſit. Tandem, poſtquam Deo viſum eſt modum ſtatuere ipſorum ſævitiæ, Henricus tantis eos viribus tantoque impetu aggreſſus eſt, ut omnis Europa contremuerit. Nam *centum & quinquaginta hominum millia occiſa, quinquaginta millia capta* feruntur, præter eos, qui palantes paſſim & ſparſi in fuga perierunt. Multis captivis juſſu victoris manus amputatæ, nareſque & auriculæ abſciſſæ: qui ita ad ſuos domum remiſſi cum hoc mandato, *ut renunciarent popularibus, hoc eſſe tributum, quod in poſterum Hungaris pendere velint Germani.* Licet autem ſic caſtigati, ſic profligati, ſic contuſi tunc fuerint Hungari, ut vel ad memoriam tantæ cladis elatos ſpiritus demittere debuerint; nihilominus tamen poſtea ab Heroldo Salisburgenſi Epiſcopo evocati incredibili multitudine denuo inſultaverunt Germaniæ, cum confidentiſſime dicerent, *Niſi cœlum cadens nos obruat, aut terra dehiſcens nos abſorbeat, nulla vis humana tanta erit,*

Ens d. loco, Megiſer l. 6. Chr. Carint. c. 14.

Cuſp. in Ottone I. Gr. Ann. Suev. p. 2. l. 4. c. 8. Avent. An. Bojor. l. 3. C. Ens. d. l.

qua vel aspectum nostrum sustinere possit. At vis consilii expers mole ruit sua; & odit superbos, scelerisque est ultor Deus. Ita & Hungaris contigit. Ad amnem enim Licum proxime Augustam, ab Imp. *Ottone Magno* fusi, & ad internecionem ferro, flamma, & aqua deleti sunt. *Bultzko* hostium Rex, & exercituum duces *Lalius*, *Sura*, *Toxus*, *&* *Schaba*, capti; quos Otto quidem conservare volebat; sed Suevis repugnantibus, illi Reginoburgum ad Henricum Bavariæ Ducem missi, ibique ante portam Orientalem, quæ Hungariam respicit, laqueis in patibulo suffocati & suspensi sunt. Semper deinceps bellici spiritus Hungarorum decreverunt; & post *Matthiam Corvinum*, famæ magnæ venatorem, longeque etiam supra veri fidem cum vulgo, tum clarorum scriptorum monumentis celebratum; quippe qui Italorum calamos largitionibus sibi devinxerat; illorum vigor Sulimani Turcarum Sultani judicio penitus extinctus, & cum Matthia eodem sepulchro conditus est. Quæ omnia si Hungari ad conscientiæ libram exigerent studiosius; haud paulo futuri essent moderatiores in conviciorum jaculis adversus Germanos, (quos barbaro supercilio despiciunt: & Georgius Varadinensis Episcopus adeo erat Germanorum contemptor; ut cum ex his duos milites supplicio affecisset, in eadem furca totidem pariter porcos ad ignominiam suspenderit) & alias nationes mittendis, cum calumnientur creberrime, *Omnibus extera*

plus

Ren. de Lusinga de Imper. increm. l. 1. c. 11. n. 14. Tubero Com. l. 1.

Jov. H. l. 39.

plus se semper cum Morte undiquaque imminente, quam cum Marte negotii esse solere. Non enim dubitaverim affirmare, *unicam legionem Suevicam ex quatuor tantum millibus militum compositam, quadraginta Turcarum millibus in acie tuto opponi posse,* si eodem corporum alacritate & vigore, quo hinc in Hungariam secundo flumine devehitur, recta ad manus cum hoste conserendas deduceretur: quod de legione Hungarica vel altero aut tertio tanto majore sperari non possit. Quamobrem tibi, illustris Baro Henrice Alberte, haudquaquam credulas aures præbere queo, asserenti; hactenus per unos Hungaros stetisse, quo minus tota Europa sub imperium Turcicum concesserit: cum hæc gloria fere unorum Germanorum sit propria, qui ferro suo sanguinem Turcarum hauserunt, & sanguine suo Hungarorum & aliorum sanguinem tuiti sunt; quod nisi fecissent, jam tota Hungaria esset aut funus, aut mancipium. *Crudelitatem* Hungaricam cum fastu gentis jam miscui, cum istum sine illa dicere non potuerim: ut tamen de crudelitate speciatim quid addam, videtur *Ianus Varadinensis Præsul* de suis civibus ingenue omnia dixisse, cum apud Vladislaum Bohemiæ Regem, ab Hungariæ proceribus ad regnum capessendum vocatum, testaretur, *Hungaros multum lupi in se habere.* Lupus, Auditores, animal est maxime noxium, sævum, & perpetua rabie infestum, & quod occidere cuivis jure est permissum: imo Athenienses olim lege lata etiam præmio

Cober. in Obs. Costa

§. nemo rotia. de pac. ten. in usib. Feud.

mio invitabant ad cædes luporum; cum ei, qui lupi catulum interemisset, talentum, qui adultum occidisset, duo talenta darentur. At quis Hungarorum non habet aliquid lupi! Spectate, mei Auditores, vel optimum Hungarorum, Regem *Matthiam Corvinum*, & observate, quantum lupi in isto latuerit. Habebat ille avunculum *Michaelem Zilagium*, strenuum bellatorem, & qui regnum sibi delatum ante recusaverat, & præcipuus Matthiæ eligendi auctor fuerat: sed cum iste cognatione & senio fretus sæpe Regem liberrime admonere, atque interdum etiam increpare non dubitaret; assentatorum vocibus impulsus Matthias, tum suopte ingenio asper monitoribus, senem optime de se meritum in custodiam includi jubet: jamque calumniatorum opera res eo erat deducta, ut in Michaelem supplicium fuerit constitutum: quem tamen unius hominis fides servavit. Is coquus fuit: qui innocentis senis misertus, per aream arcis discursans tumultum conclamat. Nec mora: milites, quibus tam arcis, quam captivi fuerat commissa custodia, hostem ad portas esse rati, uno velut agmine facto se ejiciunt: coquus interim pontem pensilem subducens, eos omnes excludit, & herum vinculis liberat. Cum autem Michael contumeliam a Rege adolescente sibi illatam gravissime ferret, homines idoneos cum literis ad eum mittit, in quibus præstita ei beneficia exprobrabat, quod scilicet ei, cujus opera potissimum ad regnum provectus esset, non quæ benefactori

Bns rerum Hung. l. 4.

&a-

& avunculo, ſed quæ proditori debebatur, mercedem perſolviſſet. Ac licet facti hujus invidiam in calumniatores derivaverit Matthias poſtea: nonne tamen more lupi ſæviit antea? Idem Rex Matthias Viennæ, ubi Francorum Legatos audiebat, cum menſæ aſſediſſet, nec ficus, quæ ex Italia allatæ fuerant recentes, ibi, quod juſſerat tamen, apponerentur, ab aulicis vel per incuriam vel ingluviem devoratæ, ita exarſit ira, ut toto corpore contremiſceret; quo motu humores colliquefacti in cerebri cellulas defluxerunt, indeque ſtatim ſecuta eſt apoplexia & ſtupor; cumque loquendi etiam facultatem amiſiſſet, tandem belluæ inſtar inter horrendos mugitus animam profudit. Nonne vero & hoc eſt more rabidi lupi deficere? Quid? quod Hungari aliquando lupos ſævitia etiam ſuperant? Non exaggerabo jam illud indignum facinus: quo Hungari proceres cæſo *Aloiſio Gritto* militares penulas in ejus cruore ſolenni ceremonia tinxerunt, ut diu ſecum exactæ vindictæ memoriam deferrent: nonne vero *Dracula Valachiæ Vaivoda*, qui ſub Matthiæ Corvini Regis imperio vixit, omnibus lupis fuit immanior? Ille enim Turcarum legatis, pilea Phrygia ex patriæ inſtituto deponere recuſantibus, confirmandi moris gratia clavis ea capitibus affigebat, ne in poſterum amoveri poſſent: ille inter Turcos palis transfixos ſub dio cum amicis laute epulabatur: ille hoſtium captivorum pedes excoriabat, contuſoque ſale perfricabat, mox lingentes ſalſis plantis capras adhibebat, quæ lin-

Iov. H. l. 32.

Bonfin. rer. Hung. dec. 3. l. 10.

linguæ aſperitate cruciatum augerent: ille mendicos & alios homines miſerabiles opiparo excipiebat convivio; dein cibo vinoq; repletos cremabat. Sed nonne Draculæ crudelitatem ſuperavit *Ioannes Zapolia*, *Vaivoda Tranſsilvaniæ*; qui *Georgio Siculo*, ſeditioſorum duci & ſodalibus pœnas irrogaturus, cum ſcelera eorum graviſſimas expoſcerent, ſic tamen laxavit frenos furenti ultioni, ut non homines, ſed diaboli judices ſediſſe videantur? Attendite, mei Auditores; atque immiſericordiam expendite. *Georgius Siculus*, *Doſa* cognomine, e Dalvico oppido inter Siculos Tranſſilvanos haud poſtremo oriundus, ſingulari virtute, Ali Epirota Samandriæ equitum præfecto Turcico ex provocatione victo, &, cum prius dexteram manum illius loricatam immani vulnere uno ictu detruncaſſet, occiſo, meruerat; ut à Rege Vladiſlao duplici ſtipendio, (præerat autem antea turmæ equitum Nandoralbæ, ſive Taurini.) torque aureo, purpureis veſtibus auro intertextis, equeſtri dignitate, & pago donatus fuerit. Et quia tunc temporis in Hungaria autoritate Pontificis, Regiſque permiſſu, annitente potiſſimum Thoma Bacocio Cardinali Strigonienſi, ad Turcicum bellum voluntariorum militum ingens confluebat multitudo, quibus tamen adhuc deerat, a quo regerentur; Georgius, ex recenti forti facinore in memoria & ore magnatum frequens, præ aliis idoneus & dignus exiſtimatus eſt, cui in novo exercitu ducatus committeretur. Conventio fuit facilis; & Ge-

Nic. Iſthuanf. Hiſt. l. 5. Vide etiam Polon. Hiſt. l. 13. qui tamen in ſaleratione non parum diſcordat.

& Georgius a Cardinale solenniter *Cruce* insignitus, tanto cum vulgi applausu, ut ex novi ducis fama magis magisque apud simplices creverit desiderium capessendi militiam; adeoque in Annales relatum sit, intra mensis spatium ultra XL. millia hominum cruce signatorum (hoc enim purpurei coloris signo tyronum pectora muniri volebat Georgius.) unis in castris Pestanis visa esse; præter illos, qui haud minore numero circa Varadinum, Albam, Colociam, & Baciam, aliaque loca, sumptis crucibus, se aggregasse nunciabantur. Verum robore rusticæ plebis catervatim ad castra dilapso, domi relicto non nisi infirmorum grege; comperto, raros aut fere nullos in tuguriis mansisse agris vineisque colendis, frugibus demetendis, operis ac ministeriis aliis obeundis: Nobilitas tantorum detrimentorum impatiens, verita insuper, ne militari petulantia ac dulcibus armorum furiis semel inescati rustici in posterum debita obsequia negarent, omnino in ordinem eos, quoscunque deprehendere poterat, cogere constituit. Quod utique jure suo facere poterat; si non sævitiam pro imperio exercere maluisset. Quas ob causas creberrimæ querelæ ad Georgium delatæ a tyronibus, petentibus, curaret militiæ imperator, ne ipsis, quod in castra venissent, fraudi & crimini esset. Suffragabatur plebejorum votis mirum quantum Laurentius sacerdos, qui Georgium potenti suadela impellebat ad compescendam Nobilitatis insolentiam; dictitans, ipsum

a Deo

a Deo Opt. Max. e coelo demissum esse, qui tot tantisque miseræ plebis ærumnis, morte ipsa gravioribus, avertendis acerrimeque vindicandis vires facultatesque omnes intendere, & arma ac exercitum, quæ divinitus & auctore numine in manibus habeat, ad pœnas a scelestissimis hominibus exigendas, atque eorum intolerabilem superbiam cum summa crudelitate conjunctam perdomandam, omissa alia omni cogitatione convertere debeat. Hisce talibus Georgius non parum animo commotus, tandem salubrioribus fratris sui *Gregorii*, quem milites *Gezonem* appellabant; consiliis rejectis, quod diu occultaverat, pectore expromsit; & feralibus armis in Nobilitatem palam versis, agrestibus omni maleficiorum genere in eam desæviendi licentiam concessit. Nec mora; infesta agmina; quocunque impetus scelerum ferebat, ruere; dominos promiscue insectari, torquere; interficere; eorum filias virgines ad turpissimos abusus rapere; liberos a parentum complexibus divellere; templa exspoliare, diripere domos; incendiis, cædibus, cadaveribus, cruore, luctu cuncta miscere. In illa autem Nobilium confusa laniena valde flebilis conditio fuit *Ioannis Chaquii*, *Episcopi Chanadiensis*; quem Tartareus Georgius captivum ad se perductum; post multa verbera & cruciatus, stola sacra indutum & infula; præacuta sude per inguina adacta indignum in modum interimi jussit. Eodem cruciabili exitu periere & *Gregorius Docus*, & *Petrus Ravasdius*, viri sum-

ſummo loco nati. Nec mitius habitus *Stephanus Telegdinus* : ſiquidem ipſomet Georgio inſpectante & carnificinæ arbitro, clariſſimus vir funibus per teſtes & membrum genitale in præalta furca ſuſpenſus, ac deinde ad ludibrium ſagittis ſclopetiſque confectus fuit. Pugnabat initio Rex Vladiſlaus in damnatam illam latronum colluviem ſeveris edictis. Quibus nihil proficientibus; belli cura demandata eſt *Ioanni Comiti Scepuſienſi Vaivodæ Tranſsilvaniæ* : qui etiam geſſit illud prudenter, fortiter, feliciſſimis ſucceſſibus, cum multiplici Cruciariorum ſtrage, ad extremum ipſo duce, quem Petrus Petrovitius Vaivodæ ſanguine conjunctus ceperat, ac pleriſque inauſpicatæ militiæ anteſignanis in poteſtatem ſuam vivis redactis; & ſic *Cruciato bello* (uti vocabatur.) in quo variis præliis ad LX millia hominum cecidiſſe feruntur, finito, pulcherrimam patriæ a tanto diſcrimine liberatæ laudem tulit; in majori tamen gloria futurus, ſi in exactionibus. ſuppliciorum modum diritati figere potuiſſet. Georgio itaque cum Gezone & reliquis veſanæ factionis primanis, reſtibus ac catenis nexis, in conſpectum Vaivodæ venientibus; tum coryphæus ille, intrepidus & conſtanti vultu, *Non abs te*, ajebat, *peto invicte Vaivoda, ut mihi parcas : utere in me jure tuo, prout volueris: hoc unum, quantum poſſum, poſtulo; ut æquior in Gezonem eſſe velis; quem notum eſt, meis in caſtris invitum & a me vi coactum militaſſe.* Quæ quidem non ſimulata excuſatio in tantum profuit Gezo-

ni, ut ſola capitis abſciſſione in ipſum animadverſum fuerit. De cætero committebat Vaivoda negotium excarnificandorum captivorum viliſſimis mortalium, vagis illis *Ciganis*, ſive *Zingaris*. Hi arreptis quadraginta ex ſontibus, qui privatis miniſteriis Georgio olim familiares erant, eos in tenebricoſos carceres condunt, & quindecim dierum inedia mactant, ut, ſi quos forte tam diu ſine cibo vivere contigiſſet, demum famis rabie incitatis miſeris ſemiambuſta viventis ac ſpirantis Georgii membra devoranda offerrentur. Sed ex tanto numero tantummodo novem duravêre; tabe conſumptis cæteris. Interea Zingari e rudi ferro ſolium, coronam, ſceptrum, regia inſignia conflare; in ſolium Georgium nudum inferre, & coronam igne candenti coruſcantem capiti ejus imponere. Mox immiſſi novem illi famelici, ſemineces, luridi, umbris ſimiles; queis imperatum, Georgii artus, qui ignito ferro tacti horriferum ſtridorem nidoremque reddebant, ſtatim morſu lacerent, ſimulque guſtent de ferina iſta, carnificibus ultima refractariis ſtrictis gladiis minitantibus. Sed tres, Canibalicas dapes aſpernati, ſubitam mortem prætulerunt. Sex reliqui, quoniam mortis metu abominabilem offam deglutierant, dimiſſi ſunt: quos inter quidam *Laurentius*, ferrarius faber, Georgii equos ferreis ſoleis munire ſolitus, erat; quem provectiſſimâ ætate ſenem vidiſſe ſe in pueritia teſtatur de patria ſua optime, & de literis inſigni Hungaricarum rerum hiſtoria præclare

clare meritus *Nicolaus Isthuanffius.* At Georgius omni laniena, tanquam ad ſe nihil pertineret, Stoico ſupercilio contempta, non flere, non ejulare, non horreſcere viſus: tortores tantum *catulos caninos ab ſe educatos* probroſe vocitans, conticuit: ac poſtremo ignitis forcipibus identidem lancinatus, poſt tot phalariſmos exſpiravit. Cadavere in fruſta ſecto; ea Budam, Peſtum, Albam, & Varadinum miſſa, furciſque ſuſpenſa, prætereuntibus ſpectaculo fuêre. Neſcio, Auditores, an Vaivoda exemplum tantæ immanitatis ſumpſerit à *Paulo Quiniſio*; qui intelligens, nonnullos de prodenda Turcis Tauruni arce cum Alibego Samandriæ præfecto conſilia agitaſſe, acerbiſſimis habitis quæſtionibus, in convictos confeſſoſque teterrima nec unquam antea ab ulla hominum memoria audita ſuppliciorum genera exercuit, voluitque, ut proditores inſtar vervecum ignibus toſti a ſociis meditati criminis manderentur. At enim quemcunq; tantæ inhumanitatis laudare potuerit autorem Vaivoda: equidem ſpectaculum crudelitatis edidit nulli imitandum: a quo, etſi Georgius extrema quæq; meruerat, viri Chriſtiani animum atque oculos avertere debuiſſent. Stuporem autem incutiat ruminanti, quod Iſthuanffius ex traditione commemorat: Vaivodam poſt deletos agreſtes, & fuſum innoxium plurimorum ſanguinem, Euchariſtiam, dum ea a ſacrificio Romano ritu aſtantibus populis oſtenditur, mirum dictu! toto biennio videre non potuiſſe: atque idcirco ipſum, & matrem

A.Ch.1492. Iſthuanff. Hiſt. l. 21

Iſthuanff. Hiſt. lib. 6.

ejus Hedwigem, & sororem Barbaram Poloniæ Reginam, religiosissimas fœminas, erogasse in egenos, & monachorum Vestaliumque collegia magnum auri pondus, ac obtinuisse tandem assiduis suis & piorum precibus jejuniisque, ut sacri mysterii pristinus conspectus illi redderetur. Cæterum, ut lupus animal non magis est crudele, quam infidele: sic Hungari non animorum tantum sævitia, sed & *Perfidia* scelestè obbrutescunt. Est in ipsa Hungaria ingens silva *Giota*, cujus arenosum solum suapte natura primo vere liquatis nivibus ita mollescit, ut quanquam superne herbidum & viride appareat, calcatum tamen ab equite sive pedite confestim absorbeat vestigia, & proinde ignari incautique ejus rei homines, præsenti ope destituti, non minus ac profundioribus lacunis & voraginibus immersi extinguantur. Eodem prope modo accidit, ut & Hungari externam speciem bonæ fidei & singularis innocentiæ præ se ferant sæpenumero, sed qua credulis atque improvidis decipularum certam pestem machinari solent. Si suffragia & argumenta colligere velimus, non reperiemus causam, quamobrem de Hungarorum perfidia ambigere possimus. *Plerosq; Hungarorum in omne fere facinus pecunia impelli solere*; asserit Ludovicus Tubero. At quis iste Tubero? Historicus est: Abbas est: Dalmata est: Hungarici Imperii civis est. *Hungaris nihil esse inconstantius atque levius; eosque subinde dominos mutare, & in Germanos adeo infestis ferri animis, ut Turcicum Imperium longe præferant*;

Isthuanf. Hist. l. 28.

Com. l. 3.

Sleid. Com. lib. 14.

rant; dicit Franciſcus Olivarius. Et quis iſte Olivarius? Vir ampliſſimus eſt: Cancellarius eſt: Regis Galliarum ad Romani Imperii ordines legatus eſt. Et quid ſingulorum teſtimonia operoſe conquiro? Cui enim illa proverbia, quæ oracula & totarum gentium ſunt teſtimonia; cui ſunt ignota illa, *Hungariam cubicularis lecti & fidei inopem eſſe?* **Gelt Hunger / auß wem machſt du nicht einen Unger.** *Avaritia* equidem (ut *ὕστερον πρότερον* dicam) quaſi hectica quædam febris cor gentis jampridem ita ſubegit; ut teterrimum vitium nullum amplius patiatur remedium; quod tamen præcipue ſub Imperio Ludovici II immane quantum virium acquiſivit; cum probo facilique Principe ad compendium ſuum promiſcue omnes abuterentur, ſed inprimis Aulici artes emungendi regis ultra omnem modum improbe exercerent. Hujuſmodi in verſutiis præter cæteros præſtabat quidam Agrienſis Epiſcopæ Præfectus, ipſi Ludovico familiariter cognitus. Hic cum vulturem cicurem ad aucupium edoctum, nec non aucupem mimicis artibus ac præſtigiis celebrem haberet; adoleſcens Rex, talium maxime amans cupienſque, utrumque dono ſibi dari a Præfecto petit. Non recuſat Præfectus; ſtipulatus tamen vafer & avarus homo *εἰς ἀντίδωρον* immunitatem a reddendis præfecturæ rationibus. Nec ſegnior Regis indulgentia; quippe qui codicillis annulo ſuo obſignatis illico liberationem conceſſit Præfecto, & reliqua, quæ apud illum ſupererant quadraginta millia aureo-

Tuber. C. lib. 4.

Dubrav. H. Boh. l. 33.

rum, expunxit. Talibus tunc technis quotidie expilabantur opes regni, nec quicquam aulicis muscis erat satis, regiam gazam, penum, cellam, culinam, & quicquid omnino obvium rapinæ erat, depascentibus. Nec est, ut opinemini Auditores, posteriora tempora nimis quam calamitosa, quibus cuncta regni opulentia vel dissipata, vel in captivitatem Turcicam ducta est, horrendum malum defectu alimenti evanuisse, vel simul Constantinopolim exulatum abiisse. Non ita est, Auditores mei. Etiamnum in Hungarorum cordibus regnat malum, imo in incremento est: quandoquidem furiali lucri cupidine abrepti illi tantopere inhiant pecuniis, ut & nonnunquam, exuta omni Christianæ Religionis reverentia, captivos Christianos Tataris ac Turcis in perpetua mancipia vendant. Qua in re, gliscente Boscaina rebellione, tanta fuit Haidonum feritas & insatiabilis auri sitis, ut multi propinquitate & sanguine sibi junctos divenderent; quodque execrabilius est, a multis fratres & sorores barbaris aurum solventibus, per auctionem non secus ac bruta animalia venum exponerentur. Et sunt, qui horrendam rem per se miraculo divinitus notatam addunt, ex auro nempe, a Tataris cuipiam Haidoni Christianos vendenti pueros numerato, cruorem manasse, quo impiæ manus & marsupia abominandi hominis macularentur. Atqui & *Perfidia* veluti sonticus quidam morbus apud Hungaros est; sic tamen, ut quemadmodum podagra ditiores

A.Ch.1605. Isthuanf. H. l. 34.

res ac lautas plerunque domos incolit, quasi dedignans tuguria & sobrias pauperum tabernas; ita quoque & Hungarica illa ἀπιστία Procerum potissimum ordinem affectetur. Fluxa gentis fides vel hinc etiam apertissime liquet: quod e tanto bonorum Regum numero pauci fuerint, quibus adversus subditorum suorum contumaciam non fuerit dimicandum. *Stephani Sancti* pietas graviter tulit impia arma *Cupæ*, & cæterorum rebellionis sociorum. *Caroli I* integritas ac probitas vix superavit *Matthæi Trensinii* perduellis potentiam, & vix effugit sicas proditoris *Feliciani*: qui consilio capto de Rege, Regina & filiis occidendis, in suburbio Vicegradensi Regi prandenti gladio stricto ictum intentabat, sed Rege se subducente Reginæ quatuor digitos amputabat, tandem & hoc ictu frustratus in regios pueros ruebat, quos pædagogi astantes objectu corporum suorum protexêre, uno ex eis lethaliter vulnerato. *Matthiæ Corvini* quantumvis felicis bellatoris fortitudo, non parum exercita fuit ab Ordinibus, qui obsequii jura arbitratu suo licenter interpretando in rebellium factionem coaluerant. At cur omitto *Sigismundum*? Quæ enim hæc perfidiæ est immanitas, quod armati proceres Hungari regiam intraverunt, Sigismundum Regem suum aut capturi, aut occisuri? cum ille nefarias conjuratorum molitiones animadvertens mox arrepto pugione in medium progrederetur; *Ecquis*, inquiens, *vestrûm manus suas sanguine meo colorabit? Aut quidnam sci,*

Ens in Hũg. passim.

Æn. Silv. in Par Alfons. l. 3. c. 32.

ci, quod me Regem vestrum interimere vultis? Prodeat e vobis, si quis audet, & cum me solo solus congrediatur. aut quod plerique Senatores jam captum & in custodiam traditum in medio Senatu trucidandum esse, ut olim Julium Cæsarem statuerunt; sine dubio mente jam perfectum scelus crudelissime executuri, nisi Sigismundus *Gariæ* viduæ, majestate oris singularique facundia ejus & amplissimis promissionibus ad misericordiam commotæ, beneficio elapsus, habitu rustico ad Hermannum Ciliæ Comitem noctu profugisset? Plusquam immanis certe hæc est perfidia, abominabile parricidium. Et adhucdum diram perduellium memoriam ad omnem posteritatem servat Soclosianæ arcis arduæ rupi impositæ perobscurus carcer, octoginta passus profundus; in quo Sigismundus Rex, a Nicolao Marcellio Palatino ac Senatu Hungarico detentus, semestrem captivitatem tolerasse traditur. Quid hoc vero est; quod Hungari nullo naturæ & gentium juris habito respectu Regem suum *Ladislaum*, adhuc infantulum, *jam solennibus inunctionis & coronationis ceremoniis consecratum, deseruerunt*, & ad Vladislaum Polonum, postea induciarum ruptarum infamia atque clade Varnensi notum, desciverunt? Flagitiosissima est perfidia & nequam defectio. Sed nunquam Hungarorum *Perfidia* pluribus ac illustrioribus speciminibus se se prodidit, quam ex quo Cæsar Maximilianus I, & nepotes ejus, juribus Domus suæ conservandis accuratiorem paulo curam adhibere, & pro incolumitate

Cusp. in Sigism. Cæs.

Isthuanff. H. l. 15.

Silv. Ep. 81. Lazius Gē. Aust. Com. lib. 2.

toc

tot ſanctarum pactionum ſolicitius vigilare cœperunt. Indigniſſime ferebat Cæſarum clementiſſimus, Hungaros poſt Matthiæ Corvini exceſſum evocaſſe ad Pannonicum Sceptrum Vladiſlaum Bohemiæ Regem: cum tamen communibus regni ordinum votis Neoſtadienſi s tranſactionis tabulis diſerte cautum fuerit; ut, ſi Matthias decederet ſine liberis, regni hæreditas ſtatim ad Patrem ſuum Imperatorem Fridericum, aut ipſo non ſuperſtite amplius, ad ſe devolveretur. Obducebant quidem fœdifragi velum levitati, cum dicerent, non ſpontaneis ſed coactis ſuffragiis Neoſtadienſes tabulas confectas fuiſſe; quo tamen nihil fingi poterat ineptius; nemoque reſciſſorium illud Prætoris edictum, adverſus publicas inter Principes ac Reſpublicas pacis ac concordiæ ſanciendæ cauſa factas, ſive pactiones, ſive tranſactiones obtenderit, niſi ſtolidus, aut publici juris prorſus imperitus, contemptorve: at Maximilianus Cæſar rejectis vaniſſimis illis commentis, indignationique legiones ſocians, continuo Hungaros tota Auſtria inferiori, in qua injuſtas multorum annorum moras agitaverant, expulit, ſeverioribus in ipſam Hungariam exemplis acturus, niſi Vladiſlaus iteratis legationibus impetraſſet Poſonienſem conventum; in quo primariæ dignationis proceribus utrinque conſilia conferentibus, poſt graviſſimas ac diuturnas diſputationes & deliberationes, iſtæ pacis leges ſcriptæ acceptæque ſunt; ut obliterata hinc inde omni offenſarum memoria, Vladiſlaus omnia

Iſthuanff. H. l. 1. & 2.

Rr 5 loca,

loca, quæ in Auſtria tenuerat, nullo ſibi retento jure, dimitteret; regnum vero Hungariæ, poſt Vladiſlai ejuſque liberorum mortem, ad Maximiliani nepotes juxta formulam Neoſtadianæ tranſactionis recideret. Hungari autem, ut oſtenderent, ſe in omnes occaſiones concitandis turbis promptos, cum juſſu Vladiſlai Thomas Bacocius Regni Cancellarius, & Stephanus Bathorius, ſummi & de Patria optime meriti viri, Ordinibus Poſonienſes conditiones interpretari vellent, primum quidem attente auditi, ſed ubi ad caput de tranſlatione Regni ad hæredes Maximiliani ventum, horrida derepente coorta vociferatione conclamabant factioſi, *Millies ſe morituros potius, quam Germanorum ſervitutem ſubire velle.* Et creſcebat malum quaſi per contagium late ſparſo veneno: cui præter cæteros abblandiendo alimenta ſubminiſtrabat Stephanus Verbecius Regni Prætor, JOANNI VAIVODÆ Coronam in occulo affectanti addictiſſimus; adeo, ut in Comitiis in Peſtano campo, quem Racoſium a rivo ejus nominis vocant, habitis, coitione facta decernerent intemperiis incitati Nobiles, *Ne in poſterum ullo unquam tempore, ſi Rex Vladiſlaus abſque hærede maſculo decederet, alienæ gentis & ſanguinis Regem ſibi deligendum proponerent*, addita atroci comminatione, *ut qui contra hanc legem feciſſent, eorum bona fiſco addicerentur, atque ipſi & liberi poſterique eorum univerſi aut perpetuo exilio, ſi capi non poſſent, aut capti præſentiſſima extremi ſupplicii pœna plecterentur.* O rabiem perduellium!

Thuan. Hiſt. l. 4.

lium ! O Cerbereos patriæ turbones ! Atqui Vladiſlaus generoſi auſi minime capax, cum in tempore paucorum quorundam, qui inſolentiores ſpiritus ad perniciem regni gerebant, oppreſſione conſulere publicæ ſaluti debuiſſet, meticuloſa conniventia graſſantem peſtem confirmavit; ita, ut contra adultam diramque factionem arctioribus fœderibus fuerit opus. Anxius itaque rerum ſuarum Rex, ac futuri providus, ſuaſu fratris Sigiſmundi Regis Poloniæ, atque id ipſum Thoma Bacocio jam tunc Cardinale & Archiepiſcopo Strigonienſe, nec non Joanne Bornemiſſa atque aliis præcipuis Senatoribus ſummopere urgentibus, cum Imperatore Maximiliano, de affinitate per mutua liberorum utriuſque connubia, cum ipſo ineunda tractat; ſucceſſitque negotium ex animi ſententia; & poſtea Viennam ad Cæſarem venerunt non tantum Vladiſlaus Rex, cum filio Ludovico decem fere annos nato, & Anna filia, ſed etiam frater Rex Poloniæ Sigiſmundus, uterque cum magno ſplendidiſſimoque Principum & Magnatum comitatu; ibique ſolenni feſtivitate in S. Stephani baſilica LUDOVICO VLADISLAI filii MARIA Cæſaris ex Philippo filio neptis, ac Cæſaris alteri ex duobus nepotibus, ſive CAROLO ſive FERDINANDO ANNA Vladiſlai filia deſpondentur; ingenti omnium hominum qui aderant congratulatione & favore; repetita inſuper veteri ac denuo ſancita pactione, ut regnum Hungariæ, ſi ſtirps Principis LUDOVICI, ut evenit, Iſthuanf. H. l. 6.

nit,

nit, deficeret, ad eum Cæsaris nepotem, qui ANNAM ducturus esset, eorumque liberos, certo juris hæreditarii nomine perveniret. Dum hæc agerentur Viennæ, interea novæ seditionum faces accenduntur in Hungaria. Emericus Perenius enim Palatinus regni, ob sævissimos articulorum dolores Posonii subsistere coactus, comperto, cum Cæsare contractam affinitatem atq; successionis jura in nepotes ejus translata fuisse, subito (credebatur tamen, id Vaivodæ instinctu fieri) per fora & plateas urbis curru circumvectus, CONTRACTIBUS ILLIS A CÆSARE ET REGIBUS *initis, quibus regnum Hungariæ ad exteros transferretur, se tanquam Palatinum, cui id muneris & officii incumbat, nomine Ordinum regni alta voce contradicere* proclamabat; idque concurrente ad spectaculum magna hominum turba iterabat sæpius; inde secundo Danubio Budam descendit. Commotis Cæsare Regibusque hoc audaci privatæ & præfractæ ambitionis facinore, perduellibus in solatium valituro; Vladislaus postea Perenium ad se vocatum graviter increpuit, jussitque, ut recollecto animo ceptum opus actutum retractet, sibique & suis solenni revocationis syngrapha caveat: sed Palatino nihil Majestatem Regis reverito duplicata pertinacia cuncta recusante, bonus Vladislaus frustra fuit. Atque hæc elati supercilii durities diu torserat Maximilianum Vladislaumque, dubios, quali emplastro porriginem tam male affecti capitis demulcerent; demum largitionis machi-

machina adorti profanum hominem, Vladiſlaus arcem Saroſiam ei promittebat, ſimulque effecturum ſe apud Cæſarem, ut S. R. Imperii Princeps & Dux Saroſienſis in poſterum appellaretur. Quo validiſſimo ariete dejectus Perenius, eo adductus eſt, ut diceret, *Se fœderi & contractui Viennenſi privato quidem ſuo, ſed nequaquam Palatinali nomine ſubſcripturum.* Et quia non ambigebant Cæſar & Rex, Perenium quoad ſubſcribendam ſyngrapham in ipſorum poteſtate futurum; Saroſiam ei tradidêre, paulo poſt tamen Budæ in vivis eſſe deſinenti; condito prius teſtamento prorſus ridiculo. Quandoquidem in eo Vladiſlaum anxie rogabat, ne funus ſuum ad ripam uſque Danubii proſequi dedignaretur; proceres vero & primores ſingillatim, ut trajecto Danubio ad Peſthana uſque ſuburbia comitarentur; tum, quot cerei arderent, quot currus, quot atrati famuli, qui numerus cantorum & ſacerdotum, quantum itineris uno die faciendum, quibus in locis ſubſiſtendum eſſet, adeo exquiſite minutatimque præſcribebat, ut a non nemine vel fato functus non immerito rideretur. Nec Vladiſlaus quoque diu ſuperfuit; febribus, & acerbiſſimis nervorum doloribus accedentibus ad imbecillis ſenectæ morbos, extinctus: cui ſucceſſit filius LUDOVICUS tunc decennis; in quo hæc tria in ſiniſtrum fati omen accepta, velox corporis auctus præmaturaque adoleſcentia, barba annos anteveniens, & in decimo octavo ætatis anno ſubnaſcentes cani. Sed egregia indoles ingeni- Dubrav. H. Bojem. l. 33.

geniumque præclara cuncta pollicebantur, & haud dubie tantæ expectationi parem Reipublicæ felicitatem; nisi mala educatio (quam culpam Hungari Bohemique in Georgium Marchionem tutorem regium & pupilli propinquum unice transferebant) amplissimas spes in herba corrupisset; tenera ætate naturæ sponte in vitium proclivi, per exempla deinde ad luxum & varias voluptates abstracta, ac seriis interea studiis, maximo Cardinalis & Bornemissæ aliorumque bonorum dolore, qui regii pupilli mores perdendæ Reipub. instrumenta fore providebant, penitus neglectis & in odium adductis. Adultiori Ludovico auctor erat Sigismundus patruus Poloniæ Rex, ne *Mariam* sponsam matrimonii jure domum ducere, sororemque *Annam Ferdinando* Austriæ Archiduci, cui ea obvenerat, celebratis nuptiis reddere cunctaretur. Quod ipsum Senatoribus Hungaricis vehementer probabatur, qui juvenem Regem a conjuge ad Remp. serio administrandam revocari posse sperabant. Nec omnino successu caruit ista expectatio. Regina enim virilis animi fœmina interdum hortatibus excitabat maritum, ut Regem aliquando, non semper sui veluti oblitus ministrum ageret; illeque generoso capto impetu ignobile frenum mordere & suo arbitrio currere subinde audebat: at inveteratis moribus fortius obnitentibus Ludovicus fere nomen duntaxat tenuit, & qui non debebant, imperium usurpavêre. Hinc consecuta innumera prope mala, & pericula, quæ tan-

tandem Regem ipſum & regnum ultimis calamitatibus oppreſſerunt. Non enim jam ſatis erat factioſis, Regia imperia ſuſque deque habere, prætextu Boni Publici Hathuanum tanquam in ſacrum montem ſecedere, facta conjuratione Stephanum Bathorium Palatinum ambitus damnare, dignitate privare, adeoque ipſimet Regi præcepta condere, ab eoque ſeditioſis decretis ſuis aſſenſum Regium ſuperbe efflagitare: verum etiam Turcis in viſcera regni attractis, illis tandem optimum & indulgentiſſimum Ludovicum, propemodum deſertum a ſuis, quippe qui vix ſex & viginti millium hominum exercitum contrahere poterat, (Vaivoda cum auxiliaribus copiis de induſtria moras nectendo, a prælio malitia abfuit) ad certum exitium objecerunt; ſic ut hoſte jam inſiſtente Franciſcus Perenius Epiſcopus Varadienſis, elegans nec indoctus juvenis, quaſi futuri mali præſcius, eum diem, quo ad Mohacium pugnabatur, *viginti ſex millium Martyrum Hungarorum*, qui pro Chriſtiana Religione occubuiſſent, faſtis inſcribendum, ideoque ad eam rem impetrandam Stephanum Brodericum Cancellarium, ſi ſuperſtes evadat, Romam mittendum eſſe, non vano præſagio dixiſſe memoretur. Amiſſo Ludovico, qui Caraſſi lutulenti amnis altiorem ripam ſuperare conatus, cum reflexis habenis reſupinatoque equo in profundiorem limum cecidiſſet, degravantium armorum pondere & equi colluctatione oppreſſus miſerabiliter Iſthuanff. H. l. 8.

ter

ter periit; tunc vero IOANNES Vaivoda diu exoptatam arripiendi regni occasionem nactus, levato velo publice perfidiam professus est; atque plerisque proceribus partim largitionibus, partim amplissimarum dignitatum spe corruptis, qui tamen moribus antiquis fluxa instabilique fide modo has modo illas partes sequebantur, obtinuit Tocaii suffragia & Regios titulos, ac dein Albæ coronam. Cæterum Ferdinando, cui legitimis tabulis debebatur successio, in regnum properante, bene magna procerum pars ad obsequium rediit; atque coronatio novi Regis insigni pompa & hilaritate peracta est: IOANNES autem Perfidiæ Rex aliquot præliis male multatus, exutusque omni ditione in Poloniam profugit; & ad extremum misso ad Sultanum Sulimanum Hieronymo Lasco Siradiensi Palatino Poloniæ, barbaro Principi seque salutemque suam, fortunasque omnes magno animi adfectu supplicibus libellis commendavit. Ferunt eum, cum post depromptum animi sui votum ac legationem decretam Lascum dimitteret, illud Junonium ex Marone carmen, *Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo*, subtristi vultu atque ore protulisse. Neque minus atrox Joanne patre filius Joannes Sigismundus fuit, qui ultione furens summo Cæsariani exercitus duci *Lazaro Schwendio* sacramento denunciaverat, *se non solum Turcarum & Tatarorum feras & immanes nationes, Christianique nominis hostes, sed ipsos etiam*

Isthuanff. H. l. 10.

Isthuanff. H. l. 24.

etiam cacodæmones & furias infernales, aut si quid tetrius infestiusque dici reperirive queat, adversus ipsum ac Cæsarianos concitaturum. Proh Deum immortalem! Eone Perfidiæ virus adigere potuisse Christianos homines, ut nominis, religionis, ac fidei abjecta reverentia omni, se se Turcicæ clientelæ subjicere; & patriam hostibus tradere, quam legitimum pii Regis imperium agnoscere ac ferre maluerint! O immanitatem! O impietatem! Mea sententia Vladislaum illum, post Matthiæ Corvini mortem ad regni Hungarici solium evectum, non male instruebant optimates regni quidam; *Hungaros nempe non clementia & impunitate, sed virga ferrea in obsequio continendos esse.* Neque aliud prætexebat Sulimanus, cum contra Ludovicum Regem, validissimum illum exercitum in Hungariam effunderet. Rege enim ad Mohacium cruento prælio victo; & in aquæ lutulento gurgite suffocato; Sulimanus Budam venit: ubi cum imagines Ludovici demortui & Mariæ uxoris contemplaretur, illacrimasse ferunt barbarum; etiam in tanta victoria humanæ conditionis memorem, quod Rex in illa florenti ætate pravorum consultorum impulsu se in tam apertum exitium præcipitem dedisset: quippe non eo consilio se venisse dicebat; *ut Regem paterno regno exueret*, sed ut *Hungarorum insolentiam; qui posthabita dignitate Regis & salute Reipub. suis duntaxat commodis, ambitioni, luxui; fastuique ab hominum memoria inaudito studebant,*

Bonfin rer. Hung. dec. 4. l. 9.

Th. H. l. 1.

Leunclav. Pand. H T. c. 216. & 221. Sig Basto Herb.

Ss refre-

refrenaret, *& ipsum beneficiarium Othomannici imperii efficeret.* Hancque Hungarorum perfidiam *Valachi*, qui olim potentia adhuc integrá Hungariæ erant ſubditi, non imitantur modo, ſed etiam publico teſtimonio iſto, *Nullam gentem in dominos ſuos eſſe inconſtantiorem*, ſupergrediuntur: cum tanta petulantia in regulos ſuos debacchentur, ut levi de cauſa illos occidant, & vel pecuarios & ſordidiſſimos quoſque in eorum locum ſufficiant. Paucis annis quot habuerunt Deſpotas? *Iacobum* eleganter Græce, Latine, Italice, Gallice doctum, & aliquando Mathematicas artes, ut Thuanus ſcribit, Roſtochii in Megapolitano Principatu profeſſum fraudulenter enecant: a cujus interitu vocant Ducem *Demetrium Viſnovecium*, quem ſtatim Sulimano Conſtantinopolim vinctum ad certam necem mittunt: hujus loco *Thomſam* Principem ſalutant: cui pulſo & ad Leontopolim Podoliæ capite truncato *Alexandrum*, Alexandro *Bogdanum*, Bogdano *Ivoniam*; Ivoniæ Turcis prodito *Petrum* ſubrogant. Quid? quod nec *Stephanus Batorius* Poloniæ Rex, quem tamen, Henrice Alberte Baro, tot invidendis encomiis pene ſupra virtutem ipſam extuliſti, ubique fide candida reſplenduit? Certe *Potocovam* virum fortiſſimum & robuſtiſſimum, qui equorum ſoleas ferreas, etiam recentes, nullo negotio manibus, inſtar chartæ vel alterius rei fragilis rumpere poterat, publica fide arceſſitum extremo ſupplicio affecit; cauſſatus, ſalvi comea-

Leuncl. P. Hiſt. Turc. c. 71.

L. Gorec. in Bello Ivon. Leūc. in Suppl. Ann. Turc. Th. H. l. 36.

A. Ch. 1563.

A. Ch. 1574.

Leuncl. in Suppl. Ann. Turc.

meatus regii beneficium non aliter datum intelligi, nisi quatenus causam suam justam docere probareque posset. Turpius, & majori dolo, cum per Blandratam & alios oratores suos in comitiis Polonicis professus esset, se ea lege regnum ambire, ut primus locus ac dignitas Cæsareæ & illustrissimæ Austriacæ familiæ a Senatu & Equestri Poloniæ ordine deferatur: ubi primum se Regem ab aliqua Polonorum parte renunciatum intellexit, confestim mutavit, & A. Ch. 1575.
quantumvis eum Gnesnensis Archiepiscopus & Senatores Poloni a suscipiendo regno, cujus rex legitimus consentientibus Senatus Poloniæ, Lithuaniæ, ac Borussiæ calculis Cæsar creatus esset, dehortarentur, Cæsareanorum nihilominus expectationem ambiguis responsis eludens quantum potuit in Poloniam properavit. Eam vero injuriam cum ad animum, ut par erat, revocaret Imperator Maximilianus, nihil non agebat, ut suis & fœderatorum Principum viribus regnum electione delatum tueretur. Cumque Th. H. l. 62.
ad eum sub id tempus Moscorum legati venissent, magna pompa, literas panno aureo gentis superbæ more involutas a Joanne magno Russorum Duce afferentes, quibus opes suas contra Batorium, Muratis communis Christianorum hostis commendatione in alienum regnum invadentem deferebant, non mediocriter gavisus est Cæsar, & pro tam benevola erga se animo gratias legatis egit, nec recusare se dixit, quo minus amici Principis, cum occasio ferret,

opibus & auxiliis uteretur. Sed inter hæc, dum tantæ molis bellum in Polonia gerendum anxios omnium animos teneret, Cæſar ſive curis confectus, ſive longa corporis ægritudine debilitatus, optime meritam de Rep. Chriſtiana animam in Comitiis Ratiſponenſibus, & quaſi inter Ordinum Imperii manus Deo reddidit, ſicque Stephanum novum regem magna ſollicitudine liberavit. At, o Stephane, ubi tunc, cum ſic ageres, erant magnifica promiſſa tua? Vbi fides tua? O Diabolica ambitio, quo non agis humanum genus! Quo non torques commune omnium gentium vinculum fidem! Quicunque hominum tibi ſemel ſacramentum dixêre, ſimul iidem juſtitiæ bellum indixêre: dum perpetuo habendi dominandique pruritu ac æſtu laborant; dum quæ non debent, omnia capiunt; & quæ non capiunt, omnia cupiunt; dum ſemper cogitant alienas opes, aliena ſceptra, nunquam ſeipſos. At, Tu ambitioſe, quiſquis es; qui ſic in immenſum ſpes improbas cupiditateſque extendis; Tu & illa ipſa, quæ nullo tuo bono, multorum malo quæſiſti, finem accipent: quicquid longo tempore, multa Dei indulgentia & conniventia ſtruxiſti, id una dies diſſipabit.

Luc. c. 12. v. 21. Manum ecce tibi Deus injicit: *Stulte, hac nocte*
Abdias. v. 4. & 15. *animam tuam repetunt a te. Si exaltatus fueris, ut aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit* DOMINVS. *Sicut feciſti, fiet tibi.* Verum plura de Hungarorum vitiis nunc non ediſſero, ne eorum longiori contempla-

platione amplissimus hic consessus violetur. Quemadmodum igitur *Weideratus* Abbas Fuldensis, ambitione superciliose tumens, ex nescio quo προεδρείας privilegio, Archiepiscopo Coloniensi honoratiorem locum in comitiis Moguntinensibus præripere voluit; ipso Archiepiscopo jam consurgente, & cum hisce verbis abeunte: *Itaque cedo*, inquit, *Archiepiscopus Abbati, & Princeps Elector Monacho*: quo tamen revocato, Abbas cum ignominia inferiore loco sedere a Cæsare jussus est: ita si Hungaria vel pari dignitatis passu ambulare, vel etiam de primatu cum Germania (nam aliis Europæ provinciis hoc loco nihil patrocinor) contendere ausit; non sine infamia audiet; Germaniam Hungariæ, hoc est provinciarum Imperatricem, regioni famulæ; opulentissimam, pauperculæ; integerrimam, laceræ; omnibus virtutibus ornatissimam, feritate barbaræ & omnibus vitiorum lacunis fœtidæ; indignissime æquiparari, injustissime posthaberi.

Alii dicũt, fuisse Conradũ. Crus. Ann. Suev. p. 2. l. 11 c. 14. ex Bruschio. H. Kirch. in Morviller. l. 1. c. 3 n 58. &c. Munsterus Cos. l. 3. c 79.

PRINCEPS
FRIDERICVS
ACHILLES, &c.
DIC TV
MAXIMILIANE
MOSCHI.

ORATIO MAXIMILIANI A MOSCH, Pro POLONIA.



ENERANT ALIQUANdo ad Vrbanum V Pontificem Romanum, Avenione decumbentem, duo Perusini legati Reipublicę patrię causa: qui admissi, & paucissimis verbis mandata exponere jussi; tum alter, nulla ægrotantis Pontificis habita ratione, verbose admodum aures & animum illius probe defatigat; alter autem fastidium Pontificis advertens, finienti collegæ urbane subjungebat; *Sanctissime*, ait, *Pater, hoc etiam amplius in mandatis nobis datum est: ut, nisi quamprimum petitioni nostræ satisfacias, collega hic meus orationem suam tibi illico repetat, & dicat adhuc prolixius.* Qua dicterii decipula captus Pontifex, legatos citra offensam ocyus dimisit. Mihi autem, Princeps inclyte, pro Poloniæ (*Poloniam* enim *ego omnibus antefero Europæ Provinciis*) principatu aliquid dicturo, nihil ejusmodi insidiis & dolis ad assensum tuum opus est; cum *Polonicæ virtutis* fiducia neque judicium ullius re-

Zvving. in M. Apod.l. 2. c. 25. Eus. Epidor. l. 1.

for-

formidem, neque de causæ victoria apud te certo obtinenda dubitem. Propterea etiam remissius loquar & securius: ne quis putet, me ab orationis flosculis & cincinnis argumento magnitudinem conciliare velle. Sicuti enim elegantuli, qui de capsula toti, fortunas omnes veste, atque ornatu omne patrimonium bajulant, rarissime quicquam sapiunt solidum: ita cuius oratio nimis est solicita & polita, ejus animus plerunque pusillis tantum occupatur. Poloniæ divitias, Auditores, quas natura & soli bonitas ibi quotidie plena manu effundunt in omnes hominum usus, non lubet hic ostentare, & more mangonum ex aureis catenis, torquibus, bullis, & nescio quibus crepundiis gloriosule prærogativam mentiri. Si enim dicerem, Poloniam scatere ferri, plumbi, sulfurisque metallis, nec non cæruleo colore Lazurii, quem pingendo suo palatio DEUS ipse selegit: si recenserem, Lituaniam Cereris esse horreum; & Russiam adeo fœcundam, ut messe facta ex semine deciduo ager fiat restibilis sequente anno, nec nova semente egeat; & in Podolia semen quomodocunque in agrum conjectum centuplum referre fructum, eamque ibidem esse pratorum ubertatem, ut boum cornua vix e gramine appareant: si ostenderem, *salinis Cracoviensibus* nullas in universo orbe extare pares: atque earum concamerationem, cui & oppidum impositum est, columnis e sale excisis fulciri; quæ porticus efficiunt tam amplas, ut

Fotcat, in Pol. felice.

Al. Gitagn. rer. Polon. tom. 2.

G. Dousa: de itin. CP.

Matth. de Mich. Chr. Polon. l. 1 c 3. M Crom. l 1. de P lō. Neugebauerus ter. Pol. l. 1.

non opus sit inter ambulandum caput demittere: si referrem, mel nusquam melius, quodque minus ceræ habeat albumque sit, quam in Samogitia reperiri; sylvasque illis summis abundare opibus, cum stipitibus cavatis mella passim promantur: si memorarem, in pomariis suburbanis Cracoviensibus, Sendomiriensibus, Varsaviensibus, Torunensibus, Gedanensibus, Elbingensibus, item Vielliscensibus & Bochnensibus, totoq; tractu submontano ac Sciriciensi, pyrorum, pomorum, prunorum, persicorum, cerasorum, ac nucum nobilitatem certare cum Hungaricis & Italicis: si denique enarrarem, ex XXXII Palatinatibus Polonicis ad alias exteras ditiones exportari siliginem, triticum, hordeum, avenam, & alia legumina; linum quoque, lupulum, coria boum, sebum, alutam, mel, ceram, succinum, picem, cinerem, malos, asseres, cæteramque materiem fabricæ aptam; cerevisiam præterea, boum & equorum vim pene infinitam: si, inquam, hæc omnia, & quæ alia multa coacervari possent, pro singularum præstantia rerum pari verborum ornatu exequerer; quid tamen, & quantulum sic dissererem pro Poloniæ inter Europæas regiones principatu? Cum Anno Christi MCCC LXIII, tempore carnisprivii, Imperator Carolus IV nuptias celebraret Cracoviæ cum Casimiri Magni Poloniæ Regis nepte Elisabetha; quibus etiam intererant Ludovicus Hungariæ, Valdemarus Daniæ, & Petrus Cypri, Reges; Duces insuper, Otto Bavarorum, Ziemovitus

vitus Maloviorum, Boleſlaus Suidnicenſium, Vladiſlaus Oppolienſium; & Boguſlaus Stolpenſium, ſponſæ pater; *Verincus Germanus*, Conſul Cracovienſis, non tantum nuptiarum illarum apparatum regio nomine quam ſplendidiſſime adminiſtravit; ſed ut privata quoque magnificentia Poloniæ opulentiam teſtaretur, Imperatorem, & illos Reges ac Principes omnes, lautiſſimo aliquot dierum excepit convivio, & inſignia munera ſingulis, inprimis Caſimiro Regi donum *centum amplius florenorum millibus* æſtimatum, dedit: hoc tamen in homine privato quid fuit aliud, quam ſolennis vanitatis opum apricatio, majori luxus & faſtus, quam animi ventriſque bene morati argumento? Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. Et licet ultra privatum pecuniæ modum fortuna quem provehat, auro tegat, purpura veſtiat, & eo deliciarum perducat, ut terram marmoribus abſcondere, & non tantum habere, ſed & calcare poſſit divitias: ab illis tamen animus nec erit melior, nec major; ſed majora cupere ſemper inde diſcet. Quemadmodum igitur Fridericus II Elector Palatinus in Hiſpaniæ Venta *Evoella* (*Ventas* autem appellant Hiſpani domos, a Regibus in locis deſertis conſtructas; ut ita haberent iter facientes, ubi cœlo pluvio poſſent pernoctare. in illis aliquando reperitur hoſpes, aliquando nemo) quemadmodum, inquam, Princeps ille de *aſinina* carne, quam *ferinam* putabat, comedit multum, & ſic ſuaviter, ut eam non ſatis lau-

Cromer. de rebus geſt. Pol. l. 12. Al. Guagnin. rer. Polon. tom. 1. Neugebaur. l. 3.

Sen. Ep. 16.

Hub. Thõ. Leod. l. 6. An. de vita Frid. 2. Elect. Pal.

dare potuerit, jussseritque œconomum emere, quantum mula ferre posset: hospite autem rationes conficiente, cum is diceret: *Tantum pro carne asinina, quam heri edistis, & vobiscum fertis:* & frustra jam Oeconomo ad insperatum gratissimi ferculi nomen exhorrescente, & dejerationum bruta fulmina nequicquam evibrante, cum adderet hospes; *Quis enim*, inquit, *nobis in desertis his locis daret ferinam*; & cum dicto aperiens cellam penuariam, ubi perna recenter occisi asini pendebat: *Hæc est*, ait, *nostra venatio: exagitamus canibus asinos non secus, quam feras alibi, & nobis bona ferina videtur*: quod Princeps, qui jam ante abierat in aliam Ventam, quæ dicitur *de los palatios*, & rursus de sua ferina edere volebat, ubi audivit, & rem omnem edidicit, quicquid supererat ferinæ abjicere mandavit; neque fuit, qui amplius gustare vellet: Sic, & eodem prorsus modo homines opum sectantur ludibria, quas falsa opinionum specie decepti summa dignatione prosequuntur, negligentius habituri, si justo & debito rationis examine eas ad verum usum revocare nollent. Quapropter nec etiam immanes ædificiorum, palatiorum, atque urbium structuras in Polonia esse optaverim; nec si ibi jam sint, ad Polonorum gloriam retulerim: cum illæ plerunque sint opum pessime insumptarum monumenta, & publicus ambitionis humanæ character. Age enim, quisquis es de miratorum plebe, dum avidis hauris auribus, *in pyramidum quatuor Ægyptiarum constructione, tantum in raphanos*

nos & allium ac capas mille octingenta talenta erogata; *atq; ex illis amplißimam a trecentis sexaginta sex hominum millibus viginti annorum spatio perfectam*; *minimam* vero sed laudatissimam *a Rhodope meretricula*, tantas opes meretricio conquirente quæstu, *factam* fuisse: & dum miraris *templum Ephesiæ Dianæ*, *tota Asia extruente ducentis viginti annis conditum*; cujus longitudo erat CCCCXXV pedum, latitudo ducentorum viginti; columnæ centum viginti septem a singulis Regibus factæ, LX pedum altitudine; summam in tanto miraculo hac re admirationem summe augente, epistylia tantæ molis attolli potuisse: dum etiam curiose observas, Artemisiam *Mausolo* Cariæ Regi marito conservandæ ejus memoriæ memoratissimum fecisse *sepulchrum*, amoris testimonio supra omnes amorum fabulas ultraque adfectionis humanæ fidem; cum præterea luctu desiderioque defuncti flagrans, ossa cineremque ejus mixta odoribus contusaque aquæ indidisset ebibissetque: dum item cogitationibus emetiris *muros Babylonicos*, CC pedes altos, quinquagenos latos; in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quam Romanorum, quibus pes XVI digitos continebat; tota murorum circumferentia LX milliaria colligente; & in istam operis portentosi confectionem *ter decies centenis hominum millibus* ex omni regno adhibitis: dum quoque figis mentis oculos in *Colossum Rhodi*, simulacrum solis ex ære conflatum, LXX cubitos altum; tanta vastitate molem, ut pauci pollicem ejus

[Marginal notes: 1000000. aureorum. — Plin H.N l. 36. c.12. — Plin. l. 36. c. 14. — Plin. l. 36. c. 5. — A. Gell. N. A. l.10. c.12. — G.Fancirol. rer. dep. l. de VII.mir. & ibi Salm. — Plin. l. 34. c 7.]

ejus amplecti potuerint: vel in *Iovem Olympium Phydiæ* ex ebore & auro, supra aliorum artificum æmulationem eximium opus: vel in *Cyri* Medorum Regis *domum* eboris nive, argenti luce, flammis ex auro electrique claritate fulgentem: aut, si forte *septem* illa mundi miracula temporum tyrannis expulit e memoria, age quæcunque es miratrix turba, veterem illam *Romam*,

Plin. lib. 34. cap. 8.

—— ——urbem populis victisque frequentem
gentibus; & generis, coeat si turba, capacem
humani,

Lucanus.

veluti per ruderum nebulas otiose inspice & adstupesce; atque vel in imagine tantum intuere illam Augusti marmoream Romam; *& in ea illa quadringenta viginti quatuor templa*; illa *Capitolii* laquearia & tecta inaurata, (quæ sola inauratio supra duodecim millia talentorum absumpsit) & ipsas fores crassis auri laminis obductas; illud Agrippæ *Pantheum*, (hodie *S. Maria la Rotonda*) Sebastiani Serlii judicio unicum consummatæ architecturæ exemplar; illud *Trajani forum*, Ammiani verbo, *singularem sub omni cœlo structuram, etiam numinum assensione mirabilem, gigantæos contextus, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos*, & quod Cassiodori opinione *vel sub assiduitate videre miraculum sit*; illas *Diocletiani thermas*, capacitate sua quatuor maxima Italiæ palatia simul juncta æquaturas; & illa tot alia balnea eo splendore & paratura superbientia, ut Senecæ ævo pauper visus sit & sordidus, nisi parietes ma-

Sueton. in Aug. Notitia Imperii. 7200000. *Philippicum* Lips. in Admir. l. 3. c. 5. Am. Marcell. l. 16. Blondus Instaur. Romæ lib. 1. Epist. 86. & ibi Lips. in Com.

gnis

gnis & pretiosis lapidum segmentis varie figuratis refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicæ crustæ distinxerint, nisi illis undique operosa & in picturæ modum variata circumlitio præluxerit, nisi vitrum abscondiderit cameram, nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo templo spectaculum, piscinas circumdederit, nisi aquam argentea epistomia fuderint, nisi pavimenta argento, auro, gemmis strata fuerint: specta quoque mirator, illum copiosissimum *statuarum*, marmorearum, ærearum, argentearum, aurearum, eburnearum *populum*; illas privatorum hominum tota urbe *insulas* quadraginta sex millia sexcentas duas, *& domos urbium æmulas* mille septingentas octoginta; & alias Romanæ magnificentiæ insanas substructiones atque ædificia, quæ nostri artifices & architectones non dicam conficere, sed ne exputare quidem, capere & credere possint, expende: sed ubi sine adfectu omnia illa ad calculum plene & exacte reduxeris, quid invenies, quod impietas, fastus, ambitio, prodigalitas, stultitia, adulatio, vitium, non occupaverit? quid offendes, quod solidæ virtuti consecratum, & veræ gloriæ sit proprium? quid & quantulum deprehendes, quo Polonia carere sine laude non possit? Altum nimis illorum est supercilium, qui ita per artis molitiones naturæ operibus contumeliam faciunt, & per corporis viscera pellem ejusdem exornare frustra conantur. Quasi vero totus mundus, augustissimum

Cassiod. l. 7. Lipsius Admir. l. 3. c. 9. Apulejo de Deo Socrat. *Insulæ erant ædes ab utroque latere hinc inde itinera habentes, in qua pluebāt, fronte in fastigium desinentes; domus vero erant ampliores & testudinata, a quatuor partibus pluentes.* G. Pancir. de XIV Regionib. V. R.

ſimum naturæ Capitolium ; & cœlum, tectum illius pretioſiſſimum ; & Oriens cum Occidente, Meridies cum Septentrione, regia illius tabernacula ; & ſol, nitidiſſimum illius ſpeculum ; & luna ſtellæque, clariſſimæ illius faces ; & aer, ſubtiliſſimum illius velamen ; & mare, capaciſſimum illius theriotrophium ; & animalia, opulentiſſima illius ſupellex ; & herbæ floreſque, pulcherrima illius periſtromata ; & arbores, inſigne illius vaſarium ; quaſi, inquam, hæc omnia hominum vermiculis non ſatis laxum ſplendidumve præbeant hoſpitium, & cum naturæ injuria ad artis luxum ſit decurrendum ? Et quidni multo ſentiant prudentius Turcæ, qui ſuperbi elatique, neque ſe ſuo modulo metientis animi eſſe judicant, ſtudere magnificis ædibus ; ut ſi quis ſibi immortalitatem & perpetuam manſionem in hac vita polliceatur ; cum illi ita domibus utantur, quemadmodum peregrinantes diverſoriis ; in quibus ſi ſint a latronibus, a frigore, a ſole, ab imbre tuti, reliquas opportunitates non requirunt : non ignari illi, hac quidem in re minime barbari, *Romæ olim culmum liberos texiſſe, poſtea ſub marmore atque auro ſervitutem habitaſſe* : adeoque poſſe ex caſa virum magnum exire, poſſe eundem ſine marmorario fabro degere, poſſe veſtitum eſſe ſine commercio Serum, poſſe habere uſibus neceſſaria contentum his, quæ terra poſuit in ſummo ; poſſe cœnare ſine coquo : contra, flagitioſum & molliculum quemque ingeni

Le Soldat. François.

Busbeq. Ep. 1. Turc.

Sen. Epiſt. 66. & 90.

genio adjuvare vitia, facilium fastidio omnia facere difficilia; dentibus, ventre, ore, oculis quoque gulam exercere, cum ambitione edere ac bibere, & pro domuncula atque forte voluptuario prætorio matris terræ ventrem ac faciem tot turpibus cicatricibus atque artificiosis pustulis contaminare. Hujusmodi quidem homines simillimi sunt pueris, quibus omne ludicrum in precio est; & qui bullas ex saliva & smegmate confectas, atque e juglandis cortice sufflato calamo excitatas, spirituque in aera hinc inde propulsas, vel cœlo ipso pulchriores esse putant; qui etiam parentibus, nec minus fratribus, præferunt parvo ære empta monilia. Et quid inter magnos illos, & istos parvos pueros interest? Nihil: nisi quod illi circa tabulas & statuas insaniunt, carius inepti. Istos in litore calculi leves, & aliquid habentes varietatis, delectant: illos ingentium maculæ columnarum, & parietes tenui marmore, aut etiam auri lamina obducti; cumque sciant, sub tali involucro fœda ligna latitare, quid aliud, quam mendacio gaudent? Verum Poloni non ita ineptiunt: gloriæ majestatem & thesaurum divitiarum, & omnem pompæ splendorem, non a fortuna, non a fallacibus vulgi acclamationibus, sed a *Virtute* ipsa, atque a semetipsis petunt. Et quot titulis, quot laudibus, quot nominibus, dicendi sunt Poloni mei? Certe judicio virorum, quos nemo sanus repudiaverit, *Poloni sunt civilissimi*, & audent huma-

Sen. N. Q. l. 3. cap. 18.

Sen. Ep. 115.

nita-

nitate, omni animi ornatu, provocare lætissimam quamque gentem. Admirabilis hic est Providentiæ ordo: & cœlestis ille agricola has illasque partes excolit, & velut novales quosdam agros alternis serit. Quid Græci, quid placent sibi Itali? Græcia & Italia nuper in Gallia, nunc in Sarmatia reperiantur: imo *Sarmatia vel supra Hesperiam utramque hodie est exculta.* Quid nos Germani, quid cristas erigimus? *Poloni non tantum mollius quam nos loquuntur; sed sunt etiam urbaniores, & cultu elegantiores.* Vt propterea nugæ sint imperitorum; Polonos moribus asperos & barbaros vocantium; cum usus, familiaritas, atque necessitudo, cum illis inita demonstrent, illos bonos viros, rectos, simplices, apertos, humanissimos, officiosissimos; & in omni civilitate exercitatissimos esse; atque potius jam verendum sit, ne ad obtrectatores barbaries, ad Polonos autem cultus, splendor vitæ, humanitas & eruditio, omnino mutatis sedibus commigrarint. Et quia Poloniæ cœlum Musis sic est amicum; inde fit, ut illic pauperes juxta ac divites, Nobilitas & plebs; *literarum* sacra felicissime discant: rarissimis etiam pagis, ubi Latina lingua præter vernaculam non sit vulgo nota; plerisque Nobilibus insuper Germanicam, Hungaricam, Italicam, Gallicam, Hispanicamque eleganter callentibus. Id quod Gallis res visa est nova & insolita, cum Poloniæ delegati decretum electionis Henrico Andium Duci totius regni nomine nunciatum Lutetiam

Lips. in Ep.

Bod. de Republ. l. 5. c. 1. ad fin.

Muretus in Ep. ad Sacratum.

Neugeb. histor. Pol. l. 1. G. Cichoc. i in Anatom. conf. cont. Iesuit. App. cap. 4 Al. Guagnin. rer. Polon. to. n. 2.

A. Ch. 1573.

tetiam venissent. Namque Parisienses non tantum novorum hospitum vasta corpora, vultus mira gravitate subhorridos, summissas & rutilanteis barbas, pileos pretiosis pellibus fartos, gemmatos enseis falcatos, ferratas ocreas, pharetras, & arcus, rasumque occiput, & cothurnos gallicis ferreis a luto defensos, cum stupore aspiciebant; sed hoc mirabantur maxime, quod ex omnibus legatis nullus non Latini sermonis peritus esset, plures Italice & Germanice loquerentur; quidam etiam tam concinne Gallicas voces proferrent, ut ad Sequanam potius aut Ligerim, quam ad Vistulam aut Borysthenem nati viderentur: pudore interim Aulicis Caroli IX, literarum non modo rudibus, sed infestis hostibus incusso; qui interrogati ab hospitibus suis, erubescere, & nutu tantum respondere cogerentur. In hac splendidissima autem legatione veluti præcellens gemma coruscabat magnus ille *Ioannes Sarius Samoscius*; qui cum pro ratione officii, quippe regni Cancellarius, ipsum Henricum publica ceremonia Regem Lutetiæ Parisiorum renunciasset, magnam cum eruditionis ac eloquentiæ, tum prudentiæ & ingenii laudem adeptus est: ad quem & tunc Franciscus Balduinus, haut obscuræ famæ ICtus & Cracoviensi Academiæ, nisi mors hominem prævenisset, instaurandæ destinatus, orationem evulgavit; in qua non solum istam legationem Polonicam, ut maxime omnium illustrem, aliarum ab omni antiquitate repetita-

Th. H l. 56.

Th. H. l. 16. & 78.

rum comparatione multis verbis extollit, verum etiam ipsum Samoscium tanquam *librorum de Senatu Romano auctorem* laudat: quos tamen libros non Samoscii, sed *Caroli Sigonii* esse compertum habemus. Sane Samoscius inter eruditos scriptis illis nominatus majorem deinceps militaris gloriæ laudem re ipsa meruit, rebus bello fortissime gestis contra Moscos & Austriacam domum, ut bello & toga clarissimus merito censeri debeat. Et vero, ut ad proprii nominis celebritatem tunc aliena industria uti voluit, sic an alieno nomine postea in propriis laudibus publicandis non usus sit, subdubitat Thuanus. Nam libros de Moscovitico bello, qui nomine *Reinoldi Heidenstenii Secretarii Regii* circumferuntur, elegantissime & accuratissime scriptos, existimat aut ab ipso Samoscio scriptos esse, aut potius ab homine Latine scribendi peritissimo, qui eos vel ipso Samoscio dictitante, aut saltem ex ipsius commentariis exscripserit. Thuano tamen dubitandi rationes adimere potuissent Janus Gruterus, qui Reinoldum istum vidit, Paulus Melissus, & Jan. Jac. Boissardus, qui carminibus laudes ejus extulerunt, & alii magni præstantesque viri, qui Heidenstenias virtutes ac merita in Rempublicam familiarius & penitus cognoverunt. Verum illis proceribus Polonis omnibus, summis viris, virtute & doctrina, si non major, profecto par erat *Stanislaus Hosius*, Cracoviensis: qui cum primum Patavii, dein Bononiæ, ubi literis eodem tempore operam dabant Alexan-

Melisf. l. 5. Meli. p. 355. l. 6. Mel. p. 376. & l. 4. Epig. p. 111. Boissard. Hendecasy. lib. 2.

Th. H. l. 68.

xander Farnesius, Christophorus Madrucios, & Otho Truchsesius (omnes hi in Collegium Cardinalium postea cooptati) Jurisprudentiæ industriam addixisset, & lauream sub ipso Hugone Boncompagno, qui Romanæ Sedi Gregorii XIII nomine deinceps præfuit, postremo consecutus esset; inde domum reversus, maximisque Legationibus ad Carolum V, Ferdinandum I, & Philippum Caroli F, Sigismundi Augusti nomine magna fidei & prudentiæ laude defunctus, ab eoque Varmiensis Episcopus creatus, tandem ejusdem opera, ob raram eruditionem & Theologicarum rerum scientiam, Pius IV in Tridentinæ Synodi negotio usus est, cujus etiam merita æquus Pontifex amplissimo Cardinalatus honore remuneravit; cum tamen magnus ille Hosius eandem dignitatem Paulo IV deferente, rara hoc ævo modestia, enixe deprecatus esset. Quid? quod & *Ioannis Dantisci*, Sigismundi I Regis Poloniæ legati, doctrina & vis ingenii ita Imperatoris Caroli V animum subegit & occupavit: ut is, cum abdicatis imperii sceptris, dimissisque omnibus externis legatis, ex Belgio in Hispaniam vela faceret, solum Dantiscum comitem secum duxerit; quem etiam postea maximis auxit honoribus, & cum tota ejus adgnatione in numerum & ordinem Nobilitatis Hispanicæ inseruit. At quibus insuper elogiis concelebrandi sint, *Martinus Polonus*, *Matthias de Miechow*, *Martinus de Ilkus* (qui in Europa primus Almanach atque Ephemerides fecit.) *Martinus Cromerus*, *Ioan. Herber-*

Cromer. M. hist. cent. 3. c. 68.

bortus, Christophorus Varsevicius, Abrahamus Bzovius, Ioan. Lascius, Stanislaus Karncovius, Stan. Sarnicius, Stan. Socolovius, Stan. Orechovius, Stan. Grepsius, Ioan. Demetrius Solicovius, Petr. Volscius, Laurent. Goslicius, Bernardus Vaporius, Thomas Dresnerus, Thomas Treterus, Severinus Lubomlius, Ioan. Latos, Iacobus Prilusius, Gasparus Cichocius, Benedictus Herbestus, Andreas Schonaus; & tot aliæ sublimes ac cœlestes animæ? Quid ad tam illustria Polonorum ingenia, ad talia ingeniorum decora, jam diceret Clemens Papa, a Petro Apostolo, ut fertur, quartus: qui scripsit, *in Sarmatia, extremam Germaniam contingente, nullum geometram, vel poetam, pictoremve, aut trapezitam esse?* Quibus vero verbis tam miraculosæ vicissitudinis magnitudinem exprimeret, Auditores: cum Polonia jam omnis sit literatissima, & tota jam transierit in Athenæum? Quid diceret Clemens, si Poloniam jam supra Romam ipsam & Italiam videret piam, & religiosam? Namque & cura *Religionis* statim post ejuratos & pulsos a Mieczislao gentilium ritus in omnibus ordinibus sic auxit, ut etiam zelum derivaverit in populos vicinos, ac potissimum Hungaris fuerit exemplo: Mieczislao præterea in perpetuum fidei Christo datæ pignus morem posteris tradente, ut interim, dum sacerdos in Missæ sacro Evangelium prælegit, omnes virilis sexus gladium e vagina stringerent medium, & hac solennitate facerent testatum, pro Religione Christiana se extrema quæque facturos, & passuros, & prius vitam & bona

Forcat. in Pol. felice.

A.Ch. 964.

A.Guagnin. rer. Pol. t. 1. Neugeb hist. Pol. l. 3 Forcat. in Pol. fel. Nic. Henel in Siles. c. 6.

bona omnia, quam Evangelii professionem relicturos esse. Videturque DEUS Religionem Christianam singulari quodam totius Europæ boro in clientelam Polonorum dedidisse. Etenim, cum ab illis Septentrionis & Orientis regionibus ferocissimæ gentes, partim ab Ecclesiæ communione dissociatæ & diremptæ, partim aperti & capitales Christiani nominis hostes, fidelium cervicibus immineant; fortissimi Poloni in illo Religionis confinio, tanquam in communi quodam salutis publicæ propugnaculo & arce, divino consilio constituti sunt, qui invictis & fulminatricibus Imperii sui legionibus barbarorum immanitatem propulsarent. Hæretici Moschovitæ, provinciam solo & cœlo asperrimam incolentes, & quam nemo quærat, nisi sit patria, cum agro sint, animo tamen Polonis sunt haudquaquam adfines: illique vere sunt cos roboris Polonici, ad pubem bello exercendam, ne otii rubigine obtorpeat, sed magis cum regni tranquillitate simul famam suam prolatet; atque pugnacem Scytharum fugam, in verissimam & infamem fugam commutet. Muhametani Turcæ Polonorum quoque sunt vicini, sed pessimi; quippe qui diro proverbio indicent, *Vbicunque equus Turcicus ungulam impresserit, ibi gramen non crescere*: & nihilominus Polonorum arma experti, illos omni officiorum genere demulcent, nedum ut ulla offensiuncula irritare ausint. Et quidem cum superioribus annis Turcorum Sultanus a Polonis certas militum copias auxiliares

Muret. in Ep. ad Sac.

Foscat. in Polon. fel.

L. Soranz. in Ottom. c. 75.

Ciccarella in Sixto V. Gen[illegible]d. in Chron. l. 4.

ad bellum; quod cum Persa gerebat quodam consuetudinis antiquæ prætextu posceret; Stephanus Rex has illi negbat, dicens, *Candidam Polonorum aquilam antea inplumem & viribus suis destitutam nunc rejuvenescere, pennas recepisse, ungues & rostrum exacuisse.* Poloni enim supra illos Civilitatis, Literarum, Religionis, plenissimos honorum titulos, præ aliis nationibus maxime sunt *animosi* & natura *fortes*; quique non facile aut voluptatibus frangantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam, immortalitatis instar, vitam per dedecus retentam, quavis morte pejorem putant. Ignominiam ut fugiant, nihil non fecerint; ut mortem, nihil.

Muretus ad Sacr.

Cromer. l. 1 de situ Pol Neugebauer. rer. Pol. l. 1.

Et quemadmodum in majore Polonia prope *Sremum* oppidum, in colle quodam, *olla, amphora, cacabi, & alia vasa sponte nascuntur*, quæ, dum sub terra effodiuntur, mollia sunt, in aerem autem exposita, durescunt: ita Poloni ferme omnes ex utero matris militares animos in lucem secum ferunt, quos postea severiori parentum & popularium disciplina firmant, aptosque magnis conatibus reddunt; ut exinde fremitus armorum non magis curent, quam foliorum strepitum sive dejectum aquæ. Quamvis & hæc olim genti cuidam delicatulæ causa fuit, urbem suam transferendi; quia fragorem Nili cadentis ferre non potuerit. Sed Poloni omnes vere viri sunt, metusque omnino expertes, planeque conformati ad exemplum magni illius *Piasti*: qui sicuti probitate & justitiæ fama regnum acquisivit,

Sen. Ep. 56.

S. Forcat. in Pol. fel. A. Guagnin. rerum Polon. t. 1.

ſivit, & in ſtirpem ſuam per totos quingentos annos ordine ſucceſſorio illud tranſmiſit; ita ſemper fuit domi militiæque glorioſus & præcipue hac laudata duritie civibus ſuis anteceſſor longe præclariſſimus, quod *ſolitus ſit melle tantum ac venatu vivere, & ferinis ſe pellibus amicire*, ritu prorſus Sarmatico: quoniam Vlpianus noſter probaturus veſtis verbo pelliceam contineri, ſatis habuit dicere, *Sarmatas ea uti.* Quinetiam antiquitus in univerſum Polonia omnis tantopere fortium facinorum famam captabat, ut etiam *fœminæ* militarent; ſiquidem nulli nubere fas erat, niſi tres prius hoſtes in prælio ſtraviſſet: quam tamen rigidam nimis conſuetudinem, ne virginitas puellis eſſet ſupplicium, ſuſtulit Piaſtus, & mulieres ſexui conſentaneas artes tractare juſſit. At vero qui diligentius per vitæ magiſtram hiſtoriam circumagere memoriam voluerit, comperiet, nullam gentem Sarmatis ſive Polonis fuiſſe bellicoſiorem unquam, nullam bellica diſcrimina, frigora, tempeſtates, & alios caſus, fortius ſuſtinuiſſe. Auguſtus Cæſar in ore ſæpe habebat, *Non ſibi libere hamo aureo piſcari, & gentes nihili debellare multarum legionum periculo*: quo tamen aſtu ſemetipſum ſolabatur, ſi quando feroces non auderet laceſſere. Iccirco Lentulum legatum ſuum admonuit, ne temere Sarmatas inquietaret; *quia illi pacem non intelligerent.* Et ſic felici Auguſto Sarmatas Danubio prohibere ſatis fuit; virtute Sarmatarum fortunam Roma-

l 25. ff. de auro, arg. &c. leg.

Forcat d. l.

Florus. lib 4. c 12.

norum terminante. Nec Ovidium, cum ad Pontum esset relegatus latuit Sarmatarum pugnacitas, & inter eos Romani nominis contemptus; cum pro singulari miraculo scriberet Romanis proceribus, in hæc verba:

Ovid. l. 1. de Ponto. El. 3.

Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma; nec Ausonii militis arma timet. &c.

Et quantis victoriis posteriora secula coronaverunt fortissimi Poloni? Quid enim fecit *Ziemovitus Primus?* ille Hungaros, Bohemos, Cassubios, Pomeranos, bellis attrivit, & solvendo tributo effecit obnoxios. Quid *Boleslaus Chrobri?* Ille Boleslaum Bohemum crebris excursionibus infestum fudit, cepit, & exsecuit: ille Jaroslaum Russum subegit: ille Prutenos coercuit, Saxones castigavit: ille ampliatis imperii finibus ad perpetuam tantæ felicitatis memoriam in limite columnas æreas collocavit: eo demum constantissimo subditorum amore ex rerum optime gestarum gloria concepto beatus, ut illo mortuo universa Polonia totum annum lugens, neq; convivia ulla celebraret, neq; choreas ageret, neq; cultioribus vestibus Nobilium virorum aut fœminarum quisquam uteretur. Venerat illa ætate in Poloniam Imp. *Otto III*, ut reliquias veneraretur novi martyris *Adalberti*, a Prutenis dæmonum cultoribus occisi, cujus cadaver Boleslaus redemerat a barbaris, tantum argenti, sive auri, ut alii volunt, pactis, quantum corporis ponderi responderet: & venerat Otto, vel voti exolvendi causa, quod gravi morbo implicatus nun-

A. Guag. ger. Pol. t. 1.

Varsevicius in Orat. fu. Steph. P. R.

nuncupaverat; vel potius expiandi ſceleris, quo in Italia Comitem quendam innocentem indicta cauſa interfici juſſerat. Nam cum Imperatori uxor eſſet parum caſta, (dicendum enim hic eſt aliquid) illa ad Mutinam Italiæ, Comiti in iis locis copiam uſuramque ſui obferebat: ſed repulſam paſſa, ipſa ultro crimen ſtruebat, & tentatæ pudicitiæ Comitem accuſabat. Imperator calide audit, credit, damnat, occidit. Comes tamen ante mortem rei ſeriem uxori ſuæ aperit; & rogat, ut mortuum vindicet, & famam, quoniam vitam non poſſit, ſervet. Paulo poſt conventu ad Roncalias inſtituto, die, quo jus viduis & pupillis dicebat Cæſar, etiam Comitis vidua ad tribunal venit, & caput mariti occultum in ſinu geſtat. Stat ante Cæſarem, & veniam præfata, quærit, *Ecqua pœna dignus eſſet, qui vitam alteri injuria ademiſſet?* Hic Imperator: *Is quidem mulier*, inquit, *Morte.* Tum illa, *Ergo pœnam hanc tu, Cæſar, te judice ſubibis; qui innocentem maritum meum ſuſtuliſti. En caput, quod recidiſti. Innocentem autem eſſe, quoniam teſtes & alia deſunt, tractatione igniti ferri probabo.* Dixit, & ſine noxa fecit: miraculum Imperatorem & adſtantes commovit: ſed hunc maxime, qui Deum etiam vindicem timebat. Itaque permittit ſe fœminæ, ut ſua voce damnatum: ſed ad pœnam ſubeundam ſpatium poſtulat. Tum mulier tribus vadimoniis dilatis, *Atqui*, inquit, *ego ſupplicio Reginæ contenta ſum, cujus nefaria calumnia maritus meus eſt*

Trithem. in Chr. Hirſ. ad A C. 994. Sigon. de regno. Ital. l. 7. Lipſ. M. Pol. l. 2. c. 9. Mon. 2. n. 3. Lehman in Chr. Spir. l. l. c. 14.

oppressus. Otto muliere collaudata *Mariam* Augustam igne cremari jussit, & vero viduam illam propter dilata sibi vadimonia quatuor castris donavit. Ea sunt in Etruria, Lunensi tractu; & *Decimum*, *Octavum*, *Septimum*, *Sextum* appellant: a numero dierum, quibus Cæsar prorogationem supplicii a fœmina, ante plenam veniam impetraverat. Cum igitur expiandi tanti sceleris causâ Otto in Poloniam venisset, & ex voto Posnania Gneznam usque pedes esset iturus, Boleslaus ut tantum Principem digno honore exciperet, totum illud viæ spatium, quod septem milliarium est, stravit diversis pannis variorum colorum, & una cum Imperatore pedes istud iter confecit: addidit insuper regali magnificentia munera amplissima. Imperator tam præclaro & benigno Principi parem relaturus gratiam, habita in consistorio deliberatione, *Boleslaum* REGEM *solenniter creavit, sociumque & amicum Romani Imperii, a tributo & omni jurisdictione Imperatorum cum posteris immunem declaravit.* Quid autem dicam de *Boleslao Tertio?* qui

M. de Michovia Chr. Pol l 2, c. 4.

Cromer. de reb. gest. Pol. l. 3. Neugeb in Regib. Polon.

quinquaginta pugnavit prælia signis
collatis, casu non variante fidem;

Guag. rer. Pol. tom. 1.

& toties vicit, quoties pugnavit; qui in hostilibus etiam Henrici IV Cæsaris castris tot tantisque laudibus, compositis ad id carminibus, in cœlum usque efferebatur, ut Cæsar capitali pœna, ne id fieret, sancire cogeretur: uti & postea Cæsarem iniquissimas conditiones pacis proponen-

Cromer. de reb. Pol. l. 5. Guagnin. d. lib. Neugeb. Pol. lib. 3.

nentem circa Vratislaviam vicit, miserabili Germanorum strage; cum planities etiam, in qua pugnatum erat, inde a canibus in cadavera gregatim sævientibus, & itinera infestantibus, *canini campi* appellationem acceperit. Reliquerat ille moriens quinque filios, *Vladislaum*, *Boleslaum*, *Miecziſlaum*, *Henricum*, & *Casimirum*: sed inter quatuor grandiores natu omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis, partitus; principatu & summa rerum penes Vladislaum, qui ætate erat primus, constituta; Casimirum natu minimum in partitione omnino prætererat. Causam sciscitantibus respondebat; *Currum a quatuor rotis gestari, Casimirum vero suum in medio currus sessurum, ac tandem ad summam rerum perventurum esse.* Quod & factum est. Et ne priscos tantum Polonorum Principes ac Reges laudem: quasi illi soli Virtutem & Felicitatem habuerint in satellitio: quid jam dicam de *Sigismundo Primo?* Commemorantur, Auditores, a veteribus scriptoribus Cyrus Persarum, Alexander Macedonum, Mithridates Ponti, Carolus Magnus Germanorum, maximi & fortunatissimi Reges; laudantur Miltiades, Themistocles, Cimon, Alcibiades, Thrasybulus, Conon, Iphicrates, Chabrias, Timotheus, Phocio, Atheniensium; Pausanias, Lysander, Agesilaus, Lacedæmoniorum; Epaminondas & Pelopidas Thebanorum; Hamilcar, Hannibal, & Asdrubal Carthaginensium; Romanorum autem Fabii, Scipiones, L. Lucullus, Cn. Pompejus; duces & imperatores clarissimi & stre-

Crō. in or. fun. Sig. I.

& strenui: sed omnes illi partim cum imbellibus populis rem habuerunt; partim bello felices, cæteris rebus infortunati fuerunt; partim cladibus & infortunio victorias & res bene gestas turpiter corruperunt. At Sigismundus ille per omnes vitæ actus secundissimo fortunæ flatu usus; Princeps alioqui pacis & concordiæ amans, & ab omni ambitione atque alieni invadendi cupiditate alienus; quippe qui regnum Daniæ
Th. H. l. 1. & Hungariæ renuerit; quot tamen bella is gessit? cum quibus gentibus conflixit? Nempe, cum potentissimis Moscis (quorum magnum Ducem
Th. H. l. 69. Mechmetes, prudentissimus tot Sultanorum consiliarius, tanti faciebat nuper, ut secundum suum Principem Muratem III, nullum toto terrarum orbe Mosco potentiorem esse arbitraretur) cum ferocissimis Tataris, cum acerrimis Valachis, cum ipsis Turcis, vel ipsa victoriarum perpetuitate terribilibus; & cum nostris Germanis: quibus omnibus ille fuit formidolosus. Et quidem ille Sigismundus, ejusque successores Reges, non modo inanes Germanorum nostrorum conatus eluserunt sæpius, sed etiam Prussiam atque Livoniam, amplissimas provincias ab Imperio Germanico avulsas, cum insigni Germanici nominis
Bod. de Republ. l. 1. c. 9. macula suæ ditioni adjecerunt: quod licet Pruteni Equites molestissime tulerint, ac multoties apud Imperii Ordines de contumelia ista questi sint; nihil tamen Imperatores audendum sibi putarunt adversus Polonos, a quibus Germanorum exercitus toties repulsos ac fractos esse intel-

telligebant. Et quid opponeret Germania innumerabili, & qui cæterorum Christiani orbis Principum opes superat, equitatui Polonico? Nam *Rex ex solis Nobilibus, qui privatis sumptibus regno militare adstricti sunt, centum quinquaginta millia gravioris & levioris armaturæ militum cogere, & in aciem, si necessitas ferat, educere potest.* Quem hostem tantus Nobilium exercitus non fuget, dissipet, fundat & confundat? Quem vel nomine tantum non terreat, præsertim si vires generosissimorum *Kosakkorum* accesserint, qui jam creberrime clades Turcorum & Tatarorum virtutis suæ experimenta fecerunt? Viri omnino fortissimi, &, quod hodie in communi omnium fere gentium militaris disciplinæ laxitate mirum, prædæ sunt hostes: quod præcipue in bello Ivonico insigni exemplo testati sunt, *cum dux hostium captus* ingentem summam pro liberatione offerret, quippe qui *sexies librati in statera corporis pondus, bis auro, ter argento, semel margaritis, appensum polliceretur*, nihil tamen invictos Kosakkos permovere posset. Quid? quod extra illas dotes incomparabilis hæc *Polonica Nobilitas* non solum generis antiquitatem præ se fert; plurimis rerum Polonicarum & Russicarum scriptoribus uno ore attestantibus, Italum quendam *Palæmonem*, & alios socios profugos, *Vrsinos*, *Columnas*, *Iulianos*, *Cæsarianos*, *Gastaldos*, Lituaniæ Nobilibus familiis originem dedisse; plebem autem Lituanorum ex Gothis ortam esse: verum etiam singulari compluplu-

Th.H. l. 56. Mur ad Sacrat.

Th.H. l. 58.

Guagnin. rerum Pol. tom. I.

Dudit. in Apolog. ad Imp. Max. II. Th. H. l. 56.

plurium familiarum dignitate, potentia & opibus fundata, sanctissimum Reipub. & aureæ libertatis conjugium generosissime tuetur. Quemadmodum enim *alcinæ ungulæ*, si statis temporibus abscindantur, præsentissimum adversus comitialem morbum sunt remedium: ita augustissima *Senatus Polonici* autoritas, qua Regem imprudentius imperantem objurgare & corrigere licet; summæ *Radiviliorum* (ex quibus *Ianusius* uxoris hereditate universas opes ac possessiones *Ducum Slucensium*, qui incredibili privatarum opum apparatu vel aliquibus Germaniæ & Italiæ Principibus comparandi erant, acquisivit) *Ostrogiorum*, *Zbarasiorum*, *Zaslaviorum*, *Chodkieviciorum*, *Chleboviciorum*, *Voloviciorum* in Lituania; in Polonia vero *Tenciniorum*, *Tarnoviorum*, *Firlejorum*, *Lesciniorum*, *Ostrorogorum*, *Zboroviorum*, *Lascorum*, *Czarnkoviorum*, *Latasciorum*, *Samoisciorum*, *Zebridoviorum*, *Zolkieviorum*, *Prochniciorum*, *Ossoliniorum*, *Olesniciorum*, *Tarlonum*, *Sienieniorum*, *Stadniciorum*, *Opaliniorum*, *Herburtorum*, *Gorajorum*, *Sobiesciorum*, & heroum aliorum pene sine numero, quibus pares alibi gentium, imo vix similes inveniantur, virtutes, & vires maximæ; Poloniam undiquaque salvam, incolumen, & florentem semper præstant. Sed quod in Martio copiosissimæ Nobilitatis populo laudem habet primariam, est singularis inter omnes *concordia*: quæ uti alibi in conventibus & comitiis, ita inprimis in Varsaviensibus illis, quibus Henricus Gallus, Andium Dux, consentien-

tientibus Ordinum judiciis Rex factus est, apparuit inexpugnabilis. Nam cum *centum circiter equitum millia tunc intra quatuor milliarium spatium circa urbem diversarentur*, X L amplius dies non solum pabulum equis, non caro, non pisces, ac cætera esculenta, ac ne vinum quidem, tot hominibus non defuêre, quorum & magna copia semper fuit, & summa in tanta capitum multitudine vilitas: verum etiam, quod tamen omnem fidem superat, nullæ simultates aut rixæ toto eo tempore in tam numerosa Nobilitate auditæ sunt; quasi de republica sollicitis animis omnem injuriæ & odii sensum posuissent.

Quid igitur, magne Princeps, Nobilitati Polonicæ, quid toti nationi Polonicæ, tot laudum elogiis, tot meritorum adoreis, tot miraculorum trophæis illustrissimæ, in omnibus totius orbis terrarum gentibus conferri potest? Nec verbum amplius addo.

PRINCEPS FRIDERICVS ACHILLES, &c.

DICTV *ACACIAXELI.*

ORA-

ORATIO
ACACI AXELII, von Görholm,

contra
POLONIAM.

NE LATUM QUIDEM unguem, inclyte Princeps, discedo ab iis, qui pro Germania tulerunt suffragia; & existimo, amici mei MOSHII Polonicam laudationem sic accipiendam esse, quemadmodum astrologorum calendaria plerunque suo merito æstimari solent: in quibus si ordine prædictionum præpostero pro humido siccum, pro calido frigidum ponatur, & universa tempestatum πρόγνωσις in characteres vertatur contrarios; dummodo illis temporibus, in quæ vix incertitudo cadit, nihil assignetur incongruum; scilicet, neque *Natalem Domini* extremis æstibus torrendo, neque *Ioannem Baptistam* horrida glacie & intensis frigoribus adstringendo; vix curæ fuerit cordato, pignore deposito de eventibus alterutrius fastorum ordinis certaturo, primum an inversum capiat; non ambigenti, neutrum ad formulam & præscriptum responsurum esse. Et tamen illa tua

M.de Montaigne liv. 2. c. 17.

tua oratio, mi MOSCHE, pro argumenti tenuitate satis prolixa, nimis mihi brevis & concisa fuit, pro modo voluptatis, quam ex ea cepi multo maximam. Audivi enim libens: sed omnino eo adfectu, quo histriones, mimos & id genus spectamus; qui nulla alia re magis accepti & grati sunt, quam quod salsis dicteriis populum delectant, & dum risum captant, irridentur. Quid vero tibi animi est barbaram Poloniam effreni confidentia sic prædicare, sic supra alias omnes terras ac nationes extollere? An forte cum Archippo *asini umbram*, cum Passeratio & Heinsio *asinum ipsum*, cum Glauco *injustitiam*, cum Polycrate & Isocrate *Busiridem*, cum Hutteno *febrem*, cum Favorino *Thersiten & quartanam*, cum Marone *culicem*, cum Catullo *passerem*, cum Ovidio *nucem*, cum Diocle *rapam*, cum Dione Prusæo philosopho *psittacum*, cum Synesio *calvitiem*, cum Luciano *vitam parasiticam & muscam*, cum Libanio *bovem*, cum Mirandula *barbariem*, cum Cælio Calcagnino *pulicem*, cum Erasmo μωρίαν, cum Pirckheimero *podagram*, cum Majoragio *lutum*, cum Pierio *paupertatem poeticam*, cum Salerio & Hegedorpio *ebrietatem*, cum Heinsio *pediculum* & cum aliis alias res frivolas & nihili laudantibus; an, inquiam, eodem modo & tu in Poloniæ laudatione, ingeniosi laudem venari voluisti? Equidem nunquam crediderim, etiam Polonos ipsos omnium populorum maxime Suffenos, cum Hispanis, Italis, Gallis, nedum cum Germanis, de summa digni-

tatis prærogativa; vel verbum commutaturos esse: si fecerint, mirabor; & credam, petitionem Catonis & Vatinii tam imparem non fuisse. Quid autem de Polonia judicandum sit, palam significavit *Henricus* Andium Dux, quando in Regem Poloniæ se electum esse intellexit; cum electione illâ exilium sibi indictum interpretaretur; & Joanni Monlucio, Valentiæ Episcopo, nec non Francisco Noallio, Episcopo Aquensi, viris summis, tanti honoris conciliatoribus eam rependeret gratiam, ut se semper deinceps alienum ab iis præbuerit. Quinetiam Galli quidam, qui in Henrici comitatu tunc erant, illis coloribus depinxerunt Poloniam, ac si miseria & barbaries ipsa ibi haberet propriam sedem, & perpetuum domicilium; disertis verbis testati, minime fuisse opus, ut Polonorum delegati, qui decretum electionis ad novum Regem in Galliam attulerant, tantopere efflagitarint cautionem, nulli Gallorum prædia & bona in ditionibus Polonicis acquirendi facultatem datum iri; *cum ex illorum numero nemo tam esset abjectæ sortis, qui magnus Dux Lituaniæ esse optaverit.* Fortassis nec alii optaverint, qui amœnioribus & fertilioribus locis assueti, in horrida illa, aspera, & maximam partem sylvis desertisque impedita venerint: ubi vel fertiles agri (uti in Podolia) tam sunt duri ac petrosi nonnunquam, ut bisseni boves aratro uni ducendo vix sufficiant: ubi quoque interdum tanta vis frigoris, ut radicitus arescant arbores, & aqua ex editiori loco effusa, priusquam terram contigerit,

Th. H l. 56. & 61. & 81.

A. Guag. rerum Pol. t. 2.

Cromer. l. 1. de situ Pol. Neuge. rer. Pol. l. 1.

gerit, in glaciem concrescat. Quanquam hæc cœli intemperies aliquando Poloniæ bono cessit. Cum enim Anno CHRISTI CIↃ CCCC XVIII, septuaginta Turcarum millia in Russiam penetravissent; derepente immensum gelu cum copiosissima nive in illos tanta vehementia grassatum est, ut supra quadraginta millia allerint, multiq; interfectorum equorum ventribus etiamnum calentibus sese illatebrasse fuerint deprehensi. Quæ res Turcis Religionem incussit, ut sibi persuaserint, Russos & Polonos divinitus defendi. Verum oleum & operam perdiderit, qui in Polonia delitias requisierit: & tu, mi MOSCHI, plane præter rem ex Stoicæ Philosophiæ penetralibus opum & ædificiorum splendorem dissuasisti: cum Polonia non veræ opulentiæ & magnificentiæ, non copiæ cornu; sed tenuitatis tantum & meræ inopiæ sit capax: adeoque ipsi Poloni non magis intelligant lautitias & elegantias, quam Croatæ *testudinum* suavitatem, quas etiam abominantur. Namque *Carolus Clusius*, Atrebas, illustris nominis Medicus, cum Anno Christi 1579. Majo mense, prælustrem Dominum *Balthasarem de Batthyan*, Regni Hungariæ Archidapiferum hæreditarium, in Pannoniam interamnem, quæ nunc ex parte *Slavonia* sive Windischland nuncupatur, comitaretur; Turnizzæ, ubi subsistebant, dum forte circa rusticorum prædia obambulat; multas testudines palis affixas, & e sepibus hortos ambientibus pendentes animadvertebat. In arcem, quæ pa-

Zvving. M. Apodem. l. 2. c. 33. ex Cromero.

Clusius in not ad P. Bellon. obser. l. 1 c. 65.

go est ibi cognominis, regressus; & causam ejus rei percontatus, audit incolas a testudinum esu prorsus abhorrere. Ille stultitiam hominum ridere, & interrogatus, an vesci iis cuperet, annuere. Sed cum nemo ipsas apparare sustineret, cocus quidam Gallus Byzantio redux commodum advenit, qui ferculum confecit. Vescitur Clusius suaviter, omnibus eum cum stupore contuentibus, & plerisque nihil dubitantibus, quin eam noctem habiturus esset vitæ postremam: at postridie cum Clusium non modo vivum, sed etiam alacrem conspicerent Croatæ, multo magis mirari, & plerique asserere: *Etiamsi Viennensem urbem præmii loco nancisci queant, non tamen degustaturos.* Sed & hoc præter rem forsitan. Certe tota *Samogitia*, provincia imperii Polonici haut angustis finibus clausa, nec urbem, nec arcem quidem, aut præstantiorem domum habet; Nobilesque in tuguriis duntaxat stabulantur. Quemadmodum tamen apud inferiores Germanos, & alibi quoque, pessimo more caseum vulgo tam diu servant, dum totus in vermiculos resolvatur, & tum demum viva animalcula, ipsam putidissimi cibi putredinem paulo sacchari adsperso nimis avide vorant delicatissimi epulones: sic Polonis natura atque fortuna pro illorum indole & ingenio abunde prospexit, & contulit delitias ruris & inficetiarum plenissimas; quas illis, spondeo respondeo, nemo nostrum invidebit. Atenim in universum mores Polonorum ad censuram vocanti mirum accidit; qui fieri

Ab Ortel. in orb. The. Sig. B. Herbersten. in H. Mosch.

Merc. Brit. in terra Australi l. 1. c. 6.

fieri possit, ut illi tot magnis vitiis occupentur, & fere cum virtute commercii habeant nihil. Nam, ut de *Religione* Christiana primum loquar; quot ea superstitionum & errorum monstris deturpatur a Polonis? quam illa impure habitat in Polonia? Muhametani Tatari, infames ritus prope Vilnam summa licentia observant. Imo sunt hodieque inter Lituanos & Samogitas quam plurimi, qui serpentes quosdam, *Givoiitos* patria lingua dictos, domi suæ fovent, & numinis instar colunt, eosque certo anni tempore precibus sacrificuli evocant ad mensam fercula singula delibatum: & penatibus illis non comparentibus nec prægustantibus, magnas calamitates sese subituros esse credunt pessimi ominatores. Neque hisce tamen profanis & misellis diis finiunt idolomaniam suam, cum aliquibus in locis Russiæ, Lituaniæ, ac Samogitiæ, agrestis plebs in honorem Diaboli etiam solennes epulas sub finem mensis Octobris instituat. Namque patribusfamiliarum cum uxoribus, liberis, & servis ad locum ferali convivio destinatum convenientibus, mensaque gentili more instructa, & jam vitulo, porco & porca, gallo & gallina, & cæteris jumentis domesticis, in futurum sacrificium adductis; tum incantator quispiam, verba quædam demurmurans, animal immolandum baculo percutere orditur, quem dein reliqua turba sequitur, clamando: *Hæc tibi, o Ziemiennik Deus* (sic dæmonem appellant) *offerimus, gratiasque tibi agimus, quod nos hoc anno incolu-*

Neuge. rer. Pol. l. 5. Guagn. H. Pol. t 1. Guagn. rer. Pol. t 2. Camer. M. H. cent. 1. c. 69.

mes conservare dignatus es; nunc vero te rogamus, ut & in posterum nos tueri ab igne, ferro, peste, & inimicis quibuslibet defendere digneris. Inde carnes mactatorum animalium vorant; particula prius ab unoquoque ferculo decerpta, & in omnes ædium angulos cum hisce verbis projecta: *Hæc, o Ziemiennik, nostra bocolausta suscipe, & comede benignus.* Quot cruces, quot furcas, hic ponunt Poloni Christo nostro, o mei Auditores? Et quis Christianus inter illos infernales & reptiles deos Dominum Christum nostrum quærat? *Malheureux est le pays, auquel le diable est en haut prix.* Adeo vero superstitionibus dediti sunt Samogitæ; ut etiam aratris ex puro puto ligno factis, quibus solis utuntur, singularem quandam virtutem tribuant. Iccirco quidam provinciæ præfectus, qui colonorum labores levaturus ferreos vomeres, veluti agricolationi aptiores, fabricari mandaverat, cum mox a reformatis vomeribus per aliquot annos segetes agricolarum expectationi ob aeris inclementiam non satisfacerent, ille vulgi, agrorum suorum sterilitatem ferreis vomeribus pertinaciter adscribentis, seditionem metuens, confestim amoto ferro agriculturam moribus & vomeribus antiquis restituit. Alias in reliqua plebe Polonica, quantumvis nullis idololatricis cultibus fœdata, videre est insignem in religionis notitia ruditatem; pene ad exemplum plebejorum Moscovitarum; ex quibus *Dominicam Orationem* pauci sciunt, dicuntque *Oratio-*

nem Dominicam scire, dominorum & sacerdotum, qui nullis laboribus occupantur, opus esse; sibi autem in DEUM *& filium ejus Iesum Christum, & Spiritum sanctum simpliciter credere, satis esse* : item *Confessionem sacram Principibus convenire, ac potissimum ad magnates atque Nobiles pertinere.* Sed quid hoc est, Auditores? An tantus incessit stupor plebem Polonicam, ut sincerum & legitimum Divini numinis cultum non percipiat? An vero *mala tractatio dominorum* illam durioribus exercet operis, quam ut quicquam temporis pro capitibus Christianæ religionis addiscendis habeat reliquum? Nimirum quod Ditmarus, Episcopus Merseburgensis, jam ante quingentos annos de Polonico populo scripsit, *illum more bovis esse pascendum, & tardi ritu asini castigandum, & sine pœna gravi non posse cum salute Principis tractari* : hoc Nobilitas in subditis non perfunctorie hodie exequitur. Præcipue tamen in Lituania rusticorum conditio est durissima. Nam ut quisque dominus famulorum caterva stipatus domum coloni alicujus ingreditur, impune quidvis facere, res quascunque rapere, absumere; & colonum etiam verberibus crudeliter cædere potest. Nec colonis ad dominos suos sine muneribus aditus patet; & admissi illico ad officiales rejiciuntur; qui nisi donis mitigentur, juste decernunt nihil. Et profecto in Lituania quodlibet judicis verbulum, aurum est. Præterea singulæ septimanæ in operas ita distribui solent: ut coloni quinque aut sex dies

Guagn. rer. pol t. 2. Neugeb. in Cō. Mosc. c 12.

lib. ult Chr. G. Barclai. cont Monarch. l. 4. c. 13.

Guagn. rer. Pol. t. 2.

negotiis dominicis impendant, die vero Solis res privatas curent; & ſic plerunque diebus Solis (nam ne feſtis diebus quidem ſunt feriati) quodvis opus abſolvant, arando, occando, runcando, paſtinando, metendo, triturando, & id genus. Idcoque ſi quis Roxolanum interrogaverit; *Quare Dominico die laboras?* continuo is reſpondebit, *Quia & die Dominico comedere oportet.* Atque Nobiles inſuper non ſolum in glebæ adſcriptitios, quos *Kmethones & Clophos* vocant, jus vitæ & necis paſſim uſurpant: ſed & ſi quis ex iſtis forte capitis fuerit damnatus, tum de ſe ipſo, jubente domino, ſupplicium ſumere, ſuiſque manibus ſe ſuſpendere, minis, loris, & fuſtibus impellitur. Quæ dira conſuetudo haud dubie Vitoldo Lituaniæ Duci originem debet; cujus ſeveritatem, imo immanitatem, adeo extimuerant provinciales; ut ſiquando dixiſſet duobus pluribuſve; *Ite ocyus, ac laqueo vos appendite*; nemo imperium ſubterfugerit, audituſque nonnunquam ſit, qui currens hortatus alios, *Eamus quam properanter*, ingeminaverit, *ne bilem Domini commoveamus.* Quanquam & *leges* Polonorum, potiſſimum *Caſimiri magni* (qui tamen *ruſticorum & plebejorum Rex* appellabatur; & ex eo ingentem æquitatis laudem erat meritus, quod barbarum morem jurisjurandi conceptis verbis dandi abrogaverat; in quo ſi quis verbo lapſus eſſet, atque adeo ſi titubaſſet, cauſa quantumvis juſta cadebat) non parum illam ſævitiam exaſperaſſe, aut firmaſſe viden-

Neuge rer. Pol. l. 3.

Guagn rer. Pol. t. 2.

Silv. in Pa- ral. Alf. l. 2. c. 19.

Neuge. rer. Pol. l. 3.

videntur; cum Rex ille in Divinæ ſapientiæ arcem, profanum humanæ ſtultitiæ arietem, *rigorem legum divinarum*, ut ajebat, *correcturus*, impio impetu immitteret; atque cædem Nobilium a Nobilibus admiſſam aureis XXX vindicandam; ſi plebejus Nobilem occidiſſet, pœnam pecuniariam duplicandam; ſi Nobilis plebejum interfeciſſet, etiam ex inſidiis, pœnam X aureorum eſſe, injuſtiſſime ſtatueret. Qua impunitate occidendi propoſita, innumerabiles cædes conſecutæ ſunt: ut Sigiſmundus I Rex, qui alias corpore fuit ita robuſto, ut ætate florenti ferreas equorum ſoleas manibus diffringeret, funes cannabinos craſſiores rumperet, balliſtam manu intenderet, & chartularum luſoriarum faſciculos diſcerperet, tamen iſtam ſubditorum feritatem non vincere, nec in comitiis Petricovienſibus inficiari potuerit; ex levitate pœnarum neminem vel in ipſis templis amplius tutum eſſe. Atque Sigiſmundus ille, auctis regni opibus, pœnas geminabat quidem; & præterea legi ſubrogabat, ut ſicarius LVIII hebdomadas carcere publico attineretur; hoc tamen peſſimo corollario, quod triennii præſcriptionem cuilibet homicidio indulſerit; & patronum, qui clientem ſive Kmethonem ſuum interemiſſet, ab omni ſeu publica ſeu privata accuſatione liberum eſſe voluerit. Ex quibus, mi Moſchi, non tantum legum DEI & Religionis Chriſtianæ deſpectum & neglectum (quem

l. 2. Statut. Pol. c. 15. art. 6. Annus. de jure M. l. 2. c. 3. n. 6.

Bod. de Re. l. 1. c. 5. & l. 6. c. 6.

Neugeb. in vitis Reg. Polon.

A. Ch. 1583.

H. Trentler. ſcrib. t. Stephanum regem hæc emendaſſe: Vol. 1. diſp. 3. th. 9. lit. b.

tamen Poloni non leviori Arrianæ hæreseos & omnium fere errorum, quicunque priscis seculis Ecclesiam polluerant, in tutelam & patrocinium receptorum facinore vehementer adaugent) intelligere & censere; sed & una nullo negotio conjicere potes, [illegible]antum jam in Polonorum incivilitatem & cætera morum flagitia sim dicturus. Noli vero expectare, ut in laudes Germanorum prius expediam linguam, longoque argumentorum contextu demonstrem, si quid in Polonia nunc supersit probum, & elegantioribus moribus congruum, illud maxime *Germanorum* industriæ & virtuti attribuendum esse. Quis enim tam sit hospes in veterum monumentis, qui hæc ignoret? Quis tam hostis sit veritatis, qui id neget? Sicuti patrum ætate Belga quidam *Petrus Simonis F.* Germanicas vites transportavit in Hispaniam, quæ ibi solo insitæ mirumque in modum multiplicatæ illa gratissima & longe nobilissima producunt vina, hodieque nomen translatoris sui *Petri Simonis* retinentia: ita quoque Germani, inquit Moschi, *Germani sunt, qui Poloniam & Equestrium familiarum, & opificum atque mercatorum coloniis jam olim nobilitaverunt*: quod arguunt cum multarum illustrium gentium insignia atque nomina; cum ipsa quoque Polonorum lingua; quæ cum sit Slavica, atque Polonis, Bohemis, Russis, Moscis, Moravis, Silesiis, Cassubiis, Croatis, Bulgaris, Rasciis, Serbis, Illyriis, & universo [illegible] no-

Merula Cosmograph. p. 2. l. 1. c. 3.

Neugeb. rerum Pol. l. 1. & 3. Crom. rer. Pol. l. 12.

Hodie in Europa [illegible] vult [illegible] liger [illegible] XI matrices linguæ [illegible] : *Slavica, Epirotica, Tartarica, Vngarica, Finnonica, Hirlandica, Cantabrica, Britannica*: licet Britannicam Germanismi sobolem esse scribat *I. Is. Pontan. in Gloss. prisco-Gall.*

nomini Slavonico communis, adeoque illi cum Germanica, aut ulla alia matrice lingua, nihil intercedat cognationis: tamen permulta instrumentorum, operum, & aliarum rerum ad opificia & communem vitam pertinentium vocabula, a finitimis & priscis incolis Germanis mutuata est. Suntque etiamnum sparsim in urbibus mercatores atque opifices Germani plurimi: & præsertim in ditionibus Russiæ & Scepusio, majorique Poloniæ vicinis, tota oppida pagique tantum a Germanis fere incoluntur. Verum quid in Polonos habeo dicere amplius? Valentinianus major, Auditores, cum olim Sarmatiæ legatorum, pacem petentium, habitum sordidum despectumque notasset, quærebat, *Nunquid Sarmatæ omnes ejusmodi essent?* legatisque respondentibus, *Sarmatarum optimos atque ornatissimos ad illum ex consuetudine missos esse*; Imperator ira accensus exclamavit, *Male secum esse actum, quod se imperante gens tam sordida finibus suis nollet esse contenta.* Et tamen Valentinianus A. tunc sordes tantum vestium in Sarmatis notaverat: qui si mentis animi impuritates Polonico in populo potuisset aspicere, quibus contumeliis & imprecationibus adversus illos fuisset usus, o mei Auditores? Quid enim Valentinianum dicturum fuisse putatis, ad *Popieli II* detestabile; & tot crudelissimis sceleribus cumulatum facinus? Ille siquidem, patri Popielo per omnia similis, cum amari a suis non mereretur, & metui mallet, veritus, ne regno exueretur, simulato morbo pa- Sigonius de Oc. Imp. lib. 7.

truos

truos omnes, quorum autoritatem maximopere reformidabat, accersit; & invaletudinem exaggerans, quasi jam jam moriturus, eorum fidei uxorem ac liberos commendat; tum singulos blande appellando, in signum amoris poculum, cui astu reginæ venenum erat mixtum, circumlatum præbibere se fingit, quod tamen ne extremis quidem attigerat labiis. Ex quo cum patrui ordine bibissent, & postea salutato rege abirent, statim vi veneni in furorem versi, & tandem ingentibus cruciatibus exanimati sunt: quos dein Regina, quasi mariti sui vitæ insidiatos, justaque DEI vindicta percussos, subito periisse divulgat: & tanquam sepultura indignos in lacum *Goplum* projici mandat. Cœleste autem & justum Numen hanc atrocitatem non prætermisit inultam. Nam ex cadaveribus interemptorum putrefactis enati *mures* inusitatæ magnitudinis, impium parricidam cum scelerata uxore atque liberis fugientem quoquoversus per aquam flammamque persequuntur; nihil claustris, nihil abigentium satellitum auxiliis quicquam impedientibus: postremoque diffugientibus omnibus domesticis, *absumptis prius filiis Lecho & Popielo, atque uxore etiam, ille ultimus lenta morte a muribus in arce Crusvicia corrosus & depastus est*: eventu docente, in fatis filii & nepotum fuisse votum Popieli patris, subinde sibi imprecari soliti; *O utinam a muribus corroderer!* Eandem vero murium carnificinam, divinitus jussam, passi olim fuisse creduntur; alius Polonus, *Mieczislaus Dux*

Neuge. rer. Pol. l. 2. Guagn. H. Pol. t. 1.

A. Ch. 823.

Cuja-

Cujaviæ, qui inopum, pupillorum, ac viduarum bona injuste diripuerat; & in Germania (patriæ nævos!) *Hatto II Archiepiscopus Moguntinus*, qui pauperes, spe accipiendorum frumentorum facta, in horrea quædam vocatos, admotis ignibus nefarie combusserat; atque *Wilderolfus Argentinensis Episcopus*, qui cum S. Attalæ reliquias apud S. Stephanum intervertere vellet, nec posset, tum in ipsas ira monialeis conversa quasdam expulerat, dona & bona, quæ placebant, in suum dominium transtulerat. Quod tamen de *Hattone* & *Wilderolfo* (cur enim dissimulem?) sic tradunt scriptores quidam, illud viri docti anilibus, meris, ac putidis fabellis adscribere solent. Quid autem Valentiniani maneis hic expergefacio? Tuam conscientiam appello, MOSCHI; dic mihi, qua parte civilem & moratum facis *Suitrigalum* Ducem Lituaniæ? qui cum modulum vitæ haberet culinam, nunquam e domo pedem movebat, quin dispensatorem percontaretur, *An librum, quem sibi de arte popinaria accuratissime componi curaverat, secum afferret*: apud quem etiam *cœna non minus sex horarum* erat; *nec fercula minus quam triginta & centum*, dum ille ligurit, apponebantur. Optassem Suitrigalo convivam *Dietzelaum Cracoviensem Archidiaconum*, qui interérat Concilio Basiliensi; in quo exautorato Eugenio, cum novi Pontificis eligendi causa in conclave more majorum discessum, atque cibaria lege electoribus fercula circumscripta essent, Dietzelaus lautius largiusque epulari assuetus, istam

dimi-

Neuge. rer. Pol. l. 3. Trithem. in Chr. Hirs. Eysengr. in Chr. Spir. l. 10. Camera. M. H. cent. 2. c. 12. Guilliman. in Wilderolfo. N. Serar. Mog. rer. l. 4. in Hat. 2.

Silv. in Pa. gall. Alfons. l. 2. c. 13.

Æn. Sylv. de gest. Basil. Concil. lib. 2.

diminutionem ferculorum ægerrime ferebat, & aliquando avicularum patina ad ostium conclavis intercepta, ubique spolium conquestus ac publice testabatur, nunquam diem, postquam Sacerdos fuisset, tulisse pejorem. Cæterum rogatus, ne male acciperet, quoniam idem quoque obtigerit Cardinali Arelatensi, Proh (inquiebat) *Cardinalem mihi æquiparas? hominem Gallicum, parcum, eventrem, aut (ut verius loquar) non hominem? Ego apud eum meo infortunio sum locatus, omnia quæ facit perlustris mihi cortina indicat, nec adhuc aut bibere eum, aut comedere vidi: & quod mihi molestius est; insomnes noctes, insomnesq; dies ducit, aut legit semper; aut negotiatur; nulla ei minor, quam ventris est cura: mihi nihil cum eo commune est. Ego Polonus sum, ille Gallicus: mihi ardet, illi friget stomachus: illi sanitas, mihi mors jejunium est. Ego ni multum comedam, & multum dormiam, cito deficiam. Illi econtrario omnia sunt. Iejunent Gallici, & Poloni comedant.* Et acerbabat incommodum ignavia famuli, qui Dietzelao semper ultimus cibaria adferebat. Ex quare ortum in ostio Conclavis proverbium fuerat: *Vltimum esse, qui prior esuriret.* Sed dic porro, mi MOSCHI, qua ratione temperantiæ & castitatis leges cum moribus Lituanorum conciliás, quibus conjugiorum sanctitatem rivalium licentia temerare licet? Equidem olim Dux quidam Oppaviæ uxori adventanti, quam in Lituania duxerat, obviam procedens, cum in comitatu illius adolescentem offenderet forma egre-

Forcatul. in Pol. fel.

gium, robusto corpore, in plumis jacentem, pensili curru advectum, & quæreret: *Quisnam esset?* (existimaverat autem, conjugis suæ fratrem, aut propinquum aliquem esse) postquam ex responso intellexisset: *Apud Lituanos more patrio nuptas, quæ nobiles quidem essent, unum pluresve concubinos pro viri facultatibus alere consuevisse, qui negligenti vel alia quavis causa impedito marito, in oneribus matrimonii ferundis & sustinendis veluti succenturiaretur; illumq; succiplenum juvenem propterea adductum fuisse, qui ipsius infrequentiam suppleret;* Dux nebulonem illum vicarium canibus laniandum objecturus erat, nisi ab amicis intercessum fuisset. Quod si jam ipsam quoque *Nobilitatem Polonicam* universam ad Ordinis Equestris notas adhuc pressius conferre velimus, quotusquisque erit in aliquo numero? quotusquisque ignobilitatem animi, & incivilitatem, titulorum ornamentis non palliabit superbe? Marocanus Rex ante aliquot annos ad Ordines Belgii confœderatos dederat literas, quæ longissimum continebant titulum, triginta versibus rhythmicis conscriptum; quem sequebantur tres aut quatuor lineæ, rem ipsam, cujus gratia literæ exaratæ erant, exponentes; ita, ut prologus fabula multis partibus major esset: sic fere Poloni, *quorum mos est de magnis majora loqui*, verbis tantum Nobilitatem suam jactant, & virtute quasi deficiunt; videnturque quodammodo mendicorum esse æmuli, qui ad exemplum ditiorum etiam suas magnificentias, dignitates, & nescio

Silvius in Paral. Alf. l. 4. cap. 8.

A. Ch. 1604. Ios. Scalig. in Ep. ad St. Vbert.

Silv. Ep. 31.

M. de Montaigne l. 3. c. 13.

nescio quam politiam alicubi observant. Et quo alio pretio habeam *Duces Giedrocenses* in Lituania? qui cum sint pauperrimi, & vix colonorum conditionem adæquent; atque in famulatu pleruñq; vitam tolerent; tamen, si alio quam *Ducum* nomine appellentur, non sine acerba injuriæ exprobratione graviter irascuntur: sicuti & genus suum ad Ducum Lituaniæ prosapiam referunt, ac insignibus Ducatus Lituaniæ antiquis utuntur. Nec quoscunque alios dupondios & minorum gentium Nobiles; quibus tota Polonia, & pene omnes ejus casulæ mirifice scatent; fecerim pluris. Cum enim paulo lautiores & opulenti proceres satellitio gaudeant populoso, & id ex solis fere Nobilibus illis diobolaribus ferruminent: isti tamen minime omnium; quæ alias ministrorum ac famulorum sunt, munera obeunt, sed domini jussa arroganti responso avertere solent; *Rusticum quærendum esse, qui ignobilibus laboribus defungatur.* Propterea singuli hujusmodi famuli plerunque alios aliquot famulos, & isti iterum alios, atque hi rursus suos pueros ad quartum usque ordinem, habent: qui omnes ejusdem domini impensis aluntur, & ab eodem salaria sua accipiunt. Et inter illos officium suum facit optime, qui pro sanitate domini bibit fortissime: plerique ad mensam tantum ministrant, cætera immunes: ideoque statim a prandio cœnave; inclinatis de more gentis coram domino genubus, apertisque capitibus, quo volunt, evagantur; & quandoque

Gvagn. rer. Pol. t. 1.

que triduo, quatriduo, vel integra etiam septimana in ganeis ac popinis luxuriant: domino, ubi interim fuerint, raro interrogante: aut si interroget, respondebunt illi, *Pro salute domini se hilariter bibisse*: pro qua adfectus benevoli significatione non modo gratias agit dominus, verum etiam bibones illos honorario quodam liberaliter remuneratur. Qua quidem in re latrunculus quidam apposite scenæ se attemperaverat. Cum enim Episcopi cujusdam aulam, sive potius mensam diu esset sectatus; tandem reliquis aulicis mercedem & stipendia petentibus, & ipse se immiscebat: quibus adversus eum murmurantibus, quod nulli omnino alicui ministerio obnoxius mercedem expectaret; Episcopus ex eo quærebat, *Cuinam inserviret? Tibi reverendissime domine*, ait ille, *inservio; & ad aliorum exemplum officii mei partes gnaviter impleo*: & rursus Episcopo, *Ecquod illud esset officium?* interroganti, *Quotidie*, inquit ille, *bis ad mensam tuam largiter edo & bibo*. Ad hæc Episcopus subridens illi deinde stipendium solvit. Quod si vero & ad *fidem publicam* nunc respiciam, Auditores; pene prius quæsierim, an unquam illam intellexerint Poloni, quam quoties perdiderint? Apud Troglodytas lacus est; qui ter de die fit amarus salsusque ac deinde dulcis; totiesque etiam noctu; unde & *insanus* est dictus: sic Poloniæ Nobiles magna ex parte insaniunt; uti profecto fidem, sua natura semper sibi constantem, non raro in omnes formas vi-

Guagn. rer. Pol. t. 2.

Plin. H. N. l. 31. c. 2.

Xx lissi-

lissime variaverunt. In *Gulielmo Austriaco* quos fidei fecerunt ludos? Cessante veterum Poloniæ regum stirpe invitant illum in Poloniam, ei Hedvvigem postremi regis Ludovici filiam dant in uxorem, & regnum Poloniæ in dotem, atque Reipub. gubernacula committunt: sed non diu post, nulla injuria, sed odio tantum in Germanorum nomen concepto, temere inflammati, Gulielmo & regnum & nuptam auferunt: nec contenti abominabili hoc facinore, novum & memoria nostra inauditum scelus adoriuntur, ac reginam, quæ alteri nupserat, novo regi, barbaro Lituano copulant, etiam reluctantem. Post hæc, tanquam parum fuisset, Gulielmum summo scelere de solio & matrimonio perfide deturbasse; cum Imp. *Albertus II* regnum Bohemiæ uxoria hæreditate sibi debitum vendicaret, Polonica Nobilitas & factiosorum quorundam ac rebellium Bohemorum suscepit patrocinium: quos tamen Albertus fortiter profligavit; jam ante de Polonorum levitate ita certus, ut Vladislai Lituani, Poloniæ Regis, unicam filiam in matrimonium crebro oblatam, facete abnuerit, *Injuriam patrui Gulielmi obstare causatus.* Inde mortuo Alberto, in filium ejus *Ladislaum*, adhuc infantem longe sceleratius grassati sunt Optimates Poloni. Hic enim licet hæreditario jure possideret Hungariam, & apud Albam Regalem jam more solenni inauguratus esset; illi tamen perfidis Hungaris, & privatis cupiditatibus lenocinantes,

Silv. Ep. 101. Lazius Gen. Aust. Com. lib. 2.

Cuspin. in Imp. Alberto II.

Vla-

Vladiſlaum V regem ſuum Polonum in Hungariam deducunt, legitimum regem puerum regno patrimoniali ſpoliant, & ea agunt omnia, quæ prædones in alieno facere ſueti. DEUS, DEUS autem innocentiam pueri Ladiſlai reſpexit, & ultrice dextera Polonos involvit *clade Varnenſi*, qua non ſolum Chriſtiano nomini labes violatæ fidei adſperſa, (Murate II. Sultano in ipſo prælio, cum hoſtiam eccleſiaſtico ritu conſecratam, quam antea pacis inviolabiliter obſervandæ ab Vladiſlao acceperat pignori, e ſinu proferret, erectis ad cœlum oculis, vernacula lingua altum exclamante; *Crucifixe! Crucifixe! vide gentem tuam perfidam, quæ te mihi pignoravit, nihiloque minus adeo religioſe ſancitam pacem per ſummum ſcelus violavit; ſi* DEUS *es aliquis, fac ut perjurii pœnam luat.*) Vladiſlaus Rex occiſus; verum etiam Polonia ipſa ſic exhauſta & exanguis reddita eſt, ut tum vix reperiri potuerit, qui regnum illud ſuſcipere vellet. Non hic audio, qui pro Polonis de ultimo diſcrimine, a Turcis Hungariæ impendente, callide objiciunt; tanquam neceſſe fuerit, pro regni & Chriſtiani orbis ſalute prudentiorem regem, & quidem Vladiſlaum e Polonia, repudiato Ladiſlao pupillo, intrudere in Hungariam. Si ita obtinuerit hoc factum, ut ad exemplum trahatur, rarus patri ſuccedet filius. Et poterant Vladiſlaus & Poloni, ſi ipſis Reip. Chriſtianæ atque Hungariæ ſalus tanti fuiſſet, poterant in communi periculo laboranti Hungariæ ſuppetias fer-

Cuſp. in Amur II. Iov. in Amur. II. Leuncl. in Ann. Turc. & in Pand. H. Turc. c. 116. 117. 118.

Silv. d. Ep.

ferre, aut quasi tutorio nomine pupillo infanti regnum conservare: sed eidem illud, ne matre quidem & universis regni ordinibus consentientibus, & quantocunque Turcici belli metu urgente, nullo jure adimere poterant. Et quid dicam? Poloni in ejusmodi occasionibus vere gerunt animum Iulianum; in ore semper habentes Euripidis versus:

Suet. in Iul. c. 30.

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν:

nam si violandum est jus, regnandi gratia violandum est.

Et quid aliud obtendere possunt illi Borussiæ interceptioni, illi Livoniæ aversioni? Quid? quod *Sigismundus Augustus* rex, cum Livonorum patrocinium contra Moscorum magnum Ducem suscepisset, fœdere tamen cum ipso Mosco percusso clientes non tam turpiter deseruisse, quam hosti prodidisse fertur. Atqui nondum, mei Auditores, nondum funerata est illa Germanorum virtus, qua jam olim Polonos fecerant sibi tributarios: quod olim faciebant, & hodie facere possunt; injurias suis illatas non negligent facile, imo ulciscentur cum aliqua intercalatæ pœnæ usura; atque etiam *Barbarios Philippos* suos ad legitimum obsequium reducent aliquando. Hoc autem Sigismundum Augustum Regem metuisse, non obscuris indiciis inde colligo; quod ad bellum sociale Turcicum requisitus, se in causam descensurum negaret, nisi prius Cæsar juri (quæ inter plures duriſſi-

Bod. de Re. l. 5. c. 6.

Lam. Schafnab. Cruſ. Annal. Su. p. 2. l. 7. c. 9.

l. 3. ff. de off. prætor.

A. Ch. 1571.

rissimas conditiones una fuerat) quod in Borussia sibi tribuat, Imperii nomine renunciet, idque comitiorum decreto sanciatur. Sed dum Germani rei feliciter gerendæ expectant occasiones; interim Poloni, ut quasi in antecessum pœnis exerceantur, vel domesticis scissi dissidiis mutuum vapulant, vel cæduntur a meis Suecis, vel fustigantur a Moscis, vel a Turcis vexantur, vel etiam a Tataris exagitantur. Et quis Polonis cavebit, quin Tatari iterum *auricularum* colligant messem in Nobilitate Polonica? Nam tempore Boleslai Pudici irruptionem Tatari fecerunt in Poloniam, & devastatis omnibus provinciis, urbibus pagisque incensis, demum totis viribus cum Polonis congressi sunt; sed cum pugnæ alea varie nutaret, tandem signifer Tatarus processit, vexillum gestans insigne, cujus pictura X literæ figuram præ se ferebat, & in cuspide hastæ erat imago tetra nigraque capitis humani barbati. Id vero vexillum cum vehementius concuteret signifer, eo ipso quoque nebulam exhalabat densissimam ac fœdissimam, qua Polonis prospectum non modo adimebat omnem, sed & simul eos odore enecabat teterrimo, totumque adeo exercitum hostilem miraculo rei stupefactum perturbabat. Tunc Tatari ferro urgere, vulnerare, sauciare, trucidare; Poloni autem non secus quam a grandine fruges prosterni, calcari, perire. Quo prælio tanta multitudo Polonorum ex Principibus, Nobilibus, & plebe, occubuit; *ut Tatari singulis cadave-*

Th. H. l. 50.

Guagn. rer. Pol. tom. 1. Neug. l. 3.

daveribus singulas auriculas dexteras præcidendo novem ingentes saccos expleverint: majori certe stragis editæ argumento, quam cum post pugnam Cannensem Annibal ad victoriæ fidem Carthaginem mitteret *aureos annulos*, a digitis occisorum Romanorum detractos, quos Mago in vestibulo curiæ jussit effundi, *eorumque tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse, sint quidam autores.* Vtrinque tamen dignitas Equestris taxata est mensura. Vbi vero tunc erant illa *centum quinquaginta millia Nobilium?* ille incomparabilis equitatus Polonicus? illa undique penetrabilis Polonorum fortitudo? Equidem Polonia plerumque numero equorum magis, quam viribus militum terrere solet: & cum peditatu non valeat, in bello, quod contra Moscum gesserat Stephanus Rex, externum militem ad domesticum robur firmandum adsciscere omnino necesse fuit: ut ita potius ad excursiones & deprædationes, quam ad statariam & justam pugnam viros sufficere possit. Nec multum præsidii ponendum in *Kosakkis.* Et quinam sunt illi *Kosakki?* Limes regni Polonici, Auditores, & magni Ducatus Lituanici magna ex parte Borysthenes est: qui in Moschovia ortus modico in occidentem flexu, in meridiem deinde & Pontum Euxinum magnam aquarum vim trahens fertur. superior fluminis pars ad Lituaniam pertinet: ad inferiorem diversarum gentium confinia concurrunt: præter Moscos & Polonicæ ditionis Russos, nonnullæ Turcicæ præfecturæ attin-

Liv. dec. 3. l. 3. ubi etiam addit, *famā propiorem vero esse, haud plus fuisse modio.* Florus. l. 2. c. 2. *modios duos* sc. ibit.

Th. H. l. 69. & 72.

R. Heidenstenius de bell. Mosc. l. 1.

tingunt : non longo etiam intervallo Valachi ei imminent. In hac tot nationum nec ſatis pacatarum colluvie, non poteſt adhuc, quamvis a tot ſeculis pax conſiſtere. Itaque immenſa ibi camporum ſpatia, multi agri inculti ac deſerti ob latrocinia vel metum jacent. Confluere huc ad prædas ex hoſtico agendas ſolent, cum ex aliis gentibus, tum Polonis quoque & Lituanis; ut quiſque eſt egentiſſimus, vel rerum capitalium damnatus, quoſque vel fortuna eorum vel leges in patria eſſe non ſinunt. Superioribus tamen temporibus, cum publice bellum non eſſet, etiam ex primaria juventute quidam loca ea petebant, odio quietis. Magnam partem in aquis ac flumine piſcatu & latrociniis vivunt; hoſtemque, ut ex quoque plurimum prædæ ſperant, ducentes, Turcis tamen & Tataris infeſtiores ſunt, magiſque Poloniæ Regibus operam navant. Quod infimam Poloniæ partem, quæ ad flumen pertinet, tenent, a loco *Niſovii* appellantur: alias communi nomine vocantur *Koſakki*. Et hi ſunt, Moſchi, illi tui *Koſakki* : qui cum ſint bipedum ſceleratiſſimi, & hominum purgamenta, eos tamen generoſiſſimos; & cum profeſſione ſint prædones ac latrones immaniſſimi, eos tamen prædæ hoſtes dicere non verebaris: bello Ivonico non eam laudem conſecuti, quam tu illis tribuis, cum demum crudelitati ſuæ pares pœnas ſolverint, ipſomet *Ivonia* Valachiæ Vaivoda a Turcis capto & interfecto; magno inconſtantiæ rerum humanarum & divinæ ultionis exemplo, ut omnes Th. H. l. 58.

hinc discant ab alieno regno invadendo, ab omni maleficio & injuria temperare, memores, quod cuiquam fecerint, idem sibi a quovis expectandum esse. Cæterum Polonicæ Nobilitatis fides, etiam erga Principes & Reges suos, jamdudum in Punicam degeneravit. *Poloni*, ait Radevicus, *nec Principibus suis fidem, nec natura propinquis debitam inveniuntur gratiam conservare.* Profecto *Lescum Nigrum* proceres immani deseruerunt perfidia, evocato Conrado Masoviorum Duce, in cujus verba quoque juraverunt: unis Cracoviensibus illam nequam conspirationem detestantibus; qui omnia charissima, & vitam ipsam, legitimo obsequio & debitæ fidelitati posthabebant. Sed Lescus, qui in Hungariam profugerat, cum non contemnenda Hungarorum & Cumanorum auxilia a Ladislao Rege impetrasset, statim ducit in rebelles, pugnat ac vincit, victoriaque utitur sic moderate, ut captivos dimiserit omnes, proceribus culpam deprecantibus veniam dederit; Cracoviensibus autem pro constantia & fide gratias egerit; cujus urbis regimen *Germanis solis*, quorum fide in rebus dubiis præclare esset erectus, deinceps attribuit proprium; etiam habitu cultuque corporis sui ad eorum formulam conformato; ut, quanti Germanos faceret, vel sic ostenderet. In *Casimiro I* Rege, an peccaverunt Poloni minus? Non ignorabant, filii Casimiri voluntates ad imperium matris *Rixæ* unice componi: qua pulsa, filius quoque sequi cogebatur. Qui tamen in exilio isto animum ad literarum

Radevicus in Append. ad Ott. Frising l. 1. c. 1.

Neuge. rer. Pol. l. 3.

A. Ch. 1285.

rum ſtudia appulit; & Lutetiam Pariſiorum devenit; illinc in Italiam porro; & denique pietate impulſus, in Cluniacenſi cœnobio *Benedictinum Monachum* profeſſus, DEO totum ſe vovit & ſacravit. Interea turbæ & fluctus in Polonia, ut in navi rectore vacua; audaciſſimo quoque in flagitiorum multitudine ac magnitudine imperium aut opes quærente: ideoque jam oculi animique melius conſulti requirebant ſuum Caſimirum; decretumque publice, ut miſſa legatione, ubi ubi terrarum eſſet, inveſtigaretur. Ad Reginam primo ventum; ab ea Cluniacum; & inveniunt Poloni non jam *Caſimirum* ſuum, ſed *Carolum*, (nam & nomen mutaverat) eundemque ſacramenti religione, ſed & *Diaconatus* vinculo obſtrictum: ſine cunctatione præterita excuſant, patriæ diſcrimina & calamitates proponunt; illumque, ut unicum præſidium & ſubſidium, Principem depoſcunt. Ipſe fortiter recuſare, alienæ poteſtatis ſe jam oſtendere, nec quicquam cum mundanis rebus commercii eſſe. Inſtant tamen legati; quos Caſimirus ad Abbatem, Abbas ad Pontificem Benedictum IX rejicit. Atque iſte tandem indulget, nexumque religionis diſſolvit, data etiam venia conjugii; cum hac tamen pœnitentiæ Polonis indictæ lege; *ut illi caput poſthac in coronam tonderent ritu monachali*; itemque de plebe ſinguli quotannis obulum unum (qui etiamnum *S. Petri numus* dicitur) in luminaria & cereos Divi Petri Romam conferrent; nec non ſinguli Equites feſtis ſolennibus, dum

Neuge. rer. Polon. l. 3. Guagn. H. Pol.t.1. Lipſ. in M. Pol. l. 2. c. 3.

ſacra peraguntur, *faſciam lineam candidam* in modum ſtolæ, qua in ſacris utuntur Sacerdotes & Diaconi, e collo ſuſpenſam ferrent. Omiſſis illis veteribus, quibus ſeculorum contumax barbaries forſitan patrocinetur nonnihil; quid tamen non audent recentioribus moribus imbuti Nobiles Poloni? Quam contemptim habebant Stephanum Batorium, novum Regem, juribus & imperiis ejus toties obtrectantes? At Princeps talibus capiſtris frenari inſolens, qua erat animi altitudine ac robore, maſcule denunciavit ſceptri reverentiam faſtidientibus, *liberum ſe hominem natum, nec victus nec amictus, antequam in Poloniam venerit, indigum; rogatum ab ipſis & vocatum veniſſe, atq; ab eorum manibus coronam capiti ſuo impoſitam: jam igitur non fictum, non pictum, ſed reapſe Poloniæ Regem eſſe, qui regnare & poſſit, & velit, & qui ipſos imperandi præceptores pati nolit.*

Reidă. Annal. l. 3.

A. Ch. 1585. Eodem Rege dein comitia Varſaviæ celebrante, cum ibi Sboroviorum cauſſa præcipue agitaretur, productæ ſunt literæ *Chriſtophori Sborovii* ad fratrem ſuperiore anno ſupplicio affectum; quibus de ingratitudine ac injuriis regiis atq; Joan. Sarii Samo-

Th. H. l. 83. iſcii Cancellarii graviter conquerebatur, *nec ſe flexurum genua coram iſto Bahale, nec Stephanum Regis nomine dignum eſſe* ſcripſerat; inſignia quoq; regia, qui dentes lupini ſunt, contumelioſe *dentes caninos* appellaverat. Citatus Chriſtophorus homo barbara crudelitate inſignis poſtquam non comparuit, læſæ majeſtatis reus per Regni tribunum pronunciatur; & confeſtim Viennam (huc enim ſe receperat

perat proſcriptns) legato ad Cæſarem miſſo ad pœnam depoſcitur captivus; Cæſare tamen re deliberata nefarium legato, ſicuti petebatur, non tradente, ſed regnis ac ditione omni ſua actutum exire jubente. Paruit mandato Cæſareo Sborovius: exemplo tamen inſolentis ſævitiæ de ſe relicto. Nam inſtitorem Iↄ talerorum ſolutionem petentem, & poſtridie redire juſſum pecuniam promiſſam exigentem, Sborovius arrepto cultro, unoque & altero vulnere inflicto, ſanguinem profluentem poculo excipere, & bibere miſerum hominem cogit; qui vitæ redimendæ anxius ſimul atque immane hoc poculum hauſit domo ejectus eſt, & quarto poſt die ſive ex vulnere ſive metu exanimatus deceſſit; ſicario mox facinore perpetrato equis conſcenſis cum ſequacibus in Marcomannos profugiente, ubique in itinere ſimilis truculentiæ exemplis editis. Hæc autem & alia ſexcenta infamis perfidiæ, contumaciæ, & proterviæ Polonorum exempla ſi ſerio, mi Moſchi, juſta mentis trutina ponderare volueris; quid tandem in omni Polonica Nobilitate invenies elegans, civile, urbanum, come, manſuetum, fidele? Quid in magno illo CL millium Nobilium numero reperies nobile? Feſtiviſſimus poeta, *Fr. Taubmannus*, in patriæ ſuæ ſalebras, & vicinos pagos, qui nomina a loci aſperitate traxerant, alicubi jocatur iſtis verſibus:

Pletz / Hundſchitz / Krögelſtein / Zederitz /
Schlötz / Zwernitz / & Huel Huel:
nomina ſunt ipſo pene tremenda ſono.

Has

Has inter salebras primæ indolis aera duxi:
Quid mirum, patriam si mea Musa sapit?

At si Taubmannus cœlo & solo Polonico debuisset ingenium, potuisset a communi Slavicæ linguæ horrore Musam suam vel omnino vocare barbaram, & ipsi barbarie nobilem. Et quemadmodum in ista *Polonica lingua* vocabula sunt, decem consonantibus & una sola vocali constantia, quæ ad ingenium cœli sui ita horrent, ut vere lapides, quibus audientium cerebrum excutiant, Poloni loqui videantur: ita eorum Nobilitas tot pravis humoribus & vitiosis moribus inquinata est, ut vix in paucis jucunda virtutum ἐυφωνία deprehendi possit. Audi vero, quid Gallus, ille Henrici Galliarum & Poloniæ regis aulicus, in ipsa Polonia scripserit de Nobilitate Polonica: *Quant a moy*, ait, *qui ne puis mentir, je vous diray fort librement, que je ne vis jamais un si miserable pays, tant de pauvre Noblesse, toute brutale & sauvage, mais toutefois si pleine d'arrogance, qu'elle n'estime aucune nation. Ce sont choses difficiles a representer par escrit, & du tout impossibles a croire, que par ceux, qui les auroient veues. Equidem dicam libere*, inquit, *& ex animo quod sentio: nusquam vidi regionem aque miseram; nusquam tot Nobiles pauperes, agrestes, efferos, & tamen arrogantia ita barbare ferocientes, ut omnes alias nationes aspernentur. Quod ipsum literis difficulter expressero; & videatur incredibile, nisi quis præsens Polonorum consuetudine familiariter fuerit usus, & ab ipsa experi-*

Scioppius in Scil. Hypobolimæo pag. 92.

perientia hauserit fidem. Ex qua gentis insolentia & barbarie haud dubie profectum & illud est, quod *fere soli mortalium ex regionibus longinquis Reges sibi adsciscunt*; quasi nulli apud eos imperio digni nascerentur; vel, quod verius est, quod nemo, nisi peregrinus & ignarus rerum Polonicarum, velit sub regii nominis velamento splendidam servire servitutem. Poloni enim, si rem propius intueamur, nec regnum habent, nec regem; sed oligarchicum regiminis genus, fucata regni specie & inani regis titulo adumbratum. Et recte censuerat Christina Cæsaris filia, Vladislai II uxor; *Summum illud jus & autoritatem Monarchiæ in Polonia umbratilem esse.* Et Rex quidem ita Senatus potestati subjectus est, ut nec in rebus domesticis, nec etiam in ducenda uxore, libero fruatur arbitrio; adeoque Jagello, cum tertium & quartum matrimonium sine Senatus consensu contraxisset, perpetuis ob id jactatùs fuerit discordiis. Stanislaus Orichovius tamen planissime rem expedit, qui in oratione de L L. Poloniæ ad regni proceres sic verba fecit: *Rex Poloniæ nihil aliud est, quam os quoddam regni vestri, vobiscum conjunctum, libero ac legitimo vestro suffragio; ut is prorsus nihil agat, nihil moliatur, ac ne loquatur quidem, nisi id, quod ex intimo sensu vestro publice sit profectum.* Et quid multis verbis opus est? Sicuti Poloni in Latinæ linguæ pronunciatione multoties turpiter impingunt, & accentuum rationem fere habent nullam: (Quis enim illud jo-

G. Barclaj. contra Monarch. l. 3. c. 3.

Cromer. l. 6. de reb. Pol. Neugeb. Polon. H. l. 3.

Cromer. rerum. Pol. lib. 18.

vide & H. Arnisæum in Doct. Polit. l. 2. c. 8.

cose

cose dictum non audiverit? *Nos sumus Nobīles Pol̆ani: non cur̆amus quantit̆atem syllab̆arum, modo sit oratīo congrŭa.*) pari illi ratione tractant Reges suos, pari veneratione exercent Religionem, pari cultu & honore prosequuntur fidem, honestatem, & virtutem omnem. Dixi, illustrissime Princeps.


PRINCEPS

FRIDERICVS

ACHILLES, &c.

DIC TV

LAVRENTIWENSINI



ORA-

ORATIO LAVRENTII von Wensin/

Pro ITALIA.



LEXANDRI MAGNI Hoc fertur: cum legisset illos Homericos versus, quibus Hectore provocante e novem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret sortis eventu, & trepida conceptione votorum Jovem Opt. Max. totus precaretur exercitus, ut Ajacem vel Tydei filium, aut ipsum Regem ditium Mycenarum sortiri pateretur Agamemnonem: *Occiderem*, inquit Alexander, *illum; qui me tertium nominasset*. Ita vir fortissimus inter novem tertius nominari recusabat: ubi tamen pluribus antecelleret, quam subesset. Quid vero futurum fuisset, magne Princeps; si tu olim Romæ ad P. C. præsente aliquo Julio Cæsare de Europæ provinciarum inter sese prærogativa, & de summa republica retulisses? Quis Senatorum tertio loco ITALIAM, quis imo secundo nominare fuisset ausus? nisi hujus ignominiosæ collocationis

Auson. In Grat act. ad Grat. Imp.

nis quis captare voluisset præmium, ut vel unco in Tiberim confestim traheretur, vel raptaretur ad Gemonias, vel de rupe Tarpeja dejiceretur. *Italiæ* enim soli contigit, ut verissimis ac justissimis laudibus deprædicaretur, *Omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine Deûm electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque, Una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Quare mirari satis non possum, qui fiat, ut in hoc amplissimo consessu, inter tot diversissima regionum & nationum elogia, nemodum *Italiam* susceperit laudandum: nisi, quod quibusdam pretiosissimis gemmis interdum evenire solet, ut earum raritas omnem exuperet æstimationem, & admiratio, non numus constituat pretium; eodem forsitan consilio *Italia* hactenus transmissa sit silentio, quod magnitudine & felicitate sua ita excesserit aliarum provinciarum modum, ut merito omni comparatione & laudatione habeatur major. *Admiratio* quidem *quæ maxima est, non parit verba, sed silentium*: sed quia hoc in loco prorsus tacere, sit Italiæ gloriam negligere, & in vilioris notæ conditionem conjicere; non committam ego, ut in Illustri hoc Collegio illa provinciarum illustrissima, communi omnium collegarum meorum præteritione obscuretur, atque ex nostra sive culpa, sive incuria, suo antiquissimo & meri-

Plin. N. H. l. 3. cap. 5.

A. Gel. N. Attic. l. 5. c. 11

meritissimo primatus honore cadat. Dicam autem, inclyte Princeps, breviter, & in transcursu tantum. Namque uti sol, quando altus incedit, & nostrum Meridianum circulum attingit, minores jacit umbras; ubi vero devergit ad Horizontes, umbras spargit multo vastiores: sic *Italiæ* virtutes atque dotes, quæ longe supra aliarum nationum verticem, & veluti Zenith, conspiciuntur excelsæ, hoc minus sese diffundunt inani aliqua verborum ostentatione. Sed quid agam? An nihil, aut potius aliquid dicam de terræ bonis? Tanta in Italia cœli solique ad summam fertilitatem est consensio, tantaque inde omnium rerum est nobilitas, ut *quicquid est, quo carere vita non debeat, nusquam sit præstantius.* Plin. H. N. l. 37. c. 13. Ager undique est benignus, lætus, copiosus, ad segetes aliaque omnia proferenda supra modum adcommodus, magnique suis cultoribus quæstus, sumptus autem exigui; adeoque is omnium minime cum suo domino luctatur. Merula Cos. p. 2. l. 4. c. 4. Atque Plinius, cum plura tritici genera referret, *Italico*, ait, *nullum comparaverim candore ac pondere, quo maxime discernitur; montanis modo comparetur Italiæ agris externum; in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa.* Plin. H. N. l. 18. c. 7. Quod etiam omni ætate tam constanter creditum fuit; *ut jam ante mortem Alexandri Magni annis fere CLXV Sophocles Poeta, in fabula* Triptolemo, *frumentum Italicum ante cuncta laudaverit, ad verbum translata sententia,*

Et fortunatam Italiam frumento canere candido.

Quæ laus, addit Plinius, *peculiaris hodieq; Italico est.* Cumque insignis soli Italici ubertas innumeris pateat argumentis; hoc tamen est præclarissimum, quod Constantinus Palæologus dicere solitus est: *Nisi sciret, a sanctissimis viris affirmari, in Oriente Paradisum esse, suo judicio non alibi eum reperiri posse, quam in persuavi Patavina amœnitate.* Nonne vero etiam *Roscellanus* ager in Vmbria juxta lacum Velinum tam prodige ferax fuisse scribitur, ut auctore Varrone, Cæsar Vopiscus, cum caussam apud Censores ageret, *campos Roseæ* dixerit *Italiæ sumen; in quibus perticas pridie relictas gramen una nocte operiret?* quinetiam quantum per diem demtum esset, tantum per noctem cresceret: prorsus ad Virgilii de suæ Mantuæ pascuis canentis assertionem;

Bologna la grassa: Padova la passa.

de re R. l. 1. c. 7. Serv. in Virg.

2. Georg.

> *Et quantum longis carpent armenta diebus,*
> *Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.*

Nonne in summe fœcundis Interamnatium collibus campisque infernatibus, propter situm & aquarum dulcium abundantiam, proventus omne genus frugum est mirus ac plane dapsilis; præsertim raparum vastæ magnitudinis; quas vidisse se affirmat eruditissimus Pighius XXX librarum amplius pondo singulas, septenasque justo pondere sarcinarium asinum onerare potuisse? Quid? Plinius vidit rapa, XL libras excedentia: & testatur, Interamnatia prata, non rigua quoque, quotannis quatuor fœnisecia admittere. *Laudense* etiam solum quis non laudet? Hic enim tertium, quartum, & aliquando quintum fœnum seca-

in Herc. Prodic.

Hist. N. l. 18. c. 13. & 28.

ſecatur: pratis ad rem pecuariam tam opportunis, ut nulla Italiæ parte plus ſit caſeorum: quos Comes Joan. Franciſcus Somalienus IV inſigni forma confici & tanta mole figurari curabat, ut ſinguli *pondo D* complerent. Circa Lombardiæ metropolim tantus oryzæ creſcit numerus, ut fidem prope ſuperet, & quæ ubivis gentium merito in maximo eſt pretio. Nec minus Ticinenſis agri tanta paſſim ubertas amœnitaſque eſt, ut vulgo *Il giardino di Milano* audiat. Vt nec Pedemontium dotibus fertilitatis regioni cedit ulli. Ager *Barianus* in Apulia Peucetia, oleum, vinum, frumentum, amygdalam, goſſypium, aliosque fructus abundantia fundit incredibili. Et unus ille vallis *Onelia* ager in Liguria tanto gaudet olei proventu, ut quandoque duodeviginti, nonnunquam viginti millia urnarum, quas *Barilas* vocant, reddat. Sic tota illa ora, quæ ab D. Remi, atque etiam ulterius, ad Genuam uſque pertinet, tot tamque nobilibus arboribus itemque palmis ſummæ proceritatis & præſtantiæ ornata eſt, ut cum adſpectu, tum odoratu ſit perjucunda; hortis paſſim occurrentibus ad recreandas triſtes adflictaſque hominum mentes amœniſſimis. Et idem de mille poteſt dici locis. *Vitium vero principatus in tantum peculiaris Italiæ eſt, ut vel hoc uno omnia gentium viciſſe, quanquam odorifera, poſſit videri bona: quanquam ubique pubeſcentium odori nulla ſuavitas præfertur.* Cumque *octoginta fere in toto orbe genera vini nobilia* memoriæ prodiderit Plinius; duas ex eo numero

L. Schrader monum. Ital. lib. 4. p. 355.

Merul Coſ. p. 2. l. 4. c. 4

Plin. l. 14. in proœmi.

Plin. ibid: c. 11.

partes attribuit Italiæ, longe propterea ante cunctas terras. Et quis non audivit laudes *Græci*, (quod Neapolis ora, & oræ superincumbens Vesuvius profert.) *Setini* (quod Divus Augustus prætulit omnibus, & fere secuti Principes) *Cæcubi*, *Falerni*, *Albani*, *Surrentini*, *Maßici*, *Statani*, *Caleni*, *Fundani*, *Veliternini*, *Privernatis*, *Signini*, *Prætutii*, *Anconitani*, *Palmeßi*, *Valtelinii*, *Rhetici* (nascitur id in agro Veronensi: atque est saporis regii optimique, & quod Theodoricus Ostro-Gothorum Rex Athesi, & Hadriatico mari, ac deinde jumentis Romam usque sibi adferri curavit) *Ligustici* item, *Tabiani*, & aliorum? Ad Papiam autem sive Ticinum vina mire fragrantia nascuntur; quæ pulcherrime splendent in poculis, saliuntque, & vel invitos ad potum alliciunt, epotaque hærent stomacho, & leniter permeant, foventque naturæ vires, & pituitam extenuant: nullos illa capiti vapores, aut ori ructus, nullum ventri tumorem, aut vesicæ impressionem faciunt; sed cibo sese commiscentia facile conquiescunt, absterguntque mordaces curas humanis mentibus infestas, ac mollia indurunt somnia ægris aptissima. Hoc gustato vino, *Boetium Severinum* Romanum patricium carceri inclusum, ac seminecem, resipuisse ajunt, succlamasseque; *Ob felicia hujus regionis vina, quæ labantem mærore animum curisque depressum modico haustu erigunt, firmantque nutantem!* Atque his dictis, ad scribendum de *Consolatione* librum, viribus instauratis, conversus est. Et quis ita ambiget,

Plin. ibid. c. 6.

Merula d.l. ex blondo & Cassiod.

B. Saccus. Ticin. H. l. 5. c. 6.

biget, ab vino optimo *Oenotriæ* natam fuisse appellationem? Quamvis & *Italiæ* nomen, novum laudum contineat argumentum. Siquidem Timæus in Historiis, quas oratione Greça de rebus populi Romani composuit, & M. Varro in Antiquitatibus rerum humanarum, terram Italiam de Græco vocabulo nominatam scripserunt: *quoniam boves Græca vetere lingua ἰταλοὶ vocitati sunt, quorum in Italia magna copia fuerit, butetaque in ea terra gigni pascique solita sint complurima.* Nec armentosissima tantum Italia; (Lucania tamen ut a *bobus* & *tauris* celeberrima; ita Neapolitano regno a generosissimis *equis* undiquaque nobilissimo) verum etiam aliis pecoribus semper fuit fortunatissima; *ovium* præcipue gregibus summam commendationem promeritis. Namque est

ita Servius existimat.

A.Gel noct. Att.l.31.c.1.

Velleribus primis Appulia, Parma secundis,
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Marttialis.

Ita quoque *piscium*, *volucrum*, & quicquid animalium venatio, piscatio, & aucupium desiderant, in Italia passim beata & præsens est copia. Et quid de *metallis*, lapidibus, aliisque muneribus dicam? *Italia metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris. sed interdictum id vetere consulto Patrum, Italiæ parci jubentium.* In Foro Iulio Hydra fluvius est, & haud procul inde argenti vivi fodina. In agro Volaterrano nonnullis locis terra est lutea, similis auri pigmento, fœtidissima: quamobrem incolæ regionis, quam possunt studiose, iter hac vitant; cum illa odorem exhalet tam gravem, ut supervolantes aves statim

Pl.l.3. c. 20. & l. 33. c. 4.

Merul.Cos. p.2.l4. c. 4.

concidant mortuæ. Magna quoque *aluminis* copia ante aliquot annos reperta eſt apud Etruſcos in territorio Maſſæ; uti & in Campania ſelice cuniculi ſunt, ex quibus effoditur ſulfur; atque ibidem convallis eſt, ubi alumen coquitur. Adeoque alumine dives eſt Italia; ut *ex una tantum Gallia, ſingulis annis*, illius mercis nomine, *ſupra decies centena aureorum millia* rotundet. Et quod commode, nec præter rem hic enarrari poteſt: *Bartholomæus Perdix*, Genuenſis negotiator, Neapolim petens, cum avorum ætate Ænariam prætervehentur, & animadverteret, ex incendio, quod annis circiter centum ac ſexaginta tribus ante, ruptis repente terræ viſceribus inſulam graviter adflixerat, quædam aluminoſa ſaxa ſcopulorum inſtar in litus provoluta eſſe; ea Perdix fornacibus poſtea excoxit, & in alumen diſſolvit, fuditque: revocata arte ea, e Roccho Syriæ, ubi ipſe plures annos mercaturam fecerat, ab ſe allata; quæ multis antea ſeculis in Italia jacuerat. Viſuntur etiam multis in locis *officinæ ſalariæ*: atque apud Brutios mille paſſibus ab Altomontio (ubi colligitur *Manna*, noctu rorans, præſertim cum imbres diurnos liquidum purumque cœlum noctis excipit) fodinæ ſunt, in intima montis viſcera excavatæ; longitudine quædam quingentorum, quædam mille paſſuum, aut amplius; unde ſalem effodiunt. Quanti vero ſunt pretii, *lapis Tiburtinus*, *Gabinus*, *Albanus*, *marmor Iſtricum*, & *Lunenſe*? Columnæ etiamnum ad montes Lunæ peringentes, aliaque marmo-

Bod. in reſp. ad Maleſtr.

J. Jov. Pontan. H. l. 6.

Merul. Coſ. p. 2. l. 4. c. 4.

morum frusta cernuntur; quæ florentibus rei Romanæ temporibus excisa, dein autem, ea labente, derelicta nemo exportavit. Et hodie ex his locis marmora Pisas, Genuam, Florentiam, Romam, Bononiam, & in Galliam ulteriorem deferuntur; non tamen ea magnitudine & copia, ut quondam Romam solebant. Pulchre & vere Facius Vbertus:

Leand. Al. in descrip. Hetr. Med.

E vedemmo Carrara: ove la gente
trova il candido marmo in tanta copia,
che assai n' haurebbe tutto l' Oriente.

Cant. 6. l. 3.

Lescalia porro Volaterranensis agri vicus, *alabastro* abundat: ex quo ingeniosissimus quidam artifex Neapolitanus olim fecerat organa pnevmatica, Leoni X Pont. Max. muneri destinata; quo fatis intercepto priusquam illa perficerentur, Friderico Gonzagæ, primo Mantuæ Duci, donata fuêre. Opus profecto, quod inter rara mirabiliaq; merito debeat recenseri. Totæ enim fistulæ moduli que sunt ex alabastro. Prætereo hic *coralium*, *crystallum*, *chalcitem*, *porphyritem*, *ophitem*, *achatem*, *chalcedonium*, *gemmam Vejentanam*, *lazurium*, *vitriolum*, *coccum* tingendæ purpuræ, & innumeros atque inæstimabiles alios terræ Italiæ thesauros. Non igitur refragari possum Polybio, prudentissimo Historicorum, *Galliam Cisalpinam*, sive *Gallicam Italiam* tot invidendis & summis encomiis exornanti; illam nimirum planitiem, universo ambitu millia passuum CIↃ CCL fere colligentem, omnium totius Europæ longe præstantissimam, rebus universis sic ex-

Leand. d. l.

Hist. lib. 2.

La Lombardia è il giardino del mõdo.

cellere, ut ne dici quidem satis possit. Minus autem omnibus aliis, *Campaniam felicem* dilaudantibus, obstrepam; cum illa omnes Italiæ partes multis superet partibus; & in eam natura luxurians prodegisse videatur largissimo sinu, quicquid uspiam est deliciarum, amœnitatum, gaudiorum, & oblectationum. *Omnium non modo Italia*, inquit Florus, *sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo. Nihil uberius solo: bis floribus vernat: ideo Liberi, Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus & Avernus, quædam maris ostia: hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius, Aetnæi ignis imitator.* Inque hac nobilissima Campania tribus cujusque anni temporibus, vere, æstate, autumno, fructus legi, oculatus & omni exceptione major testis adfirmat Dionysius Halicarnassæus. Præ illa felicitate vilescunt Alcinoi Regis pomaria, in quibus ver quotannis non renovatur, sed jugi perflante Favonio

& pyra adulta pyris succedunt, malaque malis:

sordescit quoque Eresus, feracissima Lesbi civitas, Theophrasti patria; licet cives ipsius Eresios, simulachrum Cereris Ἑρμόχου Delphico Apollini consecrasse Athenæus fabuletur; eo quod ager Eresius præcipuæ bonitatis, candidissimumque frumentum produceret, cujus pollinem Mercurius ad Deos, si quando pane vesci voluerint, subvehere fingebatur. Certe nulla

pars

Merul. Cos. p. 2. l. 4. c. 25. I. H. a Pflaumerm. in Merc. Ital.

Lib. I.

Salmuth. in Panciroli. N. Repert. tit. 9. de Camp.

pars Italiæ provinciarumque Imperii Romani visa fuit accommodatior ad earum spolia dilapidanda, vel ad opes orbis terrarum consumendas, quam ille Campanus ager, a *Capua* (quæ urbs quondam inter tres maximas, *Romam*, *Karthaginemq;* numerata, sæpius erat Romanis subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonæ) Neapolim, ulteriusque protensus, atque inde per litus usque Cumas recurrens. Inprimis tamen placuerat *Neapolis* ante omnia alia loca, quæ Romanis atque aliis, vel studiorum, vel otii, vel voluptatis & deliciarum, atque etiam sanitatis jucundissimus esset secessus. Atque ita isthic

Pighius in Herc. Prodicio.

Flor. d. l.

——*exemptum curis gravioribus ævum*

egerunt P. Virgilius, qui Georgicorum libros ibidem composuit; T. Livius, Horatius Flaccus, Papinius Statius, Claud. Claudianus, Annæus Seneca, Agellius, Franc. Petrarcha Regi Neapolitano Roberto amicissimus; Ant. Beccadellus Bononiensis, cognomine Panormitanus, orator; Laur. Valla Romanus, Porcellius Romanus poeta, Blondus Foroliviensis, Barth. Facius Sulmonensis; & alii innumerabiles. Nec minus hac ætate Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, summatesque viri totius regni Neapolitani, majorem anni partem hic exigunt: ut credam, paucas in orbe reperiri civitates, ubi par Nobilium & illustrium hominum conveniat numerus. Verum quid multis verbis opus est? Quis enim unquam de felicitate dubita-

bitavit Italiæ? Quis nostrûm visundæ illius desiderio non stimulatur? Quam fervent passim itinera Italiæ hinc inde commeantibus Germanis, Polonis, Gallis, & cæteris Europæis? Quam vero sit mihi jam volupe, non tantum ea quæ dixi, sed & quæ prætermisi infinita, censere oculis; & simul insignes illos urbium titulos coram dijudicare posse, quos Itali sua lingua in hunc modum efferunt? *Fama tra noi*: Roma *pomposa & santa*: Venetia *riccha, saggia, & signorile*: Napoli *odorifera, & gentile*: Fiorenza *bella, tutto il volgo canta*: *Grande* Milano *in Italia si vanta*: Bologna *grassa*: & Ferrara *civile*: Padoua *forte*: & Bergamo *sottile*: Genoua *di superbia altiera pianta*: Verona *degna*: & Perugia *sanguigna*: Brescia *l'armata*: & Mantoa *gloriosa*: Rimini *buona*: & Pistoja *ferrigna*: Siena *de bel podere*: Lucca *industriosa*: Furli *bizarro*: & Ravenna *benigna*: & Singallia *del'aria noiosa*: & Capoua *amorosa*: Pisa *frendente*: & Pesaro *giardino*: Ancona *del bel porto pellegrino*: *fedelissimo* Vrbino: Ascoli *tondo*: & *longo* Recanate: Foligno *delle strade inzuccarate, & par da cielo mandate*: *le belle donne de* Fano, *si dice*: *Ma* Siena *poi tra l' altre piu felice.* Equidem nunquam animo in beatissimum illum Europæ paradisum excurro, (quod tamen creberrime facio) quin statim illos aureos *Virgilii* versus in laudem Italiæ scriptos, memoria repetam; semper tamen cum aliquo auctario amoris ad priorem observantiam, qua & divinum

Merul. Cos. p. 2. l. 4. c. 4. L. Schrad. 9 Monũ. Ital. l. 4. p. 410.

num Poëtam, & optimam maximam terrarum, antea eram complexus.

Sed neque(ait Maro)*Medorum sylva, ditissima terra,* Georgl. l. 2.
nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertêre, satis immanis dentibus Hydri
nec galeis, densisque virûm seges horruit hastis:
sed gravidæ fruges, & Bacchi Maßicus humor
implevêre, tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo se se arduus infert:
hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa Deûm duxêre triumfos.
Hic ver aßiduum, atque alienis mensibus æstas:
bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tygres absunt, & sæva leonum
semina; nec miseros fallunt aconita legentes:
nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
squammeus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem:
tot congesta manu præruptis oppida saxis.
fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem? quodq; alluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxime? teq;
fluctibus & fremitu aßurgens, Benace, marino?
An memorem portus? Lucrinoque addita claustra?
atque indignatum magnis stridoribus æquor?
Iulia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusq; fretis immittitur æstus Avernis?

Hæc

Hæc eadem argenti rivos, ærisq; metalla,
Hæc genus acre virûm Marsos, pubemq; Sabellam,
assuetumq; malo Ligurem, Volscosq; verutos
extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæsar.

Quapropter ex Bassis illis, qui Sultanum Turcarum Muratem III ad bellum gerendum incitabant, prudentiores Italiam præ aliis terris omnibus petendam esse potentibus argumentis suaserunt; non solum, quod ad orbis terrarum monarchiam, quam Turcæ semper sibi tanquam scopum suarum actionum propositam habuerunt, nunquam illi perventuri essent, nisi prius Italiam in potestatem redegerint; cùm ea, veluti centrum universi orbis, consilia reliquis membris & auxilia suppeditare soleat, quibus occultæ & tyrannicæ aliorum ad idem humanæ ambitionis fastigium grassantium machinationes impediantur: verum etiam, quod nulla alia tam honesta, tam fructuosa, tamq; gloriosa expeditio suscipi possit; quia scilicet Italia Princeps sit & propter situs opportunitatem, aeris temperiem, omnium rerum ad victum humanum necessariarum abundantiam, amplissimas & ditissimas urbes, & propter sedem primariam Ecclesiæ Christianæ, atque antiquam Imperii Romani majestatem. Quantum autem, honoratissime Princeps, universas terras antecedit Italia; tantum ITALI omnes alias gentes ac populos omnium prærogativarum excellentia ac multiplicibus virtutum miraculis vincunt. Et uti fieri solet, quando exteri *suburbanas*

J. Soriz in Ottõ. c. 57.

banas villas Neapolitanas, aut *Marmirolanam* Ducis Mantuani, aut *Pratelinum* Florentini, aut *Belvederium* Vaticanum Papæ, aut *hortos Tiburtinos* Hippolyti Ateſtini Cardinalis Ferrarienſis, diligenter perluſtrant; ut, dum porticus, ambulacra, labyrinthos, ſcenas frondibus concameratas, florum fructuumque variis coloribus diſtinctas; parietes malorum punicorum tapetis veſtitos; periſtylia & exedras picturis, ſignis, ſtatuis, & marmorum antiquitatumque reliquiis pretioſis decoratas; fontium ædiculas, antra nympharum, atque piſcinas coraliis & unionum oſtreis omnique conchyliorum raritate mirifice renitentes; dumque alia innumera cupidiſſimis animis & oculis intuentur; interdum, & quidem ſubito, aquarum per multas ſyringas & ſecretas fiſtulas undique prorumpentium copia ſuaviter irrigentur non opinantes: ſic fere mihi accidit nunc idem; ut, dum in quaſcunque Italorum laudes mentis aciem defigo, & eaſdem eloqui hic conor, derepente ex omnibus partibus imber Italicarum virtutum in me depluat copioſiſſimus. Quanquam hoc mihi non omnino evenit inſperatum. Nam cum natura illa ſit optima, quæ inter nimium & parum eſt media, atque in aurea ingeniorum ac corporum mediocritate conſiſtit: de Italis profecto, qui non modo inter Æquatorem & Septentriones, verum etiam inter Occaſum & Orientem fere medii interjacent, ac modice ab Aquilone ad Meridiem deflexi, nil niſi ſumma & maxima ſperari, cogitari, & dici poſſunt.

Divi-

Divina Italorum indoles, & incomparabilis ingeniorum vis in universum patescit rebus in omnibus. Nihil tam arduum sedulitati humanæ, ad quod Italici acuminis præstantia non tollatur. Etenim, ut ordiar ab infima ingeniosorum & industriorum hominum tribu; quam puto esse *opificum*; abunde apud Italos invenient statuarii, pictores, textores, architecti, & reliqui artifices manuarii nostrates, quod discant, quod imitentur, & quod nec discere, nec imitari, sed tantum admirari queant. Atque, ut *Antonellum Mamertinum*, quem primum imbutis oleo coloribus pinxisse memorant, nominem tantummodo; nominem etiam *Iacobum Trecciam* Mediolanensem; qui (antiquis luxuriæ magistris, cum nullum non pretiosi lapidis genus scalpro cælove subegissent, soli adamanti ob indomitam, uti credebatur, duritiem parcentibus) primus reperit, quomodo invictam gemmam ad obsequium redigeret, gentilitiis Philippi Hispaniarum Regis insignibus Adamanti summa arte insculptis: Sive, ut alios summos & perfectos magistros hic ne nominem quidem: non omittendus tamen hoc loco est vir bove quidem capitosior, *Bernardinus Carovagius*, oculis emissitiis, ore exporrecto, linguaque blæsus, sed qui horologicam artem Papiæ discens, mirabilia faciebat; inter quæ illud fuerat memorabile, quod, ut Andreæ Alciato JCto morem gereret, horologium fabrefecerit, in quo per æris sonitum, quam quisque statuisset horam, exaudiebat; atque eodem ictu ignis scintilla ab inserto si-

I.H. a Pflaū. in Venet. p. 43.

Abr. Gorlæus in preloq. Dactylothecæ.

B. Saccus Tic. H. l. 7. & 17.

to si-

to silice in subjectum sulphur excussa in flammam ibat; quæ repente ardentis sulphuris ministerio ac continuatione accendebat appositæ lucernæ fila, lucemque reddebat: ita, ut composito horologio ad quam dominus destinasset noctis horam, & a somno excitari, & lumine juvari solius horologii ope unusquisque accubans posset. At vero minime omnium prætermittendus sit *Michael Angelus Bonarota* Florentinus, qui ante hos sexaginta annos Romæ decessit, cum ætatis annum XC^mum ageret; atque adeo post priscos Græcos picturæ, statuariæ, & architecturæ fuit summus artifex; cujus nomine ut passim orbis personat; sic plerisque locis, sed Romæ & Florentiæ præcipue, stupendi operis monumenta ejus visuntur. Huic initio cum *Raphaele Vrbinate* pictore famosissimo æmulatio erat, sed mortuo in ætatis flore Raphaele, Michael, qui ad majora adspirabat, longævæ ætatis beneficio facile principatum in pulcherrimis illis artibus adeptus est, & ad mortem usque tenuit; plerisque suæ industriæ admiratoribus, raris æmulis, aut imitatoribus relictis. Huic etiam Cosmus Medices, Florentiæ Princeps, qui summe his artibus delectabatur, tantum honorem habuit, ut ejus corpus Roma Florentiam transferri curaverit, ut in patria sepeliretur: idque maxima pompa peractum; deducentibus funus XXC consummatissimis artificibus ad B. Laurentii ædem: ubi a Benedicto Varchio publice laudatus, & conditus est. Angelo tamen secundum, & forsitan parem adde-

A.Ch. 1564. Th. H. l. 36. Io. B. Hadrian. Hist. lib. 10.

re

Th. H. l. 59. re possem *Georgium Vasarium*, qui Arretii in Etruria natus, eidem Cosmo nobilitatem sui ingenii simulque picturæ & architecturæ præstantiam editis passim insignibus ad stupendum omnium spectaculum monumentis, cumulatissime probavit; vivis A. Ch. 1574. exemptus anno suo climacterico Florentiæ, ubi degebat, & exinde, sicut testamento caverat, Arretium in patriam translatus: quo loco in principali secundum sedem Episcopalem templo in sacello ab ipso juxta sumptuoso & admirando artificio extructo sepultus est. Quid si vero & hic addam *Dominicum Fontanam* Novocomensem: virum, in quo equidem architecturæ peritia summa fuit, si unquam in ullo fuit? Romæ enim præsens coram *Vaticanum obeliscum* mihi jam videre videor; sicuti nunquam non animo inerrat meo θέαμα illud μάλιστα θαυμαστόν. Constat immanis ista moles uno & solido marmore Pyrrhopœcilo in Thebaide Aegypti, juxta Syenem olim exciso, dein a Cajo & Nerone Cæsaribus Romam advecto, & Augusto Tiberioque, quod inscriptio docet, dedicato. Hunc lapidem, loco obscuro ac sordido ruinis pene obrutum, cum Sixtus V. PP. eruere atque transferre statuisset; ad rei famam e diversis non solum Italiæ, sed vicinis Europæ partibus, artificibus plus Iↄ concurrentibus, posteaquam quisque rationem operis conficiendi vel voce vel scripto, alii etiam machina fabricata proposuissent, ea optima reperta est, quæ a Fontana adducta fuit: cujus etiam industriæ Pontifex totam

Vide Th. H. l. 84. A. Cicarell. in vita Sixti V. H. Ferrut. in Suppl. ad libros Marliani. I. H. a Pflaum. in Rda. p. 210. & seqq.

tam

tam rei exequendæ curam commisit. Ad opus perficiendum initio quinquæ ballistæ, & quadraginta ergatæ constructæ sunt, quæ, ut annotavit Hieronymus Ferrutius, ab *octingentis viris & centum sexaginta validis equis* in orbem versabantur & regebantur. Apparatu omni ex sententia disposito, tunc pridie Kal. Majas levando lapidi principium factum est: tandemque levatus, demissus, translatus, ac rursus loco designato erectus est IIII Eid. VII[br]. biduoque post S. Cruci consecratus. In ipso laborum veluti æstu tam gravi fragore inter vertendum cochlearum excitabatur strepitus, stridorque rudentum tantus, ut terræmotui aut tonitrui simile quippiam videretur; humanisque vocibus ægerrime auditis, campana, manibus, & pileis, ad consistendum dari signum necesse esset. Pensitatus est lapis a Fontana 956148 libris, isque altitudinem habet cum stylobata, eoque intervallo, quod a solo ad basin, & quod a lapide ad stylobatam mediis leonibus æreis interjacet, cumque cruce lapidi superimposita, *palmos centum octoginta & quadrantem.* atque expensa sunt in totum translationis & erectionis opus *triginta septem millia aureorum, nongenti insuper & sexaginta quinque*; in ea summa non comprehenso ære fuso, ex quo crux & leones sunt conflati, quod a Camera Pontificia suppeditatum est. Sed quemadmodum olim *Benedictus Biscopius*, Britannus monachus, qui A. C. 703. obiit septuagenarius, quinquies Romam venerat, & inde vitriarios,

A. Ch. 1586.

Zvving. M. Apodem. l. l. c. 1.

Zz picto-

pictores, & architectos secum in patriam advexerat primus: ita reliqua Europa omnis, nobiliorum illarum artium rudior, pictoriam, statuariam, & architecturam hodie e Roma, Neapoli, Venetiis, Florentia, textoriam e Genua & Luca, (imo etiam Florentia textrinis nobilis est, nec minus quam Belgium: & aliquando panni, quos *Rascie* vocant, uno tantum anno ibi confecti, *duorum auri millionum* æstimantur) vitriariam e Murano; omnium autem opificiorum artificium ex uno Mediolano (vulgatum enim proverbium est; *Mediolanum destruendo, Italiam quorumvis artificum copia instrui posse*) tanquam ex celeberrimis quibusdam scholis & Academiis, cum magno Reipub. emolumento petere jam posset. Atqui facilius fere fuerit transtulisse *Vaticanum obeliscum Dominico Fontana* & erectum statuisse: quam mihi nunc sit ingeniosissima Italorum opificum & artificum opera hoc loco denarrare. Etenim singulis in rebus ejusmodi materies est, ut dies singulos consumere possim. Vna *pyxidecula nautica*, sive *acus* vel *acicula marina*, qua debeat explicari oratione? Quis affirmare ausit, usu *magnetis*, quo in tota rerum natura nihil est admirabilius, quicquam divinius excogitari & inveniri potuisse? Vniversus nautarum, quantus quantus est populus, si una voce loqueretur, hoc diceret: Olim in navigatione Cynosuram spectabam, itemque alias stellas

———*clavumque affixus & hærens*
nusquam amittebam;

Thes. Polit. p.1. dell'Ietr.

G dice; *che chi volesse rassettare Italia, si roina Milano.*

Pancirolus in Nov. Repert. tit. 11. & ibi Salmuth.

Virg. 5. Æn.

obscu-

obſcuro autem cœlo ignorabam, ubi verſarer, eramque quaſi deperditus

——*errans pelago, totidem ſine ſidere noctes:* Virg.3.Æn.

at poſtquam immortalis ille *Ioannes Goia* civis Amalphitanus ante annos trecentos mirificam magnetis virtutem mihi monſtravit, vaſculique tam parvi virgulæque, imo acus modicæ ductu rectum curſum tenere docuit; ex eo tempore, quæcunque ſit cœli facies, etiam in profundiſſimis tenebris, acutiſſime cerno, & intrepide omnia maria ſulco, omnemque aquarum vaſtitatem feliciter emetior: tanto inventoris totiuſque Italiæ beneficio; ut cunctæ terrarum gentes, quæ fructus inde percipiunt quotidie uberrimos, illud pro dignitate minime æſtimare, quoniam indies evadit ſe ipſo majus, nedum gratiarum referendarum modum reperire poſſint.

Cardanus l. 17. de artib. Ket. eimã. in Comm. Naut. prob. l. 7.

Verum enimvero acumen Italorum in *Literarum* etiam *ſtudiis* longe tranſcendit aliorum hominum conditionem: & illi etiamnum ſcientiarum dictaturam gerere videntur. Inter priſcos occurrunt *Thurii*: quorum legiſlator, magnus ille *Charondas*, inter alia ſcivit, τῶν πολιτῶν τοὺς υἱεῖς ἅπαντας μανθάνειν τὰ γράμματα: *civium omnes filios diſcere literas*: & quia videbat fore, ut pauperes inopia fortaſſe non poſſent; amplius ſtatuit, ut e publico civitatis ærario honoraria præceptoribus ſolverentur. Ocurrit *Heraclea*, *Metapontus*, & *Croto*; ubi *Pythagoras* etiam ille cœtus habuit juvenum, æmulantium ſtudia doctrinæ: & in Italia interiore *Faliſci*; quorum ſchola

Lipſ. in Lovan. l. 3. c. 7. Diod. l. 12.

Livius. l. 5.

la magistri perfidia, & generoso Camilli facto nota. Nec longe *Gabii*: quo, ut ad publicum ludum, ablegatos Romulum & Remum Dionysius ac Plutarchus scribunt, ibique institutos Græcanicis literis, item Musica & tractatione armorum. Quid *Tusculi*? Livius aperte; in Dictatoris Romani ingressu, ludos literarum strepuisse discentium vocibus. Jam illæ nostræ Occidentis Athenæ, ipsa ROMA, postquam literas accepit, (accepit autem paulo post Punicum primum bellum) statim una cum imperio diffudit & sparsit in has omnes terras. DEUS bone! quæ postea ingeniorum felicitas extitit? Quæ scientiarum opes & incredibiles gazæ hinc redundaverunt in Italiam & orbem universum? Quanta industria, fide & studio, in hac summa republica, in ipsa sapientiæ literarumque tutela versati sunt, illi novi humanitatis atque doctrinæ instauratores? Q. *Ennius* Rudinus, M. Accius *Plautus*, T. *Lucretius* Carus, Q. *Catullus*, Q. *Horatius* Flaccus, Sex. Aurelius *Propertius*, P. *Ovidius* Naso, A. *Persius* Flaccus, P. Papinius *Statius*, C. Valerius *Flaccus*, D. Junius *Iuvenalis*; & quem omnis ætas habebit exemplar absolutissimum, P. *Virgilius* Maro; nonne condiderunt nobis *Poeticam*? M. *Porcius Cato* Censorinus, Q. Claudius *Quadrigarius*, Marcus *Varro*, (*quo nemo unquam doctior ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit; & qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse mirandum sit: tam multa scripsit, quam vix quisquam legere potuerit*) C. *Sallustius* Crispus (pri-

Lactant. de F. R. l 1. c. 6.

Aug. de Civ. Dei. l 6. c. 2.

(*primus Romana Crispus in historia,*) Martialis.
Cornelius *Nepos*, Pompejus *Trogus*, T. *Livius*, (cujus ossa An. Chr. cIↄ cccc xiii. Patavii in plumbea capsula ad D. Justinæ fuerunt reperta, & insigni pompa succollantibus viris nobilissimis in foro Judiciorum ad Occidentalem parietem reposita, cum effigie ejusdem ænea & inscriptione: brachium Alfonso Aragonio muneri datum) C. *Iulius Cæsar*, C. Vellejus *Paterculus*, C. Cornelius *Tacitus*, Valerius *Maximus*, C. *Suetonius* Tranquillus, *Plinius* Comensis, naturæ bibliothecarius, & qui longo ordine sequuntur alii; nonne rationem scribendæ Historiæ nos accuratissime docüerunt? *Architas*, *Aristoxenus*, *Nicomachus*, *Luritus*, Tarentini; *Alcmæon*, *Philolausq;*, Crotoniatæ; *Hippasius* Metapontinus, *M. Vitruvius* Veronensis, & compares alii; nonne mysteria *Philosophiæ* nobis aperuerunt? *Sextus Papirius*, *P. Sempronius*, & cæteri cœlestes viri, quos auctor. *l. 2. D. de Orig. Iur.* commemorat; *Papinianus* item, *Paullus*, *Vlpianus*, & reliqui Pandectarum (*Pandectarum* autem & *Codicis* libro nullum præstantiorem in orbe terrarum post sacra Biblia existere, putat nostras Giphanius) germani patres: nonne in sacrarium genuinæ *Prudentiæ*, & in *Iustitiæ* adyta nos deduxerunt? Et quid dicam de illis *Eloquentiæ* heroibus, *M. Cornelio Cethego*, *Appio Cæco*, Q. *Metello*, C. *Lælio*, P. *Africano*, Ser. *Galba*, M. *Æmilio Lepido*, C. *Gracchho*, Q. *Catulo*, *Antonio*, *Crasso*, M. *Herennio*, C. *Titio*; & omnium oratorum co-

Merul. Cos. p. 2. l. 4. c. 36.

Zvving. M. Apod. l. 3. c. 9.

Cic. in Brut.

ryphæo *Cicerone* ? Nemo enim est alicujus in Eloquentia laudis ac spei, quin Cicero esse longe malit ; si cum eo se remota invidia velit conferre. Quippe omnes fandi virtutes etiam diversæ in illo viro congruunt. Quamcunque orationem struxerat Cicero, ita illa erat undique perfecte absoluta, ut in ea neque Cato gravitatem, neque Lælius lenitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæsar calorem, nec Hortensius distributionem, nec Calvus argutias, nec parsimoniam Sallustius, nec opulentiam Avitus requirere potuisset : prorsus in qua, ne omnia persequar, quis neque additum quicquam, neque detractum, neque autem aliquid commutatum voluisset. Et quæ fuit eloquentiæ Ciceronianæ potentia ? quæ contra Catilinam vis ? quæ pro salute Reipublicæ & Populi Romani virtus ? Romulus mœnium Romæ conditor non tantam urbem fecit, quantam Cicero servavit. Metellus in Vestæ æde extinxit incendium ; Cicero Romæ. Glorietur itaque Hannibale Scipio, Pyrrho Fabricius, Antiocho alter Scipio, Perse Paulus, Spartaco Crassus, Sertorio & Mithridate Pompejus : nemo hostis Catilinæ propius accessit. Magnus, & supra humanæ sortis habitum oportet sit, cui liceat Suadam Tullianam adæquare : & in illius viri laudes exsequendas Cicerone laudatore opus fuerit. Verum cuncti illi scientiarum patres, quos dixi, indocto atque rudi terrarum orbi fuerunt politioris literaturæ magistri, exactæ eruditionis antistites, & omnium doctrinarum antecessores. Et

Senec. l. 7. Contrav. 2.

sicu-

ſicuti olim a *Miliario* Vrbis, quæ erat in capite fori Romani columna aurea, omnes Italiæ viæ initium & finem capiebant: ita ab illis aureis doctoribus omnes propemodum nationes literarum ſtudia, adeoque itinera ad ſapientiam hodie ordiuntur. Poſt perfectam illam meliorum literarum ætatem ſecuta ſunt multorum ſeculorum tempora, quibus irruentibus undique barbaris, una cum Republica etiam res literarum quotidie in deterius data eſt; & ad ſummum perducta gloria fere ad infimum rurſus, & quidem velocius, quam aſcenderat, relapſa eſt. In ea tamen fugientium Muſarum calamitate, & in mediis tenebris, nunquam non inventi ſunt Itali, qui ſalutarem facem præferre aliquam conarentur, & barbariem ſi totam diſpellere nequirent, ſaltem oppugnarent. Propterea laudabilis merito eſt opera *Vrbani IV* PP, qui *Thomam Aquinatem*, Alberti magni diſcipulum, genere quidem illuſtrem virum, quippe a Comitibus Apuliæ ortum, ſed qui poſtea doctrinæ magnitudine & illuſtriſſimis ſcriptis omnem imaginum & majorum gloriam obſcuravit, inſtaurandæ ornandæque Romanæ veteri Academiæ evocaverat: & *Clementis V*, qui in Concilio Viennenſi decreverat, ut Romæ, & ubicunque Romanam Curiam reſidere contingeret, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ linguæ Profeſſores haberentur: & *Nicolai V*, qui per univerſam fere Europam miſerat viros in omni artium genere excelſos, qui veterum libros conquirerent; promiſſis *quinque ducatorum milli-*

Pancirol de XIV. reg.

Platina in Vrbano.4.

Merul. Coſ P.2.l.4.c.22

Platina. in Nic. 5.

bus ei, qui Hebraicum D. Matthæi Apostoli Evangelium adferret: nec non *Cosmi Medicis* sapientis, & *Laurentii* magni, nepotis; quo utroque duce Homerus in Italiam, atque *Marsilius Ficinus*, *Io. Argyropylus*, *Demetrius Chalcondiles*, *Angelus Politianus*, aliique doctissimi viri, Florentiam venerunt. Nec in parva laude pono labores *Azonis*, Bononiensis; qui, cum primus plerasque Digestorum leges justis commentariis, ex quibus Accursius in suas glossulas plurima transtulit, interpretatus esset, *fons legum*, *vas electionis*, *lucerna juris*, postea appellari meruit; meliori utique vitæ clausula dignus. Is enim, uti etiamnum Bononiæ durat fama, cum in disputatione ab antisophista quodam suo provocatus cultro eum appetiisset, in carcerem pertractus & capitalis criminis damnatus dicitur: cumque exclamaret, *Ad bestias*, *Ad bestias*, (nempe hujus principii legem ex Pandectis adducens, qua propter artis excellentiam relaxari sontibus, & novissima meritis, pœnam allegabat) judices se ab eo tanquam *belluas* insimulari credentes, iccircoque irati non destiterunt, donec summo supplicio afficeretur. Nec Azonis tantum, sed etiam dilaudo lucubrationes *Dantis Aligerii*, *Franc. Petrarchæ*, *Io. Boccatii*, (qui Florentini triumviri in Italica lingua sine dubio principes sunt) *Gratiani* Decreti collectoris, Sancti *Bonaventuræ* (quem Sixtus V *Ecclesiæ Doctorem* pronuntiavit, & Beatis *Hieronymo*, *Augustino*, *Ambrosio*, *Gregorio* PP. *quintum* adjunxit) *Cyni*, *Accursii*, *Dyni*, *Socinorum*, *Bartoli*,

Alciat. Parerg. l. 10. c. 25.

l 31. ff. de pœnis.

Th.H.l. 100.

li, & qui Bartoli Præceptor fuerat *Rainerii*, *Iac. Alvarotti*, *Raph. Fulgosi*, *Ioannis de Bononia Archidoctoris Decretorum* dicti, *Ioannis de S. Georgio*, *And. Barbatiæ I. V. Monarchæ* appellati, *Baldi*, *Pauli Castrensis*, *Paridis a Puteo*, *Odofredi & Gofredi*, *And. ab Isernia*, *Gul. Durandi*, *Alberici Rosatis*, *Marsilii Mainardini*, qui *Defensorem Pacis* scripsit, *Ant. de Rosellis*, *Blondi Flavii*, *Ioan. Ioviani Pontani*, *Ioan. Pici Mirandulæ*, (qui merito cognomine *Phoenix* appellatus est) *Antonini* Archiepiscopi Florentini, *Æneæ Silvii*, qui postea Papa *Pius II* fuit; *Hieron. Savanorolæ*, *Felini Sandei*, *Io. Nevizani*, *Iasonis Maini*, *Phil. Decii*, *Car. Ruini (il quale lungo tempo lesse in Bologna col stipendio di 1200 ducati d'oro)* & talium: licet quidam ex illis triariis non raro satis inscitis & impolitis armis (cur enim hoc dissimulem?) fuerint usi. Posteaquam autem *Leo X*, reparandis literis natus Pontifex, eruditos viros meritis suis æstimare, Laurentii patris exemplo provehere, & liberalissime exornare cœpit; ab illo tempore in omnibus disciplinis & scientiis Respublica literaria tantis auctibus excrevit, tantoque bonorum splendore illuxit; ut credi possit, nullos barbaros unquam in Italia pedem intulisse, aut priscos illos doctrinarum Atlantes in hoc seculum redivivos venisse. Etenim quæ potest sacrarum Scripturarum cognitio esse tanta; quam *Iacob. Sadoletus*, *Thom. Cajetanus*, *Gasp. Contarenus*, *Car. Borromæus*, *Gul. Sirletus*, *Ant. Carafa*, *Cæsar* BARONIUS, (qui in contexenda Ecclesiæ

Leand. in Lombard.

Casaub. in Exerc. ad Baron.

historia universali ea perfecit, de quibus ante ipsum perpauci cogitaverant, nemo simile quid unquam ediderat; adeoque, sive magnitudinem operis inchoati, sive narrandarum rerum varietatem, sive ordinem spectemus, fatendum est omnino, *Nil oriturum alias, nil ortum tale.*) & *Rob. Bellarminus*, Cardinales; *Immanuel Tremellius, Pet. Martyr* Vermilius, *Hier. Zanchius, Paul. Venetus* Servita; *Isidorus Clarius*, & *Io. Bap. Folengius*, Benedictini; non imbiberint? Qui Jurisprudentiæ recessus possunt esse tam absconditi, quos *Franc. Curtius*, *solius temporis*, ut ejus habet Epitaphium, *avaritia extinctus*; *M. Mantua Benavidus, And. Alciatus, Guidus Pancirolus, Paul. Paruta, Alb. & Scip. Gentiles, Iul. Pacius, M. Ant. Peregrinus, Iac. Menochius, Io. Vaudus, Ios. Mascardus, Prosp. Farinacius, Io. Pet. Surdus, Io. Vinc. Hondedæus*; non perscrutati fuerint? Quid in Medicina Hippocrates aut Galenus, in tota natura Plinius, sciverunt unquam; quod *Petrus Aponus*, *Conciliatoris* cognomento in scholis clarus; sed *quem gloriam æternam necromantia auxilio consecutum fuisse*, palam esse scribit Cardanus; *Hieron. Fracastorius, Hier. Cardanus, Gab. Fallopius, Hieron. Mercurialis, Vlyss. Aldrovandus, Pet. And. Matthiolus, Barth. Maranta, Anton. Brasavolus, And. Cæsalpinus, And. Baccius, Io. Bap. Porta, Io. Costæus, Fab. Columna, Luc. Ghinus, Aloys. Anguillara, Hier. Capivacius, Gasp. Taliacotius* (qui vir inaudita medendi ratione præstabat; labra, nares, aures hominibus, quibus deessent, repo-

R. Montacu in præf. Eccles. Exerc.

lib. 19. de Subtil.

I.H a Pflaumern in Bononia p. 84.

reponebat adeo solerter, ut proxime miraculum ars esset.) *Iul. Alexandrinus*, *Herc. Saxonia*, nesciverint? Quid in omnium totius Philosophiæ partium ambitu tam est rarum, & a vulgi captu remotum; quod *Iul. Cæs. Scaliger* (*quo superiorem antiquitas vix habuit, parem certe hæc ætas non vidit*) quod *Franc. Guicciardinus*, nemini historicorum post antiquos, Thuani & Lipsii judicio, posthabendus; quod *Io. Baptista Hadrianus*, qui Fr. Guicciardini historiam accurata diligentia persecutus est, & ex quo multa se sumpsisse, atque adeo plura quam ex quovis alio in opus suum Historicum transtulisse ingenue profitetur Thuanus, miratus, eum minore inter Italos, quam par sit, in pretio haberi; quod item *Paul. Iovius*, *Car. Sigonius*, *Laz. Bonamicus*, *Lil. Greg. Giraldus*, *Petr. Bembus* Cardinalis, *Luc. Gauricus*, *Onufrius Panvinius*, *Hermolaus & Daniel Barbari*, *Ambr. Calepinus*, *Leand. Albertus*, *Manutii*, (de quibus sic statuebat Lud. Carrio, ut *Deciorum* nomen Rom. Reip. conservandæ, ita *Manutiorum* fatale fuisse rei literariæ restituendæ.) *Nicol. Leonicenus*, *Lud. Ariostus*, *Torquatus Tassus*, *Pet. Aretinus*, (doctissimus quidem, sed Satyricus & impense lascivus poeta, cui summa capita mordere ludus, eoque *flagellum Principum* cognomen fuit.) *Pompon. Lætus*, *Pet. Paul. Vergerius*, *Iac. Zabarella*, *Fr. Piccolomineus*, *Lud. Cælius Rhodiginus*, *Ioan. Baptista Benedictus*, *Io. Ant. Maginus*, *M. Ant. Bonciarius*, *Pet. Victorius*, *Sebast. Echinus*; *Spero Speronius*, *Flaminius Nobilius*, *Francisc-*

Th. H. l. 21.

Th. H. l. 63.

præf. in Flaccum.

Flaum. in Venet. p. 41.

cisc. Bencius , Pet. Angelius Barga , Fulvius Vrsinus, Ant. Ricobonus , Thom. Campanella , Laz. Superantius , & quæ propter morum & eruditionis præstantiam viris excellentissimis sociari merentur, *Isabetta Quirina* Laurentii Massuli uxor , *Laurentia Strozzia , & Olympia Fulvia Morata* , exquisitissime non percalluerint? Quibus superaddo tamen & Musices Magistros , *Luc Marentium, And. & Ioan. Gabrielios fratres , Horat. Vecchium, Claud. Merzlam , Io. Petraloysium Prænestinum, Io. de Cruce , Alex. Striggium , Benedict. Palavicinum, Ioannetum de Palestrina, Lal. Bertanum , Io. Mar. Naninum , Franc. Sorianum , Hippol. Sabinum, Io. Feretum, Claud. de Corregio, Felic. Anerium , Io. Iac. Gastoldum , Iul. Renaldum , Hannibal. Comam , Aurel. Bonellum , Rog. Giovanellum, Iac. Petrinum , Hannib. Stabilem , Hannib. Patavinum , Tiburt. Massainum* ; a quorum divina longeque suavissima harmonia tantum absunt aliarum nationum Componistæ , Capellarum Magistri , & Cantores , quantum Meliboei nostri balatus ab Orphei melodia. An putatis autem ornatissimi Auditores, tot celebratissimas *Academias* ; *Romanam* , (a) quæ est omnium antiquissima ; *Bononiensem*, quæ est *studiorum mater*, & quæ præcipue *Legalium studiorum semper monarchiam tenuit* ; *Patavinam* , quæ est *veluti Atheniensis Areopagus* ; *Senensem* , quæ uti speciosissimarum mulierum (inter quas semper est invenire , quæ formæ venustáte cunctas Italici generis fœminas vincant) ita clarissimorum Doctorum est altrix; *Flo-*

(a) arg. l. 18. §. 1. ff. de judic. l. 17. ff. de reb. cred. l. 6. §. 13. ff. de excusat.

Azo.

Iason.

Merul. Cos. p. 2. l. 4. c. 12.

Florentinam, quæ non tam juris civilis Pandectis, in membrana emendatissime Latinis literis scritis, & olim Constantinopoli Pisas allatis, quam acutissimis Pandectarum interpretibus est inclyta; *Mediolanensem* insuper, *Papiensem*, *Neapolitanam*, *Salernitanam*, *Perusinam*, *Mutinensem*, *Ferrariensem*, *Taurinensem*, *Pisanam*, tantis ingeniorum ornamentis nobilissimas; & tot alias; an existimatis, mei Auditores, illas aliquid in literis, quod sit elegans, utile, honorificum, aut scitu dignum, latere & fugere posse? Quemadmodum *Bretinorum*, urbs Romandiolæ, in monte supra Forum Livii sita, *Guidonis a Prata*, ac gentilium ejus, aliarumque familiarum, egregia liberalitatis æmulatione æternam sui memoriam fecit: inter quos persæpe oriebantur liticulæ, advenis hospitibus in urbem venientibus; cum pro se quisque illos hospitio excipere, & laudem hospitalitatis cæteris civibus præripere anniteretur: propterea ad sarciendam concordiam publicam, erexêre in foro columnam, eique pro patrumfamiliarum numero tot circum imposuêre annulos, singulos singulis familiis certa nota attributos; quandocunque igitur peregrinus huc ventitabat, ad columnæ illius annulum aliquem, quem arbitratu suo eligere fas erat, innectebat equi capistrum; quo facto, statim annuli dominus novum hospitem in domum deducebat suam, & liberalissime tractabat: Sic fere inter illos bonarum artium optimates Italos, dum quilibet de peregrinis & exteris

Leand. in Rõandiola.

teris, ingeniorum culturam quærentibus, quam optime mereri cupit, laudatissimum gloriæ enatum est certamen; hoc felicissimo exitu, ut quicquid vetus & novus orbis in omni doctrinarum, addam etiam elegantiarum atque civilitatis, genere profecit, quod sane est multo maximum, uni Italiæ jam debeat ferri acceptum. Quinetiam *virtutem militarem* Itali divina judicii bonitate, & immortalibus operibus ad id majestatis culmen evexerunt, ut altius ascendere nunquam possit. Equidem si hoc loco tantum historiam memoriæ nostræ viciniorem inspicere velimus; satis constat, Italos non solum primos omnium multas easque ingeniosissimas munitionum formas invenisse, & postea in artem redegisse: verum etiam communi prudentium bellatorum opinione offensionis & dedefensionis rationes in bello præ aliis nationibus rectissime novisse; Hetruscos tamen in assultibus ac impressionibus palmarios esse. Animo sunt isti nunquam non præsentissimo & impavido, in omni discrimine: quod Carolo VIII Galliarum Regi maxime nobili facinore fecêre testatum. Cum enim ille Florentiam armatus numeroso cum exercitu esset ingressus, & civibus, qui contra libertatem nihil permissuri erant, durissimas fœderis conditiones proponeret; *Petrus Caponius*, e quatuor viris ad res cum Rege expediundas selectis unus, rei indignitate commotus, Scribæ Regio, iniquissima capita de scripto recitanti, chartam e manu abripuit, & Rege ipsomet spe-

Lan. Disc. 18. parad. 4.

G. B. Adri. lib. 9.

F. Guicciardin. H. l. 1. Iov. H. l. 2.

ctan-

ctante concerpsit, cum stomacho in hæc verba erumpens: *Quandoquidem tam iniqua postulatis; agite vos Galli, tubas vestras & cornua inflate, nos campanas nostras pulsabimus*: simulque cum dicto, collegis ipsum sequentibus, e regio cubiculo se proripuit. Qua libera voce & Gallos terruit Caponius, & patriæ libertatem conservavit. Parum autem honorifice, magne Princeps, & vos Auditores cæteri, vestra audiendi patientia uterer, si singulorum fortium virorum elogia verbis exequi constituerem: ex paucarum tamen nominatione, cunctorum, quæso, agnoscite virtutem. Cui incognitus est *Farinata Vbertus* Florentinus, ab insigni erga patriam pietate popularis sui Dantis Poetæ præconio celeberrimus? Cui illaudatus est *Castruccius Castracanis*, Lucensis civis; qui ex mercatoris institore miles, ex milite dux egregius factus, pertinaci virtute, & favore Imperatoris Ludovici Bavari, ad principatum contendit; nusquam ejus vestigia vadentis ad præclarum decus fallente fortuna? Quis ignorat illos novos Hercules & Martes; *Scaligerum illum Veronæ*, urbis inter tres civitates, quas omnium pulcherrimas vidisset unquam, ab Imperatore Carolo V numerari solitæ, *Principem*; *Albericum* item *Balbianum*, *Braccium* quoque, & *Sfortias*; nec non *Bartholomæum Coleonium*, quem heroa! (sunt Venetiis Virtuti & Honori positæ statuæ marmoreæ centum sexaginta quinque, æneæ tres ac viginti: sed inter omnes celebratissima est illa colossea equestris inaurata B. Coleonii; quam Vene-

Iov. in elog. Vir. illust.

G. Sciop. in Scal. Hypobol.

St. Vin. Pighio in Herc. Prodicio. Pflauern in Mercur. Italico.

Veneti gratitudinis maximis tanti viri meritis debitæ testificandæ ergo, pro æde Divor. Joannis & Paulli in area, cum elogio rerum ab ipso bene gestarum in alta basi erexerunt) præterea *Erasmum Gattamelatam*, & hunc a Venetis ex decreto publico ænea equestri statua Patavii posita honestatum; *Nicolaum Piccininum*, *M. Ant. Maurocenum*, *Fridericum Feltrium* Vrbinatium Principem, *Vitellios*, *Nicolaum Vrsinum*, *Barth. Livianum*, *Maconem Corregium* (cujus virtutem B. Livianus hisce extulerat verbis: *Se io mi trovassi dieci mila fanti pari à Macon da Correggio, tre mila Cavalieri, quale è Batilio dalla Riva; darebbemi il cuore, in breve di farmi signore del mondo) Iacobum Trivultium*, *Franc. & Ferd. Gonzagas*, *M. Ant. & Prosp. Columnas*, *Ferd. Davalum Vastium*? Quis militum cum honoris præfatione non recordatur *Leonis & Petri Stozziorum*, *Ioan. Iac. Medicini* Meliniani Marchionis, *Ioan. Bapt. Castaldi* bellis Germanicis atque Pannonicis famosi; *Andreæ Auriæ*, novi Neptuni? Quis non jucundissime meminit circumspectissimi Principis *Ambrosii Spinolæ*, qui veterem & illustrem familiam invicta animi vi & fortibus factis in tantum claritudinis evexit, ut nemo majorum sit cum eo comparandus? Nec parvo fœderatis Belgii provinciis tanti viri & bellatoris præsentia stetit, cum ille nuper Ostendam, Oldensilium, Lingam, Wachtenduncum, Lochum, Grollam, Berkam caperet. Vel unica illa, sed toto Orbe famosa, tot certaminibus, tot nuperæ inventionis munitionibus & machinis insi-

Leand. in descr. Corsicæ.

Baud. in. duc. Belg. lib. 2.

insignis *Ostendana obsidio*, etiam me tacente, id loquitur: in qua intra annos tres ac menses totidem *centum quadraginta*, aut qui minimum scribunt, *centum viginti* mortalium *millia*, utrinque varia ignis, ferri; morborumque peste ceciderunt. Canant Poetæ, & fabulis attollant *Trojæ* obsidium decennale, *Tyri* expugnationem inter clarissima Alexandri Magni facinora extollat Græcia; Lacones in obsidenda pertinaciter *Messana* annos viginti posuerint: una *Ostenda*,

——commune sepulchrum Aquilonis & Austri.

Illa ducum simul & militum acerba cinis, illustribus veterum factis tenebras offundit & luminibus obstruit. Neque enim ibi *de parva area*, neque *de tumulis*, aut *sterili tantum pulvere*, ut Hugo Grotius suo in Epigrammate volebat; sed de supremo inter Hispanum & æmulos Reges dominatu ac gloria, imo de Europæ quodammodo imperio certatum est. Quis item non veneratur nomen *Alexandri Farnesii* Ducis Parmensis, imperatoris felicissimi, & uti judicabat Fr. Lanovius, *du premier capitaine de la Chrestienté*; nonne ille Parmam suam ac Placentiam, ob caseos tota Europa expetitos alias celebres urbes, rerum fortissime gestarum laudibus ad miraculum implevit? Nonne munitissimam urbium Antuerpiam expugnavit præter opinionem clarissimorum belli ducum, cum Gul. Arausionensis vox audita fuerit, *Versurum in perniciem Parmensi, si obsidium Antuerpiæ auderet?* Quis autem maximopere non admiratur *Americum Vespucium*

Th. H. l. 130. Miræus in vita Alberti Pr.

Iamais capitaine n' eust pl' de jugement en la conduite d' une armée, ny plus de justice en la discipline militaire. P. Matt. l. 1. narr. 4.

Reid. Ann. lib. 4.

Florentinum, qui inventæ quartæ terrarum orbis parti nomen ab se imposuit AMERICÆ? Imo quis non stupet ad novi Orbis repertoris nomen; CHRISTOPHORI COLUMBI? Benignissima salutarium siderum conspiratione illum natum fuisse existimare decet, eximium Liguriæ suæ decus, & jubar Italiæ præfulgidum, quodque priscorum heroum, Herculis & Liberi patris, famam obscuravit. Hic vir, Auditores, hic est hodiernæ potentiæ & stupendæ magnitudinis Hispanorum præcipuus auctor: qui, uti erat Geographiæ apprime studiosus, curiosi ingenii nervos omnes contulerat ad Oceanum explorandum, aliasque ad Occidentem solem longe dissitas regiones inquirendas, quarum Plato ipse, & Seneca, & plerique alii Græcorum & Latinorum, nonnulla expendenda Cosmographis argumenta reliquissent; ut ita angustos columnis Herculeis descriptos terrarum limites irrideret. Sed illius vota multis Principibus, ad quos naves armis & commeatu instructas Indiarum vestigandarum causa petitum aut alios miserat, aut ipse venerat, explodentibus; cum a suis quoque Genuensibus pro vano, ab Henrico VII Angliæ Rege pro ridiculo, ab Alfonso V Portugalliæ Rege pro futili & deliro circulatore habitus esset, tandem Ferdinandum Regem Hispaniæ propitium & propensum habuit, & ab eodem liburnicam unam & duas caravellas milite & nautico instrumento armatas accepit; cum quibus III die Aug. A. Ch. cIↃ CCCCXCII[do] e Gadibus

Iov. l. 4 Elog de Chr. Columbo.

Benzo Hist. Ind. l. 1. c. 5. & 6.

dibus solvens, inter innumera & perpetua immensi Oceani & turbantium Hispanorum pericula; novum Orbem invicto animo quæsivit, inaudita felicitate invenit, & supremâ sui totiusque Italici nominis gloria Ferdinando donavit. Atque ut

Fr. Lopez. de Gomara H. Ind. l. 1. c. 10.

cedere diluvium, camposque patere liquentes
nuncia de cœlo prima COLVMBA *venit:*
æquora sic ultra nostris incognita primus
nunciat immensos esse COLVMBVS *agros.*
Aurum *arrham secum tulit alter, at altera* Olivam:
Alter Divitias; *altera* Delicias.

Ovven

Quin etiam si quis rem recte atque ordine perpendere velit; non unius Orbis tantum, sed duorum inventor fuisse dicendus sit Columbus: cum non minus illi invento a se Orbi nostrum Orbem, quam nostro illum adjecerit; nec minus illius incolis nostrum, quam nobis illorum Orbem aperuerit; & protulerit in lucem. Sicuti autem humanum ingenium est, ut facilia putet, quæ jam facta; nec de salebris cogitet, ubi via sit strata: ita Columbo in Hispaniam reverso evenit; ut Hispani proceres in convivio quopiam laudem ejus delibatum irent & deminutum. Quippe inventionem Indiarum rem pronam fuisse, dicebant; navigationem sine discrimine, appulsus faciles, denique unum aliquem ex sese potuisse easdem illas terras gentesque reperire, sine Itali hominis ullo nisu. Columbus (aderat enim) cum tacitus diu audisset, surrexit; & velut aliud agens ovum attulit a gallina; in

nienta repoluit; & *Heus sodales*, inquit, *quis vestrûm ille solers, qui hoc ovum rectum mihi dejiciat & in caput?* Mussare illi, circuminspicere, tentare, negare ad extremum omnes, id fieri p[illegible]. Tum Columbus clementer: *imo fiet*, inquit: & simul ovum leviter a capite tusum & quasi tum, deposuit erectissime. Inde risus; pro se quisque rem facilem [illegible] dicere. *At [illegible], ait ille [illegible] quis v[illegible] hoc facit [illegible] te [illegible]* Talis inventio novi Orbis [illegible] quem [illegible] ante [illegible], omnes [illegible] [illegible] O magnum animum! O ingenium novis semper virtutibus prægnans & gravidum! Non enim potest ea natura, quæ tanto miraculo Orbem alterum invenit, utrumque humanitate & commercio conjunxit, non potest ura virtute esse contenta; necesse est, semper aliquid admirabile moliatur; necesse est, in illustribus æternæ gloriæ exemplis perpetuo versetur. Verum enimvero nolite, Auditores, brevitate orationis meæ potius, quam rerum ipsarum magnitudine Columbum ponderare. Mihi enim properandum necessario est, ut plura vobis, quæ mihi constituta sunt, de Italis possim exponere: dummodo & hoc prius attigero; Columbum patriæ charitatem etiam extremo spiritu retinuisse, cum amplissimarum opum suis laboribus partarum decumam partem Reip. Genuensi legasset: cui tamen Genuenses, qui alias statuæ honore complures cives levissimis sæpe de caussis decorandos duxerant, nullo monumento gra-

Benzol. 1. c. 5. Lipsius in pref. ad Cri. ura.

Vb. Folieta Elog. clar. vir.

gratitudinem testati sunt. Quanquam Columbi gloria ita alte adscendit; ut neque illi honor decretus ullus addere, neque negatus demere quicquam potuerit. Sed cætera Italorum dicere pergo. Prætermittam autem communes & minores laudes omnes, quarum similes forsitan alius quoque populus aliquando meritus fuerit: nihilque dicam; nisi singulare; nisi quod, si de alia natione diceretur, omni laude præclarius videretur. Bellum ac commodum, atque *ad omnem rationem humanitatis moderatum*, itemque vi alliciendi homines & ad amicitiam suam adjungendi præditum audire: quid potest in omni vita esse honestius, pulchrius, elegantius? Atqui & illam laudem ut omnium nationum Itali pene sibi propriam vindicarunt, Auditores. Docent hoc exteri, qui in Italiam morum humaniorum & mansuetiorum addiscendorum gratia multas & longas peregrinationes suscipiunt: & idipsum, si viveret, *Reginaldus Polus* Cardinalis Anglus, morum gravitate ac sanctimonia, prudentia & eruditione, cum paucis comparandus, docere posset liquidius, qui cum ingravescente morbo testamento condito *Aloisium Priulum*, patritium Venetum, hæredem instituisset, ob integritatem & morum consensionem in familiaritatem ante annos XXVI adscitum; (a quo tempore ille a Poli latere nunquam discessit, nec inde ullis conditionibus avelli potuit, ne tum quidem, cum a Julio III, ut in sacrum Collegium allegi vellet, urgeretur) Priulus ta-

Scioppius in Scalig. Hypobol.

Th. H. l. 20.

men poſt Poli exceſſum, hæreditatem delatam recuſavit, & nihilominus teſtamentum præcipua diligentia executus eſt, ac totos XX menſes, quibus Polo ſuperſtes fuit, in colligendis ejus rebus huc illuc diſperſis, & ſumma fide diſtribuendis, conſumpſit; egregio veræ ac ſanctiſſimæ amicitiæ exemplo; quæ cum haut ulla emolumenti aut privatæ commoditatis ſpe, verum ſolius virtutis contemplatione coiiſſet, nulla etiam temporum aut locorum intercapedine dividi potuit, ſed ad ultimum uſque vitæ utriuſque ſpiritum conſtanter perduravit. Nec inepte Priulo hic junxero *Ludovicum Areſtinum Cardinalem*; qui in ea urbe, in qua tanquam in publico Chriſtiani orbis theatro tot annos admirationi fuit, *theſaurus pauperum, ſacri Collegii ſplendor, aulæque Romanæ ornamentum* dici meruit. Nam
Th. H. l. 14. quod alii in vaſtis ædificiorum molibus & otioſis divitiis exſtruendis inſumebant; id ille totum demerendis hominum per liberalitatem voluntatibus, ac tenuiorum fortunis ſublevandis impendebat; eas ſolas veras opes poſſidere ſe ratus, quas amicorum neceſſitatibus non rogatus donaſſet. Maxime autem poſt Hippolytum patruum vivis exemptum, patrocinio rerum Gallicarum Romæ ſuſcepto, fides ejus & animi magnitudo calamitoſiſſimis Galliæ temporibus toties explorata emicuit: cum non ſolum turbonibus Guiſianis, Annæ ſororis filiis, ſe generoſe opponeret, atque Regis regnique Galliarum, quod illi altera patria erat, cauſam adverſus proprias cha-

rita-

ritates defenderet; verum etiam Sixti V Papæ diplomati, quo iste male consultus Henricum Navarræ regem & Henricum Condæum Principem proscripserat, subscribere recusaret, quod potiorem regni salutem, quam suorum, qui per bella civilia amplificationem fortunæ quærebant, ambitionem haberet. At vereor, ne forte cuiquam hæc nimis sint protrita; & familiarius nota, quam ut hic debeant commemorari. Ita enim æquabiliter omnis Itala Nobilitas est hujusmodi, ut elogium illud Priuli & Atestini Cardinalis, totius Italicæ Nobilitatis esse videatur. Et si hic populorum de Nobilitate conceptas opiniones accuratius excutere lubet: quis de illa ipsis Italis judicat honestius, censet verius, meretur præclarius? Nam cum *Nobilitas* alia sit *Barbarica*; quando homines non aliter, quam equi & canes aliæque bestiæ, ex genere & sanguine æstimantur: alia *Philosophica*; quando sua quisque virtute spectatur: alia *Mixta*, quando quis tam sanguine, quam sua virtute censetur: & vero Germani cæteris melius periti Nobilitatem plerumq; vocent, virtutis militaris antiquę splendorem cum censu, publica auctoritate in posteros propagatum: Itali omnium optime, licet & ipsi virtute ac censu avito Nobilitatem definiant, auctoritatem tamen ejusmodi publicam non requirunt; nec minorem prudentiæ, justitiæ, temperantiæ, quam fortitudinis rationem habendam; quin imo prudentiam, ut cujus longe major tam belli quam domi in omnem partem G.Sciop. in Scal.Hypobol.

ulus sit, cæteris omnibus præferendam? putant. Proinde & Nobilitas in omnibus hominum ordinibus, illius capacibus, nusquam terrarum est copiosior, nusquam omnibus numeris perfectior, nusquam omnibus dotibus est augustior; quam in Italia. Et quis alius populus hoc nomine comparationem subeat, nisi *Marsya* tibicine sit confidentior? Istius pater fuit *Hyagnis*, rudibus adhuc Musicæ seculis solus ante alios catus canere; nondum quidem tam flexanimi sono, nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia; primus tamen in canendo manus discapedinavit; primus duas tibias uno spiritu animavit; primus lævis & dextris foraminibus, acuto finitu, gravi bombo concentum Musicum miscuit. eo genitus Marsyas, cum artificio patrissaret tibicinii, Phryx cætera & barbarus, vultu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis & pilis obsitus, fertur cum Apolline certavisse; Thersites cum decoro, agrestis cum erudito, bellua cum Deo. at Musæ cum Minerva judices, monstri illius risêre barbariem; & postea tibicinem illum certamine superatum, velut ursum bipedem, corio execto, nudis & laceris visceribus reliquerunt. Ita Marsyas in pœnam cecinit, & cecidit: quanquam Apollinem tam humilis victoriæ puditum est. Ita quoque, Auditores, alterius cujuscunque nationis Nobilitas cum Italica in dedecus & ignominiam suam certatura sit. Et accrescit Italorum Nobilitati haud vulgare ornamentum etiam ex eo: quod præ aliis nationibus quibuscun-

Apulejus Florid. l. 1.

cunque optime generosos *equos domare*; artificiose erudire, & modo ad decursiones citatas, modo ad saltus tolutares, modo ad rotationes agilimas glomeratis hinc inde circulis, modo ad alios motionum flexuumque numeros modosque, scitissime pro monitricis virgulæ nutu ictuve regerent: & ita talibus exercitationibus, umbraticis licet, in media altaque pace, nobiliores Juventus ad Martium atque militare decus pulcherrime præparare & accendere solent. In ista Equestri disciplina hominum memoria maxime præcellebat *Sigismundus Locatellus* Ferrariensis, *Friderici Grisonii* ejus Artis instauratoris primi discipulus, qui cum a popularibus Italis, tum a peregrinis grandi numero primariæ Nobilitatis, quos in illa Equestri peritia laudatissime instituerat, summum honorem & amorem, famam & opes collegit; a magnis quoque & multis exteris Principibus, ac potissimum a Suecorum Rege ingentibus propositis præmiis invitatus; quibus tamen insigni animi tranquillitate admirandus vir Patriam præferre maluit. Cæterum in alias eximias Italiæ laudes digreditur oratio. Etenim, quis hominum est, qui nomen Italiæ, & tot ejus prærogativas audierit; quin ei amplissimarum & tot diversarum *Rerumpublicarum* veniat in mentem? etsi vix ulla dicendi facultas est tanta, quæ illas tot rerum gestarum documentis, & tot solidarum virtutum trophæis memoratissimas, aliqua ex parte possit describere. Quid ego de *Capuana, Neapolitana*, & regni reliquis loquar? quæ,

Hipp. a Col. lib. in Palatino.

L. Schradæ Monum. Italiæ l. 1. in Ferraria, p. 51.

ut olim ſub Romanis, Gothis, Langobardis, Græcis, Saracenis, Nortmannis, Suevis, Gallis, Aragoniis, varia fortuna fuêre celebres: ita hodie ſub Auſtriacis proſperrime vigent. Quid de *Senenſi?* quæ libertatem adverſus Coſmum Medicem, Principem Florentinum, tam fortiter defendit; ut, cum urbs dederetur, Iↄ ccc circiter viri & fœminæ Senenſes, vel cum omnium bonorum jactura patriam deſerere, quam cum quodam libertatis præjudicio ſub Coſmo vivere maluerint. Quid de *Florentina?* quæ ob ingeniorum excellentiam, ædificiorum pompam, & *Familiæ Mediceæ*, non quidem ſtirpis antiquitate, ſed virtutum majeſtate cum illuſtriſſimis conferendæ gloriam, eſt florentiſſima. Equidem *Coſmus* ille, qui fundamenta Mediceæ magnitudinis jecit, cum principio factioſorum conſpiratione patria pelleretur, tanta tamen poſtea patriæ redditus ſecundantis Fortunæ indulgentia conſtanter uſus eſt, ut ætatis ſuæ ditiſſimus & fortunatiſſimus fuerit judicatus. Et complectebatur dæmonium hominis hanc ſuam amaſiam Fortunam admirabili prudentia, cujus illuſtribus radiis in omnes ordines late ſparſis eam multo maximam de ſe excitaverat opinionem, ut non in patria modo, ſed in omni Italia cuncta prope belli & pacis conſilia togatus & inermis feliciſſime rexerit; idque unum ſemper, quod ſecuræ atque opimæ pacis intererat, contenderit, ut Italiæ Principes exæquata potentia ſuis contenti finibus pacem tuerentur; & civitas optime conſtitu-

A. Ch. 1555. Th. H. l. 15.

Iovius in Coſm. Machiav. Flor. Hiſt. lib. 7.

ſtituta republica adverſus inteſtinas diſcordias, quibus antea plurimum laboraſſet, permunita, atque opulento ocio tranquilla redderetur. Et quæ in ſummo homine, & pene dixerim *monſtro ſine vitio*, plane ſingularis erat morum temperies & naturæ facilitas, non eloquio, non cultu, non ipſo denique convictu & comitatu faſtum ullum oſtendebat, modeſtia tantum, humanitate, & ſtudio honeſtæ virtutis ſupra cæteros enitebatur: ſingulari tamen, quæ ſibi & patriæ ornamento eſſet, magnitudine atque elegantia ædificiorum, perpetuaque benignitate hoſpitalis domus cunctos ſuperare contendebat; cum natura frugi privata in menſa nihil ad exuperantem copiam, ſed ad nitorem cuncta, civilemque Etruſcæ diſciplinæ temperantiam, alioqui liberalis, & maxime ſumptuoſus in hoſpites dignitate doctrinæ claros, revocaret. Erat enim ſicuti maxime pius in egenos, officioſus in adflictos, & longe omnium omnis virtutis largiſſimus æſtimator; qua una re ſuperabat cives, æquabat Reges, & ſibi certum iter ad perennem laudis famam ſternebat. Nunquam eum inſtitutæ liberalitatis pœnituit. Nullus unquam ædificandi ſumptus eum deterruit. Nullus unquam vel adverſus fortunis ejus caſus, popularis beneficentiæ conſuetudinem interrupit. Ac licet ita in pauperum eleemoſynas & in templorum ædificationes ingentes & fere pluſquam regias opes expendiſſet, ſolitus tamen eſt dicere: *Non potuiſſe ſe in ſuis accepti & expenſi codicibus unquam reperire debitorem Deum.* Intelligebat

Sc. Gentil. Comm. in. Ep. Pauli ad Philē. c. 59.

bat videlicet vir maximus; eum, etiamsi jam multa, imo etsi omnia sua in tales causas impendisset, in quibus ipse Deus se debitorem constituit, tanquam in se collata essent, tamen longe longeque plura atque adeo seipsum Deo debere; imo nec quicquam dedisse Deo, quod non fuisset Dei. Quarum rerum admiratione ducti nonnulli cives, ut incomparabiles magnificentiæ laudes verbis elevarent, sæpe dictitabant, tantam vim inexhaustæ pecuniæ nequaquam ex argentariorum negotiatione, quæ in omnibus Europæ emporiis a Cosmi institoribus [illegible]tur, sed ex *Balthasaris Cossæ* thesauris provenisse; quos uti vir eximie probus & pius, non [illegible] templis atque cœnobiis profudisset; ut [illegible] mortui amici secreta vota impleverit, & fidem suam sine piaculo tueretur. Constat quidem ex adversariis rationum codicibus, *Cosimum supra quadraginta myriades aureorum nummum in privata & publica ædificia contulisse: piæ vero aut occultæ largitionis sumptum* [illegible] *decem summam excessisse.* Verum eam suspicionem facile apud rerum peritos avertebant paternæ opes, quæ signata pecunia & quæstuosissima mensariorum negotiatione immensæ prope constiterant, cum nullum unquam alienæ decoctionis, aut ullæ conturbationis detrimentum per multos annos accepisset: prædiorum vero reditus, adstrictaque privati sumptus frugalitas, quotidianam modicæ familiæ impensam facile superarent. Concessit e fato septuaginta amplius natus annos, cumula-

tus-

[illegible], vir incomparabilis & civium maximus in Laurentiano templo ab se condito, cum hoc sepulchri brevi titulo; sed longe omnium, qui scribi possint, honestissimo: COSMVS MEDICES HIC SITVS EST DECRETO PVBLICO PATER PATRIÆ. Superat hodie admirandi *Cosmi* ex fratre *Laurentio*, ad inclytæ gentis incrementum & gloriæ perennitatem, per tot illustrissimas propagines feliciter demissa numerosa adgnatio, tam virtutum rerumque præclare gestarum ornamentis, quam imperii magnitudine, viribus, & præ cæteris Italiæ Principibus opibus cumprimis potens. Quippe asseverant aliqui pro comperto, a Medicæis magnis Hetruriæ Ducibus tantum numeratæ pecuniæ congestum, & in omnes occasiones conditum asservari; quantum vix apud alium Europæ Principem inveniatur. Nec abnuet, qui crediderit, mortuo *Francisco* Cosmi I. Ducis F. centies centena aureorum M. in ærario fuisse reperta, & pretiosæ supellectilis tantum, ut vicies centenis aureorum millibus sit æstimatum: *Ferdinandum* deinde, Francisci fratrem, qui postea imperavit, in immensum relictas a fratre opes accumulasse. Quid autem de Republica dicam *Pisana*? quæ majorum ætate cum summa opum amplitudine, tum ingenti rei navalis potentia inter cæteros Italiæ populos, magnam autoritatem obtinuit; subjugatis Sardinia, Carthagine, (cujus Regem Pisani vinctum conduxerunt ad Pontificem, a quo postea fuit Christiana religione imbutus, & sacro fonte

Relatio Veneti legati de Mag. Duc. Hetr. Pflaumern in Merc. Ital.

Leand. Alb. in Hetr. Iov. H. l. 1.

A. h. 1030

te tinctus) Majorica etiam (cujus Regem interfecerunt; atque Regina cum filio Pisam abductis, huic postea regnum restituerunt) Panormo, Salerno, & aliis: eoque magnitudinis rem Pisanam aliquando evectam memorant; *ut centum Pisanæ familiæ illustrès, totidem rostratas naves privato sumptu ædificasse, exornatasque ad Ligusticum bellum eduxisse dicantur.* Quid afferam de *Genuensi*, quæ cuncta quondam maria pervagata, relictis ubique clarissimarum victoriarum monumentis, non solum Corsicam, Sardiniam, Cyprum, Lesbum, & Chium, insulas; Peram item urbem Thraciæ ex opposito Constantinopoleos sitam, atque Theodosiam; vulgo Caffam, cepit posseditque; finibus imperii sui ad Tanaim usque productis: (& quidem inter *Tataros Cumanos* sunt hodieque non paucæ ritus Latini Catholicæ Italorum familiæ; a quibus *Marc. Antonius Spinula, patria Tatarus, sed origine Genuensis, patrum memoria ad Stephanum Battorium Poloniæ Regem missus est.*) verum etiam Venetorum res prope ad interitum redegit, urbe illorum potenti classe circumsessa. Quid de *Mediolanensi?* quæ jam olim ea nobilitate, opulentia, publicorum operum magnificentia, & civium inquilinorumque frequentia fuit spectabilis, ut facile secundum a Roma dignitatis teneret atque amplitudinis gradum; Romæ etiam in eo par, quod non secundis magis, quam adversis casibus illustris fuerit. Etenim quadragies obsessa atque oppugnata est urbs, bis & vicies ex-

Pont. hist. l. 1. Folieta in Elog. Ligurum. Miræ in Notit. Episc. l. 1. c. 21. & l. 5. lit. T.

Sig. de Occ. Imp. l. 1.

I. H. a Pflaumern. in desc. Mediolani.

pugnata, vaſtata, ſpoliata decoribus ornamentiſque illis, quibus a Romanis exculta ſcribitur fuiſſe. Quamvis autem ad priſcæ illius majeſtatis culmen hodie forſitan non aſcendat Mediolanum: ſunt tamen nova ejus opera talia, potiſſimum vero inter tot ampliſſima Xenodochia, cœnobia, & templa amplius ducenta, illa baſilica Cathedralis tantæ eſt præſtantiæ; ut ſi omnia non Mediolanenſis ditionis, ſed Lombardiæ, imo Italiæ totius templa, quæ unquam falſorum deorum honori dicata fuêre, conferantur, nullum futurum ſit, cui primaria illa & mole ipſa pene terribilis ædes æquari non poſſit. Neque etiam operibus jam cedunt opes, oppidò prægrandes: quibus non ita pridem ſic abundabat nobiliſſima metropolis & incomparabilis Ducatus; ut Imp. Carolus V ex una Inſubria plus vectigalium ac tributorum coegerit, quam Franciſcus major ex Galliarum regno tantis opibus affluente delibaret. At, quid de Veneta? Veneta Reſpublica, Auditores, ſi non extaret, ſummo hodie Italia careret ornamento, res Chriſtiana præſidio, libertas perfugio, natura miraculo. O quales illæ Venetiæ! o qualis illa urbs! Nihil cunctor dicere: *Orbis eſt arx.* Et quænam illius ſunt mœnia?

Bod. de Re. l. 6. c 2.

Ambit aquas Nereus pro muro ſpumeus urbem,
fluctibus eſt omni tutus ab hoſte locus.

Sabinus.

Quænam *excubiæ?* Copiæ militares multis in inſulis maris Ægæi, præſidii cauſa collocatæ: quadraginta triremes, quæ Adriaticum ſinum tuentur:

Oratio incerti ad Paulum V.

tur: *Palma* propugnaculum, *cujus ædificatio nummûm aureorum vicies centenis millibus constat; annua vero custodia centenis millibus*: & *Arsenale* illud

Th. H l. 49. & l. 58.

omnium navalium & armamentariorum, quæ sub cœlo sunt, amplissimum, atque unicum Reipublicæ toto orbe potentissimæ, & sobrie per tot annos semper administratæ robur; in quod equidem *ad sexcenta millia aureorum singulis annis impenduntur*, solum autem satis esse posset ad reprimendum cujuscunque Turcicæ classis impetus;

Vendram. cont. 2. contra Paul. V.

apparatibus omne genus bellicis tanta copia ibi asservatis, ut deficientibus aliis omnibus soli sufficiant ad quemcunque exercitum instruendum, etiamsi *qui centorum millium hominum* numeretur. Et quod hoc loco commode retulero:

Iflaum in Merc. Ital.

Ioan. Andreas Baduarius gloriam illustris familiæ perbelle auxit, utili invento claram ad posteros famam consecutus; cum excogitasset rationem, qua vastissimæ & mole sua tardæ naves remorum alis concitarentur, ac maritimis præliis antea inutiles in posterum usui essent; quæ veteribus incognita ars Venetis non uno in certamine salutaris extitit. Quænam tantæ urbis sunt *ædificia*? Sumptuosissima; & utrinque per vias liquidas vectus spectator intuetur palatia regia, marmoreis parietibus, columnis, statuis, picturis nobilissima.

Pigh. in Hercule. Prod.

Templa undiquaque sunt augustissima; inter quæ tamen *D. Marci* est maxime mirabile: cujus pavimentum ex Porphyreticis, Laconicis, Thasiis, Ophiticis, aliorumque pretiosorum marmorum lapillis tessellatum, ac varietate colorum re-

resplendens, picturas egregias & insignia emblemata repræsentat ubique spectantium oculis, quæ curiosa ingenia diversis conjecturis exercent. Imp. Henricus IV Tarvisio, Totilæ Gothorum Regis [?]cunis nobili urbe, aliquando profectus Venetias; cum loci situm, ædificiorum ordinem & decorem, considerasset, obstupuit: postea in multas laudes effusus, tandem dixit, *Venetias regnum esse.* Quæ vero sunt *commercia?* Cum *civibus ter centies mille*, negotiatur prope universus Orbis. Carolus IX Galliarum Rex profectus Burdigalam, exceptus est ibi externarum nationum turmis quasi captivis; in quibus erant Græci, Turci, Arabes, Ægyptii, Taprobanenses, Indi, Canarienses, Mauri, Æthiopes, Canibali, Americani, Brasilienses: quorum duces pro se quisque propria lingua ad regem verba faciebant, interprete adhibito, qui singulorum verba explicaret: atque illa res ob raritatem Gallis digna visa est, quæ referretur in commentarios: sed Venetiis quotidie videre est in magnificentissimo D. Marci foro diversissimos hominum amictus, audire est multiplices linguas in tanto variarum nationum concursu: cujus rei admiratio Germano cuidam poetæ attonito elegantes istos versus extrudit:

Leand. Alb. in Venet.

Merul. Cos. p. 2. l. 4. c. 36.

Th. H. l. 37.

Si placeat varios hominum cognoscere vultus:
area longa patet sancto contermina Marco,
celsus ubi Adriacas Venetus Leo despicit undas:
hic circum gentes cunctis e partibus Orbis,
Æthiopes, Turcos, Slavos, Arabesque, Syrosque,

 inve-

inveniesque Cypri, Cretæ, Macedumque colonos,
innumerosque alios varia regione profectos:
sæpe etiam nec visa prius, nec cognita cernes.
quæ si cuncta velim tenui describere versu;
hic omnes citius nautas, celeresque phaselos,
& simul Adriaci pisces numerabo profundi.

Quod vero tantæ urbis est *imperium*? Justissimum, firmissimum, maximum. Sunt enim Veneti homines in universum graves consilio, severi in judiciis, in adversa rerum fortuna constantes, in altera nunquam immodici. Omnibus idem conservandæ libertatis & augendi imperii incredibile studium: in Senatu libere, & sæpius acerrime sententias dicunt; sicque vis
Iov. H. l. 1. Reipublicæ non caduci alicujus hominis ingenio atque industria regitur, sicut cætera imperia, quæ a virtute vel ignavia Principum fortunam sortiuntur, sed uno atque eodem immortali perpetui Senatus consilio sanctissime & prudentissime gubernatur. Et inprimis memorabile videtur, quod Veneti superiori seculo a cunctis prope Europæ Regibus, Cameraci fœderatis, oppugnati, atque omnibus præliis victi, universo tamen bello victores evaserint. Equidem, si Romanæ potentiæ magnitudinem, & clades, quas Hannibal dirus hostis intulerat, cum Venetorum fortuna vera æstimatione pensaverimus, funestiorem fere eis Abduam fuisse, quam Romanis Cannas; & Trebiæ & Trasimeni infelices pugnas,
Iov. H. l. 18. Brixiana ac Vicentina stragibus æquatas esse fatendum sit: sed ea vel præcipua Patrum ac ipsius for-

fortiſſimi Senatus Principis *Leonardi Lauredani* laus fuit, perpetuis annalium monumentis celebranda, quod adverſiſſimis etiam obruti tempeſtatibus nunquam de Republica deſperarint. Quibus inſtitutis ſtetit urbs illa amplius octingentos annos invicta, nullis fere inteſtinis diſſenſionibus exagitata; limitibus ſuæ potentiæ eo uſque terra marique prolatis, ut hodie *tricies centena millia hominum* in cenſum referat, adeoque magnis Principibus terroris aculeos inſigat. Quæ autem ſunt *opes?* Immenſæ. *M. Paolo S. nelle conſid. ſopra le cenſure di Papa Paolo V.*

Vt mare nil niſi aqua, cœlum nihil eſt niſi ſtellæ: Ovven.
ſic ſunt Venetiæ nil niſi divitiæ.

Et quidem in unius urbis Venetæ ambitu tantæ colliguntur vectigalium divitiæ; quantas multi Reges ex ſuis integris Regnis non habent. Atq; Eccleſiaſticorum tantum bona ac facultates ſub Venetæ ditionis imperio, *ter centies centena millia aureorum, ſive triginta milliones*, valere creduntur. Quis igitur Venetias non admiretur? Quis non ſuſpiciat? Quis non amet urbem illam virginem? Jam vero tandem &, o ROMA mea; ſalve; ſalve omnium dignitatum apex, omnium virtutum magiſtra, & omnis magnitudinis decus. Votum D. Auguſtini fuerat; *Videre, Chriſtum in carne, Paulum in cathedra, & Romam in flore*: & nunc meum ſit votum, ſi per naturam compos fieri poſſim. *Romanorum* equidem *genus omnibus anteponitur nationibus, & gentibus dominatur omnibus.* Sed quid ego verba facio? Quid ego tantæ majeſtatis mole linguam meam oppri- Guicciard. H. l. 8. Vendr. Cōtrov. 2. contra Paul. V. Conſt. de Iuſt. Cod. confirm.

mo? Audiamus *veterem Romam* ipſam potius, illam Latiaris facundiæ ſedem, ſic de ſe loquentem. Quid cauſæ eſt, quamobrem vobis, Germani mei, ita ſim deſpicatui? Quis inter vos tam brutæ Batavæque auris eſt, ut incredibilem imperii mei amplitudinem fando non audiverit, audiendo non expenderit, expendendo non fuerit admiratus? Ego enim ſum illa

Mar. l. 12 Epigr. 8.

terrarum Dea, gentiumque ROMA;
cui par eſt nihil, & nihil ſecundum:

ego ſum mater omnium dignitatum: ego ſum κόσμος τοῦ κόσμου, mundi domina; & qua *ulla unquam Reſpublica nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Ego prima & ſola ab omnis ævi memoria terminos potentiæ meæ feci, Orientem & Occaſum: vici, quicquid opportunum aut dignum vinci viſum eſt; imperio complexa florem Aſiæ, Africæ, Europæ; ipſa gentium robora, ingenia, opes: adeoque in univerſo ditionum & provinciarum mearum orbe *non infra trecentos milliones hominum, & ſupra centum quinquaginta auri milliones in annuis reditibus habui*; copiis ad imperii tutelam, provincialibus, urbanis, & claſſicis, *ſexcenta quadraginta quinque millia militum* conficientibus. Ego *triumfos* a Romulo uſque ad extrema Auguſti numero circiter *trecentos duodecim:* quibus, quicquid notabile aut optabile Orbis, aut in eo urbs aliqua poſſedit, per hanc viam portamq; Triumfalem ad me venit: atque unus C. Cæſar quatuor tantum triumfis intulit in ærarium *ſexaginta*

Liv. lib. 1.

Dionyſ. Halicarnaſſ.

Lipſ. de M. Ro. l. 1. c. 3.

Lipſ. in not. ad l. 2. c. 3. Admirand.

ginta quinque millia talentorum; quæ vobis efficiunt *triginta novem milliones*. At vero ſuſpicite meam *benignitatem & munificentiam*. Aliquando intra parietes meos ad *trecenta viginti millia* fuêre, quibus *gratuitum alimentum* dedi, coſque perpetua frumentatione pavi. Quanquam & in hac *capaciſsima urbe mea*, cujus muros Aurelianus ſic ampliavit, ut *quinquaginta prope millia* illorum ambitus continuerit; & in hac *urbani populi* frequentia *quatuor hominum milliones* excedente, non defuêre privati, qui Principum æmulati magnificentiam in populum effuderint ſæpe non exiguum. Quantæ enim multorum *opes? Craſſus* ſeſtertiûm bis millies poſſedit, ſive *quinque milliones*; & in ſervis ſolos architectos & fabros habuit ad quingentos. L. *Cornelius Balbus* ita erat locuples & pecunioſus, ut moriens populo Romano viritim legaverit denarios viginti quinque, ſive Aureum Romanum unum. *Seneca ter millies H S*, ſive more veſtro *ſeptuagies quinquies centena millia Philippicûm* habuit in bonis. C. *Cæcilius Claudius Iſidorus* teſtamento ſuo edixit; *Quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſervorum quatuor millia centum ſedecim, juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta ſeptem millia, in numerato H S ſexcenties*; quæ ſunt decies quinquies centena millia Philippicûm. *Gordiano*, nondum Imperatori, in provinciis tantum terrarum fuit, quantum nemini privato. Ædilitatis ſuæ tempore duodecim populo Romano munera, id eſt, per

Lipſ Adm. l. 2. c. 8.

Lipſ Adm. l. 2. c. 10.

Vopiſcus in Aurel. Lipſ Adm. l. 3. c. 3.

Lipſ. Adm l. 2. c. 1.

Dio H. l. 48

Tacit Ann lib. 13.

Plin H N. l. 23. cap 10.

Capitolin.

ſingulos menſes ſingula de ſuo exhibuit; ita ut gladiatorum nonnunquam quingena paria exhiberet, nunquam minus centenis quinquagenis; feras Libycas una die centum dedit, urſos una die mille; & plura deinde animalium: quæ omnia populo rapienda conceſſit. Sed hæc pro magnitudine mea nimis ſint tenuia. Ego vero etiam ſum illa *marmorea Roma*;

Claudian.

qua nihil in terris complectitur altius æther,
cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
nec laudem vox ulla capit.

Et ſtupor, Germani, vos inibit, cum conſideraveritis ornatum ædificiorum ſacrorum & profanorum, ubique in miraculum deſinentium: cum munitiones *viarum* glarea vel ſilice ſtratarum inſpexeritis, quarum longiſſima *Appia* Brundiſium, milliarium quaſi CCCL iter; & *Flaminia* non multo brevior Ariminum uſque, & inde porro Aquilejam duxit: cum examinaveritis abundantiam in publico *aquarum* (quibus tuendis perpetui homines quingenti erant deſtinati.) in balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis villis, per tubos ac canales in fornicibus lateritiis advectam; *ductibus* ea latitudine ac ſimul altitudine confectis, ut vir eques commode per eos incedere potuerit; & arcubus in quibuſdam locis centum novem pedes ſublevatis: vincente autem antecedentes aquarum ductus omnes *Claudiano*, a quadrageſimo lapide perducto, ad eam excelſitatem, ut in omnes urbis montes levaretur; erogato in id opus *IIS ter milli-*

Lipſ. Adm. l. 3. c. 10.

Plin. l. 36. c. 15.

Frontinus.

Procop. de bello Goth. l. 1. & adde L. Aretin. de bello Italor. adv. Goth. l. 1.

7,00000. Philipp.

millies: aut cum æstimaveritis urbis *cloacas* ad mundiciem, sordesque omnes vel abluendas, vel evehendas, factas; tanta capacitate, ut vehem fœni onultam large transmitterent; quibus neglectis aliquando & non defluentibus Censores in earum instaurationem *mille talenta* impenderunt in redemptores. Me etiam, me Imp. Constantius ipse & operum meorum gloriam oculis arbitrari voluit, & venit; sed *cum stupore horrendo, de fama questus ut invalida vel maligna, quod augens omnia semper in majus, erga hæc explicanda, quæ Romæ sunt, obsolescat.* Et quid censetis? Potuitne virtuti meæ obsistere aliquid? Potuit aliquid objici difficile? Aspicite & veneramini *Senatum* meum: *florem totius Orbis, & partem meliorem generis humani.* Quanta illic gravitas, sapientia, majestas? *Cyneas* legatus Pyrrhi regis, vir nec mentis nec oris egens; qui cum urbem lustrasset, atque etiam blandiloquentia & munificentia varie tentasset, undique repulsus, ad Regem rediit, & interroganti, *Quid de hostium sede sentiret? Vrbem* TEMPLVM *sibi visum, Senatum* REGVM *esse consessum* fatebatur. Neque alios Senatores *Censura* mea ferebat: quæ tanta severitate in omnium mores circumagebat supercilium, ut nulli in officium ac verecundiam impingere licuerit. Quamobrem *Marcus Cato* Censor quendam expunxit Senatu, caussamque subscripsit; *quod uxorem coram filia nubili exosculatus esset.* Et *Fabricius Lucinus* Cor. Rufinum duobus Consulatibus & Dictatura speciosissime

Plin. l. 36. c. 15.

Dion. Halicar. lib. 4. 600000 Philipp.

Am. Marc. Hist. l. 16.

Nazar. Paneg. Symmach. lib. 5. Ep. 46.

Florus l. 1. c. 18. Lips. Admir. l. 4. c. 2.

Val. Max. l. 2. c. 4.

functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo iis temporibus luxuriosum, Senatu movit. Et *P. Scipio Nasica, & M. Popilius*, cum equitum censum agerent; ubi equum nimis strigosum & male habitum, sed equitem ejus uberrimum & habitissimum viderunt; *Et cur*, inquiunt, *ita est, ut tu sis quam equus curatior? quoniam*, inquit, *ego me curo; equum Statius meus servus.* visum est parum reverens esse responsum, relatusque est in ærarios. Ex hac sanctissimæ publicæ disciplinæ scaturigine profluxit mare virtutum in omnes civium meorum classes. Atenim ego *Fortissima* quoque sum: & sicuti nunquam arma sumpsi, nisi pro populi mei salute, aut fide sociorum: ita, *absit invidia verbo, nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis utique nunquam iniquis locis laboravi.* In opere nemo militi meo par; nemo ad tolerandum laborem melior. fodere, vallum & fossas ducere; aggerem, testudines, turres struere; omniaq; celeriter & industrie; arma omnia peditem ferre, cibos semestres aut menstruos, utensilia, & septenos aut plures interdum vallos; a signis non discedere, pari passu omnes ambulare; decurrere etiam, cum opus, in plenis armis: hæc omnia militi meo prona sunt, nutu & impulsu saluberrimæ *disciplinæ militaris*; quæ civibus meis *antiquior fuit, quam caritas liberorum.* Hinc *Posthumius Dictator* Aulum Posthumium, quem ad generis penetraliumque sacrorum successio-

A. Gel. N. A. l. 4. c. 20.

Plerique apud veteres servi Statii *nomine fuerunt.*

Liv. lib. 9.

Lipf. Adm. lib 4. c. 4.

l 19. §. 7 ff. de capt. & postlim.

cessionem propagandam genuerat, cujus infantiæ blandimenta sinu atque osculis foverat, quem puerum literis, quem juvenem armis instruxerat, sanctum, fortem, amantem patris pariter ac patriæ, quia non illius jussu, sed sua sponte præsidio progressus hostes fuderat, victorem securi feriri jussit; & ad hoc peragendum imperium paternæ vocis ministerio sufficere valuit. Hinc etiam *Manlius Torquatus* Latino bello Cos. filium, quod provocatus a Geminio Metio duce Tusculanorum ad dimicandum se ignaro descenderat, gloriosam victoriam & speciosa spolia referentem, abripi a lictore, & in modum hostiæ mactari jussit; satius esse judicans, patrem forti filio, quam patriam militari disciplina carere. Inde & *contemptus periculorum & hostium*; & in medios illos vel confertissimos, si dux misisset, sine cunctatione etiam paucorum irruptio. Et vultis nominatim *L. Sicinium Dentatum* aliquem citem? qui centies & vicies in aciem descendit: sex & triginta spolia ex hostibus retulit: octo ex provocatione occidit: quinque & quadraginta vulnera pectore excepit, tergo nullum. Vultis *Cassium Scævam?* qui in Britannico litore cum quatuor commilitonibus in scopulo relictus, postquam æstus regressu suo spatium, quo scopulus & insula dividebantur, in vadum transitu facili redegit, ingenti multitudine barbarorum affluente, cæteris rate ad litus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, multos hostium dejecit, aut interfecit: denique armis suis

Val. Max. l. 2. c. 2.

Val. Max. l. 3. c. 2. Plin. H. N. lib. 7. c. 27.

onuſtus, ſolo ſcuto abjecto, in mare ſe dedit, & ad Cæſarem natavit; qui ſtupens ad viri virtutem laudare parabat; at ille diſciplinæ memor, *Da veniam Imperator*, inquit, *quod ſcutum reliqui.* & idem *Scava* in Pompejano bello ad Dyrrhachium caſtello præpoſitus, ſolus in porta conſiſtens contra hoſtiles legiones & copias id ſervavit: quo tempore oculus ei effoſſus, humeri trajecti & femur, ſcutum centum triginta ictibus perforatum. An vultis illos, qui primo Pyrrhi prælio ab elephantis obruti ſunt? quorum omnium vulnera in pectore: quidam hoſtibus ſuis immortui: omnium in manibus enſes, & relictæ in vultibus minæ, & in ipſa morte ira vivebat. Aut mavultis *duces*! parentem illum *Romulum*; *M. Furium Camillum*, parentem meum alterum; *Horatium Coclitem*, totum Hetruſcorum ponte ſublicio in urbem irrumpentium agmen, donec poſt tergum ſuum pons abrumperetur, indefatigabili pugna ſuſtinentem; *Fabricium*, nec auro vinci, nec veneno vincere idoneum; *M. Curtium*, equo maxime exornato inſidentem armatum, in vaſtam voraginem ſe immittentem; *Decios* devotis corporibus in hoſtem ruentes; *L. Papyrium Curſorem*, magno Alexandro parem; *M. Claudium Marcellum* igneo impetu, *Q. Fabium Maximum* ſalubri tarditate, *P. Scipionem Africanum priorem* divina felicitate, & *poſteriorem* divina virtute, viros; *Pompejum magnum*, Aſiam ultimam provinciam accipientem, eandemquè mediam patriæ reddentem; *M. Vipſanium Agrippam*, victoriarum Auguſti inſtru-

Val. Max. l. 3. c. 2. Lipſ. Adm. l. 4. c. 4.

Suet. in Iulio, c. 68. Florus lib. 4. c. 2.

Fl. l. 1. c. 18.

Lipſ. Adm. l. 4. c. 4.

ſtrumentum; deniq; &(ne ex innumeris plures enumerem) caput & culmen, C. *Iulium Cæſarem*, fortuna, peritia, magnitudine, & celeritate animi ſuper omnes, qui arma tractarunt, aut tractabunt? Ac licet interdum factum ſit, ut clades ſenſerim: tamen

nunquam ſuccubui damnis, & territa nullo Claudian.
vulnere, poſt Cannas major Trebiamq; fremebam.

Minuit ſpem *Annibalis*; quod, cum ipſe ad mœnia urbis armatus ſederet, & ad unam portam pugnaret, ego altera milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ emiſi: & ultra modum indignatus eſt; quod per eos dies agrum, in quo ipſe caſtra haberet, veniiſſe, nihil ob id diminuto pretio, ex quodam captivo cognovit; nimis ſuperbum atque indignum facinus reputans, ejus ſoli, quod ipſe bello captum poſſideret haberetque, inventum in urbe obſeſſa emptorem. Quid *Pyrrhus*? Ille in Italiam venerat cum novi generis gentiſque copiis, & inprimis inaudito terrore elephantum. victor grandibus prœliis erat, Italiam percurrerat, & a trigeſimo pene lapide urbem proſpexerat. Quid mei cives? trepidant ſcilicet & pacem petunt? Imo oblatam ultro reſpuunt, & legatos ejus cum animoſo hoc reſponſo dimittunt: *Pyrrhus Italia cum copiis excedito: ubi exceſſerit, de pace, ſi volet, agito: ni exceſſerit, arma, & viros, & aciem exſpectato; neq; deſtituros ab incepto ſe, etiamſi ſexcentos Lævinos pugna viciſſet.* Quod ſi cæterarum inſuper virtutum hic agere delectum, & per tot togatæ & domeſticæ felicitatis admiranda exempla diſcurrens heroum velim

Liv. dec. 3. lib. 3.

Lipſ. Adm. lib. 4. c. 5.

velim enarrare ſeriem; nec vobis ſatis aurium ſu-turum ſit ad audiendum, nec ſatis animorum ad capiendum. Ego vero poſtremo illa ſum, quæ *lingua* meæ *Latina*, Græcam quoque denſitate enthymematum & ſententiarum brevitate ſuperantis, familiaritate & communione, omnes prope gentes ad colloquia, ſocietatem, & commercia invicem obſtrinxi. Nam quamvis cives mei initio linguam ſuam communicaverint ut beneficium; & Cumanis, Oſco populo, petentibus permiſerint, ut publice Latine loquerentur, præconibuſque Latine vendendi jus eſſet; poſtea tamen cum coloniarum miſſu, tum civitatis auctu, & linguæ uſum diffuderunt, ea quidem auctoritate, ut tunc non tam præclarum, ſcire Latine, quam turpe neſcire; neque tam Oratoris boni, quam civis Romani proprium viſum fuerit. Imo illius linguæ meæ ignorantia alicubi periculo fuit: ſiquidem Imp. Claudius ſplendidum virum, Græciæque provinciæ principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo albo judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Quin ſanxerunt Romani mei; ne Legati quidem gentium exterarum in curia, niſi per interpretem loquerentur, iiſque Latine ſemper reſponſa darentur. ſicuti & Præſides provinciarum, aut Prætores, Latine tantum jus dicebant: & quicquid publice geſtum, Latine elatum, etiam Leges Beryti in Syria publica autoritate doctæ ea lingua. Vnde & illa farrago vocum forenſium & militarium Romanarum, quæ ſermoni Græco

Theodoret. l.5. de curatio. Græc. aff.

Plutarch. in Quæſtiõib. Plat.

Liv. lib. 40.

Schard. in Lexico. in v. *Latine loqui.*

Sueton. in Claud. c. 16.

Lipſ. de pronunc. L. L. c. 3.

Caſaubon. Ex. 9. ad Baron. ... in Gloſſ. Græco. b.

co & Syriaco reperiuntur insertæ : ut vel ex Novo Testamento apparet. Atque hæc Latii sermonis veneratio tanta perennavit constantia, ut hodieque non uni alicui nationi, aut magno imperio, sed toti orbi sit communis; adeoque popularis vester, Imp. Carolus IV in Aurea Bulla Electorum filiis illius studium merito commendarit Cesso dicere; sed certa, vos illud poetæ mei memori pectore sæpicule repetituros:

Con fiorino, Latino, & buon roncino, in ogni pae se si truova il camino.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ:
natura hic posuit, quicquid ubique fuit. Propertius.

Hæc *vetus* est illa ROMA, Auditores; *communis nostra patria*; *in qua non minus, quam in propria patria Philosophi olim immunitate fruebantur*; tanta communis & propriæ patriæ inter sese necessitudine, ut *cui patria interdictum erat, etiam urbe abstinere debuerit* : quæ licet ceciderit, tamen adhuc jacet magna; nec magis contemnitur, quam cum ædium sacrarum ruinæ calcantur, quas religiosi æque ac stantes adorant. Et nonne *Imperatoris* nostri *Romani* augustissimum cognomentum & omnium dignitatum summa, ab illa dependent? Salve vero etiam ROMA *nova*, quæ si non es prisca illa major, es tamen melior; si non cultior, es sanctior. Mira Dei benignitas in hanc urbem! cum amphitheatra, theatra, circos, thermas, nec pauca alia gentilitia giganteæ profecto molis opera damnavit tenebris; quamplurima vicissim Christianæ pietatis splendidissima monumenta, xenodochia, nosocomia, cœnobia, templa, (inter quæ maxime illu-

l. 33. ff. ad municip. l. 6. §. 11. de excus.

l. 7. §. 17. ff. de interd. & releg.

Seneca ad Helv. c. 13.

illustre est *Vaticano-Petrinum*, præcipuum Vrbis & Orbis.) & tot alia θαυμάσια reposuit: cum legionum vim abstulit, legum & religionis attribuit; cum armis imperare amplius noluit, sacris præfecit: & sic quoque fecit eam columen & verticem rerum, decus & tutelam universi; & solam *patriam omnium communem*. Romana enim Ecclesia est illa Catholica, *quæ non modo tot Regum ac Principum, sed quod longe præclarius est, omnium Sanctorum communis Mater; & in cujus gremio mori felicius est, quam ab initio nasci: cum non nasci satius sit, quam in hac non mori*. Proinde merito tot tantisque fulget privilegiis: nec solum laudatur omnium Ecclesiarum caput: *cui nolle primas dare, vel summæ impietatis, vel præcipitis arrogantiæ sit*: verum etiam ipsum caput Romanæ Ecclesiæ, PAPA, audit Episcopus Vniversalis, Christi vicarius, & Petri Apostolorum Principis successor; solusque inter omnes Episcopos *sanctissimus & beatissimus appellatur*. Enimvero hic est, qui Christi mandatum istud, *Pasce oves meas*; qui claves regni cœlorum, potestatem solvendi & ligandi, cum Petro accepit: hic est, quem Europa, Asia, Africa, quem America & ipse novus Orbis suspiciunt, & a cujus oraculo solliciti pendent omnes: hic est Rex Regum magnorum potior, & majorum maximus, & maximorum regnator. Equidem præsente Papa omnes Principes quantumvis magni, alti, & potentes; decrescunt & fiunt secundi, aut ulteriores; cunctis primatus illius sic observantibus, ut

Est gnome e Testamento I. Samoiscii Pol. Cancell.

Stapleton. In Admir. l. 1. c. 9. ex Augustino.

Scapp. de jure nõ scr. l. 1. c. 32.

Lipsi. in præf. ad. Senec.

ut nec in minutulis ceremoniis contra illum vel tantillum peccent. Apud aliquos Reges usus obtinet, ut indicto colloquio major semper veniat prior in locum conventui assignatum. Qua in re *Franciscus I Gallorum Rex*, ut *Clementi VII Papa*, Massiliam ad se venienti, testaretur humilitatem suam; non modo quicquid ad tantum hospitem excipiendum necessarium vel honorificum existimabatur, regio sumptu magnificentissime apparavit; sed & ab urbe paulo longius deflectens biduum aut triduum intranti, & ab itinere se recolligenti dedit Pontifici, antequam ipse Rex ingrederetur, & illi adventum gratularetur. Eundemque honorem primi introitus exhibuit & *Imperator Carolus V* eidem *Clementi VII* Bononiæ, cum ille Romani Imperii coronam accepturus huc profectus esset. Quare etiam, ne quis peccaret in sanctitatem & illam dignitatis Pontificiæ amplitudinem; formulas ceremoniarum majorum nostrorum providentia laudabili instituto publicavit; in quibus & ista capita continentur: *Nemini omnino mortalium Papa reverentiam facit, assurgendo manifeste, aut caput inclinando, seu detegendo: tantum Romanorum Imperatori, postquam illum sedens ad osculum pedis & manus suscepit, aliquantulum assurgit; adq; osculum mutuo charitatis amplexu illum benigne recipit*: & illud: *Omnes homines, cujuscunq; sint dignitatis & præeminentiæ, ut primum in conspectum Papæ veniunt, distantibus spatiis, ter debent ante illum genua flectere, & ejus pedes osculari*: & hoc: *Quando Papa per*

M.Montan. lib. 1. c. 19.

Mornæ in Hist. Papat.

per ſcalam adſcendit equum, major Princeps, qui præſens adeſt, etiamſi Rex eſſet aut Imperator, ſtapham equi Papalis tenere debet, & deinde ducere equum per frenum aliquantum: & iſtud: *Si Pontifex non equo, ſed ſella veheretur; tunc Imperator vel Rex, ſi quis adſit, debet ipſam ſellam cum Pontifice humeris ſuis ſuſtinere & portare aliquantulum:* & illud: *Imperator in convivio aquam Papæ manibus ad lotionem præbere, & primum ferculum portare debet, &c.* Sed quid Principes aut homines loquor? Ipſi aerei, terreni, inferi ſpiritus ſive genii verentur ac trepidant, & cœleſtem illam in terris poteſtatem vel inviti ac reluctantes agnoſcunt. Non tamen pro Papatu ſatis ſic dixi. Papatus majeſtas tantis ſummi ſplendoris radiis lucet, ut veterem Romanæ magnitudinis gloriam tantum non hauriat & abſumat omnem. Olim pro magno fuerat, Regum quorundam humile obſequium, & adulationi propior ſui demiſſio. Nam *Adherbal Numidiæ Rex*, ſe ſe *Romanorum procuratorem* appellavit. *Eumenes Pergami Rex*, fuſo ac mortuo Mithridate Ponti Rege, Romam venit, ac pileum geſtans, acceptam populo Romano libertatem tulit. *Pruſias Bithyniæ Rex*, quoties Senatum ingrederetur, limen deoſculari conſuevit, ſe *mancipium Senatus* vocans; tametſi æquo fœdere cum Romanis ſocietatem contraxiſſet. *Tiridatem* autem *Armeniæ Regem* Nero admiſit ad genua, allevatumque dextra exoſculatus eſt; dein precanti, tiara deducta, diadema impoſuit. Ita in honorem *Auguſti*, Reges

Fr Hotom. in Br. Fulm. ex l. 1. Cerem. Pōtif.

Lipſ. in pręf. Adm.

Bod. de Re. l. 1. c. 9.

Suet. in Nerone. c. 13.

ges amici atque ſocii, & ſinguli in ſuo quiſque regno Cæſareas urbes condiderunt; & cuncti ſimul, ædem Jovis Olympii, Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi ſumptu, genioque ejus dedicare deſtinaverunt: ac ſæpe regnis relictis, non Romæ modo, ſed provincias peragranti, quotidiana officia togati, ac ſine regio inſigni, more clientium præſtiterunt. Atqui Pontifex, quem Turcæ *Rum-beg*, id eſt, Romæ Principem aut dominum, non vano titulo nominant; & Legati Perſici ſolicitandorum contra Turcas auxiliorum gratia miſſi, Sixtum V Papam *Rum-ſchach*, ſive Romæ Regem, ante aliquot annos dicebant; Pontifex, inquam, Romanus pleroſque mundi magnos Reges ac Principes ad quævis obſequia & ſervitia multo habet paratiores ac promptiores, qui etiam in beneficii non exigui parte collocant, ad *oſculum* ſaltem *pedum Papalium* admitti. Ecquid juvat audire exempla? *Ioanni Papæ*, Theodorici Arriani Italiæ Regis ad Imp. Juſtinum legato, Conſtantinopolim advenienti Imperator ipſe cum univerſa civium multitudine ivit obviam, ad pedes ejus venerabundus procubuit, ad templum deduxit, ibique Auguſtalibus inſignibus depoſitis ab illo ſupplex petiit, ut denuo ſe ſolenni modo inſigniret. Nec minus honorifice Imp. Juſtinianus *Conſtantino* Pontifici Nicæam Bithyniæ ſe conferenti occurrit; cum de more coronatus, illius pedes oſculo veneraretur. Quid dicam de Pipino Rege, qui *Stephanum II*, de Carolo Ma-

Suet. Aug. cap. 60.

Leunclav. in Onomaſt. Turcico.

Stapletonius in Admir. Rom. Eccl. l. 2. c. 4 & Platina paſſim.

gno, qui *Leonem III* in castris ad Lippiam; de Ludovico Pio, qui *Sergium II* & *Nicolaum*; de Friderico I, qui *Adrianum IV*, de aliis Imperatoribus ac Regibus, qui alios Pontifices eodem honoris genere humiliter prosecuti sunt? Duorum etiam simul Regum, Ludovici VII Francorum, & Henrici II Anglorum, Tociaci ad Ligerim convenientium, erga *Alexandrum III*, humilitatis singularis affectus plane memorandus est: qui obviam adventanti Pontifici progressi, ac veluti stratoris functi officio, dextra laevaque equum illius tenuerunt, ad hospitium usq; comitati. Quid? quod Pontifici suo jure talia servitia & officia requirere, tanquam debita licet: cum is unus & solus vere liber Princeps sit, & nemini hominum ad actionum suarum rationes reddendas obstrictus; & tamen in omnes alios terrae Principes, ut *Paulus IV* Albano respondebat, utpote se inferiores ac sibi subjectos imperium exercere, & proinde ab illis rationes exigere possit. Quae vero haec est libertas, quae haec potestas; *Reges facere, & Regibus imperare posse?* Quis non legit, *Leonem III* a Graecis in Germanos Occidentale Imperium transtulisse, & Carolum Magnum diademate Augustali ornavisse, primumque Occidentis Imperatorem creavisse? Quis ignorat, hujus tanti beneficii virtute etiamnum Germanos sedi Apostolicae ad omnem gratitudinis memoriam obligari? Quis dubitat, *Papam superioritatem habere in Imperium, & vacante Imperio Imperatori succedere*; sicque ipsum Impe-

Baron. Annal Eccles. ad A Chr. 1162. Num. XII. ex Roberto de Monte.

A. Ch. 1556. Th. H. l. 17.

Staplet. Admir Rom. Ecc. l. 2. c. 1.

Clē. Pastoral de re judic.

Imperatorem ad præstationem juramenti fidelitatis & obedientiæ teneri? Et quem fugiunt *Adriani IV Papæ* ad tres Electores Ecclesiasticos scribentis verba? *Romanum Imperium*, inquit ille, *à Græcis translatum est ad Alemannos; ut Rex Teutonicorum non ante, quam ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur: ante consecrationem Rex, post Imperator. Vnde igitur habet Imperium, nisi a nobis? Ex electione Principum suorum habet nomen Regis: ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris, & Augusti, & Cæsaris. Ergo per nos imperat, &c. Imperator quod habet, totum habet à nobis. Ecce, in potestate nostra est, ut demus illud, cui volumus: propterea constituti a Deo super gentes & regna, ut destruamus & evellamus, & ædificemus & plantemus.* Et creandorum Regum potestati non modo vetera exempla adstruunt fidem plurima, quæ in *Admirandis Romanæ Ecclesiæ* habet Thomas Stapletonus: sed & nostro ævo accidit, ut duo magni Duces, Moschoviæ unus, in Italia alter, Sanctam Sedem pro coronæ regiæ impetratione votis ac precibus diu tentaverint. & quidem hunc alterum *Cosmum Medicem*, Florentiæ Principem, *Pius V* solennibus ceremoniis *Hetruriæ magnum Ducem* inauguravit; tametsi id ægre tulerit, & interturbare voluerit Imperator Maximilianus II, Philippus II Hispanorum Rex, & alii. Quibus rebus facile intelligitur; quot & quanti Principes Pontificum Romanorum majestatem revereri, seque vasallos ac subditos sanctæ Sedis profiteri debeant? Exstant in Archi-

c. tibi domino. Dist. 63.

Avent. An. Bojor. l. 6. Mornæus in H. Pap.

I. B. Hadr. histor. l. 20. & 21.

vis & publicis actis curiæ Romanorum Regum vasallorum nomina, hoc ordine posita: *Reges Neapolis, Siciliæ, Aragoniæ, Sardiniæ, Hierosolymorum, Angliæ, Hiberniæ, Hungariæ*: quæ descriptio vetus est eorum Principum, qui ante annos CCCC fidem & obsequium Pontificibus Romanis exhibuerunt: sed hodie non valde erraverit, qui, non ita anguste cum Steucho omnia Europæ tantum regna Papæ beneficiis adscripserit, verum totum terrarum orbem S. R. Ecclesiæ peculium, D. Petri patrimonium, & nunc *Pauli V.* Proregis cœlestis & *Vicedei* Principatum appellaverit. Cum autem hac ratione *Papa* totius mundi sit Ephorus, *omnium hominum judex*, ipse judicandus a nemine: (*aliorum hominum causas*, ait Symmachus Papa, DEUS *voluit homines terminare, sed Sedis istius Præsulis suo, sine quæstione, reservavit arbitrio*) ita quoties Christianæ Reip. salus postulat, etiam ille justitiæ securim convertit in Principes, DEO, Religioni, & populo graves aut pernitiosos; corripiendo, coercendo, censuris Ecclesiasticis castigando, ac demum, ne per unius malitiam pereant omnes, penitus ab impia administratione removendo. Et quemadmodum olim de Scipionum gente celebre dictum fuit; *natam eam ad Carthaginem vincendum*: sic prorsus Romanæ sedis potestas divinitus ordinata fuit, ad impios & noxios Principes vel mitigandum, vel domandum. Itaque Philippum I Christianum Imperatorem, Imperiali licentia peccantem, *Fabianus* ab Ecclesiæ ingressu prohibuit: Imp. Arcadium itidem delinquentem

Bod. de Re. lib. 1. c. 9.

Tort. Torti p. 219. &c.

c. 9. q. 3.

Staplet. in Adm. Rom. Ecc. l. 2. c. 3.

Inno-

Innocentius I fidelium cœtu expunxit: Imp. Anastasium I Eutychianæ hæresi acriter patrocinantem *Anastasius II* similiter excommunicavit; Philippicum Iconomachum, in Oriente in Catholicos grassantem, *Constantinus* Papa non excommunicavit modo, sed etiam, ne numi aut imago ejus Romæ reciperentur, mandavit: Leonem Isaurum pariter in imagines insane furentem *Gregorius III* & a piorum communione diremit, & ab ejus obedientia Italiam totam abstraxit. Imperatorem autem Henricum IV, & Boleslaum II Poloniæ Regem, *Gregorius VII*; Imperatorem Ludovicum IV Bavarum *Benedictus XII*, Imperatorem Othonem IV *Innocentius III*, Imperatorem Fridericum II *Innocentius IV*, Joannem Angliæ Regem *Innocentius III*, ab Imperiali & Regali fastigio depulerunt. Quinetiam Robertum Siciliæ Regem, ab Imperatore Henrico damnatum, *Clemens V* absolvit, regnoque restituit: & *Vrbanus V* Henricum spurium Castellæ Regem natalibus restituere non dubitavit, ut Petrum fratrem ejus justis nuptiis quæsitum, sed tyrannum (quippe qui complures honestissimos viros ad supplicium rapuerat, & sua ipse manu plerosque interemerat, & inter hos etiam uxorem suam ex familia Ducum Borboniorum) de regno deturbaret. Nihilo etiam remissius Pontifices pro jure suo velitati sunt adversum Imperatores nuperos. Cum enim Imperator Carolus V Concilium Tridenti inchoatum, ibidem continuari cuperet, & Patres, qui ob fe- Frossar. l. 1.

bricitam quandam, aut aeris vitium, Bononiam discesserant, Tridentum reverti vellet; Francisco Varga & Martino Velasco legatis Cæsaris interminantibus, si recusent redire illi, se Cæsaris nomine & jussu Synodi translationem frivolam & illegitimam, quæque in ea fient, nullius esse momenti profiteri: tum Montanus, Concilii Præses a Pontifice *Paul. III* delectus, de voluntate Patrum multa graviter elocutus DEUM testatus est,
Th. H. l. 5. *se paratos extrema quaq; ac mortem denique potius oppetere, quam adeo pernicioso Ecclesiæ exemplo pati, ut civilis magistratus pro arbitratu synodum cogat; Cæsarem nempe non dominum aut magistrum, sed Ecclesiæ filium esse, se vero & collegas, qui adsint, R. sedis legatos esse, penes quos ordinandi & transferendi Concilii jus sit.* Veruntamen majestatem Papatus contra Imperatorem Ferdinandum defendit *Paulus IV* haut paulo severius. Nam cum Imperator Carolus V per legatos, Arausionensem, Seldum, & Hallerum, Francofurti Imperatoriam dignitatem ejurasset, omni jure suo in
Th. H. l. 21. fratrem Ferdinandum Romanorum Regem translato: novus Cæsar, ut antiquam erga sedem Romanam officio consueto observantiam testaretur, Martinum Gusmannum supremum Camerarium ad Paulum IV misit, qui eum de Caroli fratris abdicatione, & inauguratione in Augustum sua, plenius edoceret. Sed Pontifex, qui legationis causas subodoratus erat, re purpuratis patribus ad deliberandum proposita, Gusmanum audire noluit, caussatus, *Carolum apud nullum, nisi se Pontificem,*

Cæsa-

Cæſaream dignitatem ejerare, nec Ferdinandum eam citra conſenſum ſuum accipere potuiſſe: tamen acriter admiſſionem urgente Guſmano, tandem is non publice, ſed privatim, tanquam legatus Cæſareus auditus eſt. Magna, Auditores, magna res eſt Romanæ Eccleſiæ & Papatus autoritas: & ut Iſthmus ille inter Ægeum & Ionium mare vetat undas concurrere, & miſceri: ſic illa omnium Principum ac populorum hinc inde frementium impetus & aſſultus frangit ac ſiſtit, ne terminos juris ſui cum aliena injuria evagentur. Vbi tamen ſingularis & prorſus inæſtimabilis elucet *Collegii Cardinalium* opera; virorum, ſi numerum ſpectemus, qui Leonis X temporibus vix quinquageſimum ſuperarint, & ſi Onuphrio Panvinio credimus, ſeptuageſimum nunquam attigerint; ſed quem Sixtus V promulgato diplomate definivit, ut non plus LXX eſſent, tantumque in Xbri jejunio juxta Clementis VI conſtitutionem crearentur, æquata inſuper eorum Regibus ac Principibus dignitate: ſin ingenii fructus & virtutum elogia componamus, heroum, quibus vel nobilitate illuſtrius, vel eruditione præſtantius, vel ad res gerendas prudentius ſol nihil unquam viderit. Si vetus ille Cyneas redeat, & hunc purpuratorum Senatum contempletur, non dubito, animum & verba ipſi defutura ad inducendam comparationem. Atque hunc perennem conſiliorum ſalutarium fontem, nunquam deſerit inexhauſtum *Eccleſiæ Romanæ ærarium*, ſi viribus externis opus ſit. Nam,

Staplet in Adm. Rom. Ecc. l. 2. c. 13.

ut Itali loqui amant, *Al Papa non mancano mai denari, quando non manca la mano & la penna.* Itaque cum Papa Pius V fœdere A. C. 1571. cum Philippo Hispaniarum Rege & Venetis adversus Turcam icto, quo onera ita partita erant, ut dimidium sumptuum faceret ipse Philippus, alterius dimidii duas tertias Veneti, reliquam tertiam Pontificium susciperet ærarium; & vero negaret Pius, se plus quam sextæ unciæ sibi assignatæ tertiam partem conferre posse, ærarii inopiam caussatus; Michael Surianus Patritius Venetus acriter reclamabat, ac dicebat, ridiculum esse, Pontifici Romano deesse pecuniam, qui omnium facilimam illius expediendæ viam habeat. In ore enim omnium esse; *Nullum opulentius vectigal toto terrarum orbe esse Pontificis calamo; cujus simplex ductus quantumvis immensam pecuniæ vim momento pariat.* Imo si alia redituum, vectigalium, tributorum, ex bonis patrimonialibus D. Petri adminicula absint omnia: quis facile rationes contulerit, quantum numorum Pontifex ex *centum triginta Archiepiscopatibus, & mille septem & decem Episcopatibus*, (qui numerus jam dudum tantus fuit; & hodie præsertim additis Indicis, sit multo major) conquirere possit? Aut si calculus *Pauli IV* Pontificis, qui ante annos plus minus sexaginta vixit, nondum tot Ordinibus inventis, qui postea sunt excogitati, allubescit: Ille pactis inter Imperatorem Galliæque Regem induciis, ut & ipsos & cæteros Christianos Reges, Principes, Resque publi-

Th. H. l. 49.

Staplet. d. l. & adde Cardin. Iacobatium de Concil. l. 5 art. 7. col. 6.

blicas ad bellum Turcis inferendum permoveret, hanc etiam conficiundæ pecuniæ ad belli impensas necessariæ rationem commonstrabat; cum *cœnobiorum*, in quibus monachi vivunt, *CXXXXIV millia, parochiarum* vero *CCLXXXVIII millia* reperiantur, ut unumquodque monasterium quotannis senos aureos cum dimidio; parochiarum vero singulæ annuos quinquaginta duos conferrent. Sic enim quotannis *XV milliones & DCCCC & XII millia aureorum*, id est, *florenorum Rhenensium plusquam XXXI milliones* confectum iri. Vnde conjectu difficile non est, quantum animos Gentilium commoveri oporteat, cum tantas a Pontifice, si velit, fortissimorum militum copias cuicunque hosti objici posse intelligunt. Si enim ex unoquoque monasterio non nisi decem eligantur: (sunt autem plurima monasteria, quæ multo majorem robustissimorum fratrum numerum præberent, ex quibus cæterorum paucitas facile suppleretur) ex illis CXXXXIV monasteriorum millibus *exercitus* conficietur *unius millionis & quadringentorum quadraginta millium*: in quo non tam numerus, quam ipsum genus sive qualitas militum admirationem mereatur. Nam erunt plerique omnes, major quidem certe eorum pars, vigiliis, jejuniis, frigori, laboribus assueti, & Pontifici non aliter, quam ipsi Deo, religioso obedientiæ sacramento auctorati, ut pro ipsius autoritate uri, vinciri, ferrum jugulo excipere non modo non recusent, sed vel in maximæ felicitatis loco

Casaebon. Exerc. 8. ad Ann. Eccl. Baron. Scioppius in Eccl. c. 62.

numerent. Et quis unquam post homines natos Rex aut Imperator usquam fuit, qui cum hac Pontificis potentia, & cum ejusmodi non tantum in corpora fortunasque, sed etiam in voluntates ac pene cogitationes omnes imperio, vel minima ex parte comparari posset? Hoc ad extremum dicam, & ingratus sim, si quod nominatim in scholas a Pontificibus collatum est beneficium, hic sileam. Ecquod illud? Summum, & geminum. Alterum, quod præcepta justitiæ omnibus seculis componendo *Ius Canonicum* promulgaverunt: alterum vero, quod plerisque orbis Academiis sua privilegia, potestatem & autoritatem, liberalissime concesserunt; gloria tanti facinoris tam illustri, ut quicunque Gradibus scholasticis & præcipue *Iuris utriusque Doctoribus* habeatur honor, semper potior pars laudum in Pontificiam magnificentiam redundet. Verum Scaurus ajebat olim; *Non minus magnam virtutem esse scire desinere, quam scire dicere.* Ac scimus, Consule M. Catone diem dicendo eximente, Cajum Cæsarem Consulem viatorem vocasse, eumque, cum finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem duci jussisse. Finio igitur: ac licet, illustrissime Princeps, ea omnia, quæ retuli hactenus, tantummodo sint ex immenso rerum dicendarum inventario deprompta pauca quædam capita, quorum pleniorem pertractationem hæc temporis angustia non capit: vi tamen rationum & veritatis potentia convictus, *Italiam* nunc jam cum Dionysio Halicar-

A. Gell. N. A. l. 4. c. 10.


licarnassæo *totius orbis optimam*, cum Mamertino Panegyriste *gentium dominam*, cum P. Rutilio Numatiano *dominam rerum*, cum Æthico *cœlestem mundique reginam*, hic pronuncio habeoque.

PRINCEPS

FRIDERICVS ACHILLES, &c.

DIC TV

GEORGI KOELDERERE.



ORA-

ORATIO GEORGII Költderer von Höch/ contra ITALIAM.



ERUNT PHILIPPUM Decium, JCtum, postquam juris utriusq; Professionem Pisis, Senis, Florentiæ, Patavii, Ticini, & Avarici Biturigum, ad annos sexaginta quinque sustinuerat, tandem sic emarcuisse senectute, ingenio ejus veluti contabescente, ut nullius Legis aut Paragraphi ex jure Romano recordaretur amplius, & difficulter quicquam Latine proloqui posset: atque ea causa, ut *Ioanni Corasio*, Anno Christi cIↃ IↃ x x x v I[10] in Senensi Academia Doctoratus insignia debita & consueta solennitate conferret, alium quendam e collegis prodire oportuerit, qui verba solita nuncuparet. Pariter etiam *Francisco Barbaro* in extrema & decrepita senecta literarum Græcarum obrepsit oblivio, in quibus tamen antea excelluerat. Vti & *Georgio Trapezuntio* sub vitæ finem utriusque linguæ, tum Græcæ tum Latinæ, scientia penitus excidit. Et olim *Messala Corvinus*, orator, tantum

V. Forster. H. jur. civ. Rō. l.3.c.39.

Coras. ad Arrest. Tolos. de M. Guerra, n. 35. Menoch. l.6.præs.45. n.13. &c.

Iov. in elog.

tum memoriæ detrimentum passus est, ut etiam nominis sui fuerit oblitus. Idem vero, illustrissime Princeps, pronunciare hic possum de Italia hodierna: quæ ut fuerit aliquando orbis magistra & regina, & tantum non mole virtutum atque fortunæ laboraverit; tametsi & prisca illa felicitas multas ob causas bracteata dicenda sit: hodie tamen senili delirio & pediculari quasi omnium vitiorum morbo ita jacet prostrata, ut deperdito propemodum vitali bonæ mentis spiritu antiquæ majestatis atque gloriæ nec habeat umbram. Quemadmodum igitur nonnulli veteris Romæ magnitudinem æstimant: aut ex illo *incendio*, quod Nero, condendæ novæ urbis, & cognomento suo appellandæ gloriam quærens, excitavit; *quo urbs per novem dies arsit*; Nerone interea ipso tempore flagrantis urbis domesticam scenam ineunte, atque flammæ pulchritudine ἅλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantante: aut ex *peste* illa, quæ Imperatoris Titi Flavii Vespasiani temporibus urbem afflavit, *qua per singulos dies decem millia hominum* in Libitinæ rationem venisse scribuntur: vel, sicuti Heliogabalus servis imperavit, ut omnes *araneas* colligerent in Vrbe; qui cum conquisivissent ad *decem millia pondo*, subjecit ille; *vel hinc intelligendum, quam magna Roma sit*: Sic ego nunc magnitudinem Italiæ ab malorum tantum copia & immani vastitate dimetiar; & planum faciam; non solum terram Italicam pro tua, *Laurenti Wensini*, opinione, non sic fertilem & bea-

Plin. H. N. l. 7. c. 24.

Tacit. Ann. lib. 15. & ibi Lips. Suet. in Ner. c. 38.

Euseb. in Chronic.

Lamprid. in Heliog.

N. Macchiavel. Disp. de Rep. l. 1 c. 55.

beatam, verum etiam nationem totam tot infa-mibus sceleribus coopertam esse; ut vix ibi ulla virtutis vestigia jam supersint. Junonia avis, ubi colorem & plumas circumspexit, sibi placet & fidit; dejicitur, cum ad pedes se dejecit: tu vero mi Wensini, aspexisti Italiæ coloratas cristas duntaxat, & confidenter illi principatum detulisti; si ad sordes & vitia gentis illius judicii bilancem aptare volueris, crede mihi, jactationes tuæ cito evanescent. Fabula est, optime Princeps, sed quæ pertinaci imperitorum credulitate fere abiit in historiam; *Italiam bonitate & divitiis omnibus mundi regionibus præstare.* Quem tamen errorem

Relat. Vniv. p. 2. l. 2. de China.

Joannes Boterus[a], Italus Scriptor, bene refutavit; populares suos imprudentiæ accusans, quod non animadverterint, duas tertias Italiæ partes nullis interlui fluminibus navigabilibus; quartam autem partem occupari Appenino, monte plerunque aspero & sterili; & insuper Galliam, Hungariam, Belgium, Austriam, provincias undiquaque opimas, pingues, feraces, Italia beatiores esse. De *Austria* dubium non est; quam *Antonius Bonfinius*[b], & ipse Italus, non obscure antepronit hisce verbis, in Viennæ descriptione: *Villæ circum amœnissimæ, ubi elaboratissima spectantur ædificia: neque aviaria, piscinæ, cæteraque vivaria desunt: montium appendices, vicorum castellorumque frequentia viatores admodum oblectant. Cum Viennensem Neapolitanumque agrum attigeris, in planitiem longe lateque diffusum; hunc omnibus latius & amœnis regionibus tractum sine controversia facile arri-*

rel. Vngar. dec. 4. l. 5.

rese-

teferas. si qua hic quies & otium tuum inveniri posset, POTIUS AUSTRIAM, QUAM ITALIAM OPTARES. Celebratissimæ autem Italiæ fertilitati nimium quantum detrahunt, *Liguria*, omnium rerum a natura sterilitate & paupertate damnata regio; in qua ægre tantum frumenti corradere possent incolæ, quantum ad bimestre quotannis satis sit: atque *campi Veronensium* inculti & lapidibus horrentes, maximis summorum ducum aliquot victoriis aut cladibus famosi: nec non *Laumellina regio eruca infamis*. Oritur enim in Alagniæ finibus, ineunte æstate, a tellure edax eruca, volitansque vites invadit, depascitque folia; quibus ablatis arescunt jam exiles & immaturi racemi, sine umbra relicti. Desinente postea æstate eruca rursus tellurem ingressa fœtus edit & recondit; deinde vertitur in vermiculum annulari digito minorem, quem aratrum agentes bubulci sæpe detegunt ac perimunt; at minime tamen fœtus disquirere ac perimere possunt. Nam æstate nova adveniente renascuntur iterum erucæ, alatæque in turmas edito stridore prodeunt, infestantque Alagniæ fines, & in Valligii etiam ditionem ruunt, coguntque incolas sine vinearum ornatu ac commodo vitam ducere. Atque misero experimento comprobatum est, omissa telluris cultura erucam simul perire, sed una cum terræ cultura hanc vinearum pestem statim a natura soli resurgere: ut ita fere non nisi publica communique indicta egestate copiæ hostes arceri queant: quibus tamen præsens interitus

Th. H. l. 5b

Leand. Albi. in Venet.

B. Sactus Ticin. H. l. 4. c. 3.

tus imminet a sturnis, qui uvarum cupidi gulosique coacto agmine in uvarum vastatrices erucas convolant, rostrisque exenterant, sibique & dominis ita vites ab illarum injuria non raro vindicant. Nec melioris notæ est convallis *Veggetia*, in medio longarum faucium & asperrimarum editissimo frigidissimoque situ; quamobrem homines etiam alit agrestes, duros, ingeniis immanissimos; ex quibus est genus illud rude, quod per universam Europam oberrans caminis evertendis operam locat. Quid? Ab urbe Ferraria Bononiam usque inculta via est, absque opidis & pagis; vile tantummodo medio itinere diversorium, quod ad Scalam nominant, & tamen XXX millibus passuum una ab altera urbs distat. Ager quoque *Pisanus*, *Aquilejensis*, *Romanus*, aliique, quot habent aspreta? quot paludes? quot miserabiles ruinarum & desertorum tractus? quæ ibi est aeris gravitas? quæ hominum ibi ob cœli solique infelicitatem jam est paucitas? *Guardati dall' aria di Grosseto, di Piombino, di Pisa, di Sinigallia, di Macerata, d'Arimino, di Cervia, & di Pesaro*: ipsimet diligenter monent Itali. Atque uti Anconæ & Venetiis pestilentiales febres, Ferrariæ autem tertianæ nothæ dominium habent: ita quoque cœli Romani ea hodie est intemperies; ut cives Medicorum suorum jussu circa diluculum & crepusculum abstineant publico, nisi sol splendeat; nec sine causa *Alexander Petronius*, Romanus Medicus, *de tuenda Romæ valetudine*, scripserit. Et ora maritima

Leand. Alb. in Insubr.

I. H. Pflaū. Ferraria. p. 80.

Amat. Lusi. Cur. Med. cent. 3. c. 74.

Merul. Cos. p. 2. l. 4. c. 22.

tima a portu Herculis Terracinam usque spatium centum quinquaginta millium passuum longum; ita ab hominibus est vacuum & nudum; *ut octo millia* habitatorum non connumeret. Credibile tamen est, quemadmodum vina *Veliternina*, inter generosa sui temporis relata à Plinio, nunc degenerarunt, & auctoritatem amisêre suam; siquidem propter cruditatem austeritatemve coqui aheno debent: ut &, quod ad Viterbium nascitur, nisi coquatur, protinus languet ac perit: (imo commune ferme est istud Italico Baccho vitium: & licet alicubi tempus ferat; vix tamen plus annum valet vigetque, nisi arte juvetur: Germanicum nostrum Rhenense, Neccaricum, & cætera nobiliora vina, quis nescit vires à vetustate acquirere, & invalescere durando?) sic passim Italiæ fœcunditatem inepta & lassa tellure decrevisse & mutavisse; ut, quod Iulius Cæsar Scaliger de hodierna Româ dixit ingeniose; *Vrbem illam esse novum acetum pessimum, veteris vini optimi*; idem de hodierna multarum Italiæ regionum fertilitate prædicari possit: adeo ut A. C. 1540mo *mille & amplius colonorum familiæ*, collectis sarcinulis, famem fugientes è Bononiensi, Mutinensi, & finitimis agris, fœcunditatis nomine alioqui summopere laudatis, in Papiense solum commigrarint. Nisi forsitan communis tantum & erronea quorundam opinio contra veritatem etiam olim prævaluerit, ut Italia supremæ fertilitatis laudem consecuta quidem sit, non autem promerita: sicuti Tiberius

Thes. Polit. p. 1. in Rel. Vrb. Romæ.

Plin. H. N. l. 14. c. 6.

Pflaumeri in Viterbio. p. 158.

Pighius in Herc. Prod.

Saccus Ticin H. l. 18. c. 4.

Plin. H.N.l. 14. c. 6. Cæsar dicebat, *consensisse medicos, ut nobilitatem Surrentino vino darent, alioquin esse generosum acetum*; uti id ipsum C. Cæsar, qui successit illi, vocavit *nobilem vappam.* Quanquam aliquibus in locis hominum ignavia, non soli malignitate messis jam est tenuior: cum horum atque superiorum temporum supina turpisque negligentia tam altas apud Italos egerit radices, ut etiam *Anconitanum portum*, propter capacitatem situmque natura & opere veterum tutissimum, inter primos atque pulcherrimos orbis terrarum commemorandum, (quis enim nescit hoc vulgatissimum? Leand. Alb. in Marca Anc. Pigh. in H. Prod. *Vnus Petrus in Roma, una Turris in Cremona, & unus Portus in Ancona*) dum illum æstuantis maris arena oppleri patitur, non parum corruperit. De *metallis* etiam Plinio adstipulari non possum; Plin. l. 37. c. 13. scribenti, *Italiam metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis cessisse.* Cum enim Clementis VII Papæ jussu *Fuccari* nostri evocassent e Germania duos Suacenses, rei metallicæ peritos; ut aliquot Italiæ venas foderet alter, alter excoqueret, diligenti utriusque opera compertum est, venas metallis quidem non carere, sed vix habere tanta, quæ impensis respondeant; ex eis facere lucrum neminem posse. Quare quis in hanc iret sententiam; iccirco vetere consulto Patrum Italiæ parcitum, quod ex metallis tot fructus non caperent metallici, quot agricolæ ex arvis, quæ damnum facerent. Nam si, Plinii judicio, *nulla* Plin. l. 33. c. 4. *fœcundior metallorum tellus*; tantum lucrum non

erat

erat negligendum; præsertim *cum metallum auri vel argenti fertile uno anno plus utilitatis præbeat, quam ager fructuosissimus annis centum.* Addam quoque, *violentam tempestatum vicissitudinem* in Italia ingentes persæpe parere molestias. Et ne ambigentibus obvertam illud: Apenninum nonnunquam nives suas servare diutius, quam nostrum montem Abnobam, Danubii parentem: hyems certe Romæ nihil interdum est mitior, quam Viennæ, Argentinæ, aut Stutgardiæ: & tamen ibidem æstatis fervores tam sunt vehementes, & prævalidi, ut pene omne familiaritatis ac quotidianæ consuetudinis commercium interturbent; ad tædiorum cumulum de die accedentibus muscis, quæ infesto examine facies hominum petunt, & toties flabro frustra exactæ redeunt; de nocte vero cincindulis, quæ insectæ, vulgo *Zanzare* dictæ, vix cubili illato lumine simul adsunt, ac submisso sibilo improbo osculo dormientibus insident, inflictoque fronti vulnere humano cruore saturæ sub lucem abeunt, latentque, rursus sequenti nocte reversuræ. Et quod est gravius: æstus Campaniæ & Neapolitani regni plerunque tam est periculosus, ut Junio, Julio, & Augusto mensibus, usque ad primam Septembris pluviam, ne Regio quidem mandato exciti Nobiles ad peregrinandum cogi possint: afferente præterea Paulo Diacono, Aquilejensi; *Apuliam a perditione nominari, cum citius ibi solis fervoribus terræ virentia perdantur*; & Faccio Vberto ita concinente,

G. Agric. l. 1. de metallis vet. & nov.

In Italia sono troppo teste, troppo feste, & troppo tempeste.

Saccus Ticin. H. l. 11 c. 6.

Zvving. M. Apod. l. 2. c. 12.

lib.3. cãt.1. *Puglia è detta, che' l caldo v' è tale,*
che la terra ne perde alcuna volta
la sua virtude, e fruttifica male:

I. Iov Pont. H. l. 2. & tamen cum Ferdinandus Aragonius, Alfonsi spurius, A. C. 1461. æstivo tempore Trojam obsideret Apuliæ, ipsis solstitii diebus frigoris tam atrox vis subito oppressit omnes, ut necesse fuerit vineta concidi, ac frugiferam quamque arborem, ad ignis castrensis usum. Vt autem alia omnia terræ Italiæ incommoda tacitus transilierim: hoc sine summo dolore concoquere non possum; quod, ubicunque fere bonitate agrorum & fructuum abundantia præcellit, ibi quoque *vitiorum* & omnis pravitatis messis succrescat plerunque copiosissima. *Patavina* quidem regio agro gaudet longe feracissimo: sed id vulgo circumfertur, Zvving. M. Apod. lib. 3. c. 17.

Villanos generat tellus Paduana diablos.

Et Circumpadani in præpingui sunt solo; unde *Crema Cremonaque* nomina; quodque admittat in ima terræ, quantas dimittere radices velint arbores: *sed illorum ingenius ad res novandas nihil levius, aut inconstantius.* I. C. Scal. ad Card. exer. 167. c. 1. *Sicilia*, insula Italica, olim continentis pars, laudes fœcunditatis possidet non vulgares; eamque M. Cato Sapiens *cellam penariam Reipublicæ, & nutricem plebis Romanæ* nominavit: sed Siculi, licet antiquitus Oratoriæ artis, bucolici & rythmici carminum, horologii, catapultæ, illustratæ picturæ, tonsuræ, pellium ferinarum usus, inventores esse perhibeantur, turpibus hisce notis sunt insignes: *Monstra hominum* Cic. l. 2. in Verr. Facell. de reb. Sic. dec. 1. l. 1. c. 6. & 7.

num

rum Cyclopes, Dionysium, Phalaridem, fuisse Siculos: Voracitatis templa plurima in Sicilia condidisse Siculos: Omnes insulanos esse malos, pessimos autem esse Siculos. Calabria cunctis rebus, vitæ ex voto transigendæ necessariis, adfluit: sed eadem habet *Bruttios*; quo nomine Lucani olim vocabant apostatas, rebelles, fugitivos: etsi Nicolaus Perottus sic dictos putat, quod sint homines fœdi, vesani, spurci, bilingues, mendaces: & Alfonsum Regem affirmare solitum accepimus; *Si nullum omnino aliud regnum, nullam provinciam, præter Calabriam, aut haberet, aut habiturus esset, illam protinus se relicturum, privatumque & civem vivere potius velle, quam illorum, qui nihil hominis habent præter figuram, ineptias tolerare, quamvis Dominum aut Regem. Campania* & *regnum Neapolitanum* (in quo regno Bozius numerat hominum omnis ætatis *tricies centena millia*, militiæ aptorum *quingenta millia*, & domicilia *totidem*, urbes autem *mille quadringentas* & *sexaginta tres*) terrarum proventibus luxuriant: sed improbitas hominum illis in locis ita dominatur, ut vernaculum proverbium audiatur passim; *Il regno Neapolitano è un delicado paradiso, ma habitato da gli diavoli.* & testatur Cicero, *Campanos semper superbos fuisse bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine:* atque ex illa copia rerumque omnium affluentia natam arrogantiam, quæ alterum urbi Romæ Consulem e Capua postulavit; & eam luxuriem, quæ ipsum Hannibalem, nivibus atque Alpibus, & armis

Leand. Alb. Merul. Cosmogr p. 2. l. 4. c. 27 N. Perott. in Cornucop.

A. Panorm. in Apoph. Alfons. l. 1. c. 30.

de statu Ita. l. 3. c. 1.

Camer. M. H. Cent. 1. c. 85.

de L. Agrar. contra Rullum.

Sen. Ep. 51.

tum indomitum virum, voluptatum fomentis enervavit. Alicubi tamen cum ipsa natura loci mores Italorum pro malitiæ & improbitatis palma bellum gerere videntur. *Liguria* enim quid asperius? quid horridius? Ligures tamen vocat

Exerc. 274. Iulius Cæsar Scaliger *Cerbereos, sacerrima fide*; & in ora Ligurum nullum fere animal nasci propterea existimat; *quod natura etiam nunc suspensa ju-*

Exerc. 203. *dicium ampliet, cogitetque, quibus artibus eorum scelera, perfidiam, avaritiam, livorem, vanitatem, impietatem, in aliquo animali repræsentare possit. quod quia nondum potuerit excogitare, nondum dare voluerit.* Quapropter in *Genuenses* quoque illa passim jaciuntur dicteria: *Mare senza pesce: huomini senza fede: donne senza vergogna*: hoc est; *illorum mare piscibus, viros fide, fœminas verecundia destitui.* & quod eodem alludit: *I Genouesi hanno virtù cento miglia da lontano*; hoc est; *virtutem a Genuensibus centum milliaria distare.* Vnde iterum Scaliger apposite:

Genuensis osor pacis, ac boni moris:
unus Britannis tetrior Ligur cunctis,
saxicola, pelagicursor, invidus, spurcus,
famelicosus, turpis, archipirata.

Quinetiam in universum, si singulas Europæ nationes inter se componere velimus, mores Italorum, & inter hos Ligurum sunt perversissimi.

Poetic. l. 3. c. 16. *Thraces*, ait rursus pater Scaliger, *Mysi, Arabes, Moscovitæ, Pæones, Hungari, prædones: Illyrii, Liburni, Dalmatæ, jactabundi*: GERMANI FORTES, SIMPLICES, ANIMARUM PRODI-

GI, VERI AMICI, VERIQUE HOSTES: *Suetii, Norvegii, Gruntlandii, Gotti; belua: Scoti non minus: Angli perfidi, inflati, feri, contemptores, stolidi, amentes, inertes, inhospitales, immanes:* ITALI CUNCTATORES, IRRISORES, FACTIOSI, ALIENI SIBIIPSIS, BELLICOSI COACTI, SERVI UT NE SERVIANT, DEI CONTEMPTORES: *Galli ad rem attenti, mobiles, leves, humani, hospitales, prodigi, lauti, bellicosi, hostium contemptores, atque iccirco sui negligentes, imparati, audaces, cedentes labori, equites omnium longe optimi: Hispanis victus asper domi, alienis mensis largi, alacres, bibaces, loquaces, jactabundi, fastus Tartareus, supercilium Cerbereum, avaritia immanis, paupertate fortes, fidei firmitas ex pretio, omnibus nationibus & invidentes & invisi:* VNA NATIO ILLOS SUPERAT ANIMI PRAVITATE, MAGNITUDINE VINCITUR, LIGURES. Verum in Italorum ingenia, indolem & mores latius evagari gestit lingua; animusque meus ambit in te depugnare, *Laurenti Wensini*, justa inflammatus ira, quod Italos solos & unos veræ & solidæ nobilitatis atque omnium virtutum dignissimos depositarios dicere nihil veritus sis. Ego vero te temeritatis & impudentiæ non arguam, sed convincam; atque validissimis rationibus demonstrabo; Italos non ignobiles, sed nobilitatis corruptores; non indoctos, sed bonarum artium eversores; non vitiosos, sed virtutum sicarios; non impios, sed hostes sacrorum religionisque Christianæ crudelissi-

lissimos carnifices esse, eosque jamdudum nequitiam perbibisse, & ita visceribus immiscuisse, ut nisi cum ipsis exire non possit. Antequam tamen progrediar ulterius, voveo, ut vel tandem nos alii cautius cum Italis conversemur; ne, quod loca fœtida transeuntibus contingit, ut malignum odorem secum trahant, ab Italorum consuetudine pravitatis quicquam nobis adhærescat. Illaque providentia mihi non raro aurem vellit, & proverbium illud insusurrat creberrime; *Tedescho Italianato, diavolo incarnato*: præsertim, cum vitia virtutis personam simulent, & tanto facilius capiant incautos. Sicuti enim inter *Anienis* arenas leguntur albi lapilli, amygdalam, anisum, fœniculum, cinnamomum, aliasque species Indicæ arundinis succo indui solitas, exquisite referentes; qui vocantur *Confetti da Tivoli*, & in mensis apponuntur Romanis, ut convivis illudant sumentibus, qui se dulciaria tragemata sumere putant: ita quoque Germanis & nationibus aliis Itali fucata vanitatum bellaria obtrudunt, quæ non quidem *Confetti da Tivoli, mà da Diavolo*; *non Tiburtina, sed Diabolica tragemata*, dici possint. Susis Ecbatana contendentibus tridui itinere locus occurrit scorpionibus ita horridus, ut Rex Persarum illac iter facturus olim necesse habuerit triduo ante venatores scorpionum emittere, maximis muneribus ei, qui plures ceperat, propositis: utinam nos Germani quoque, si quando in Italiam proficiscimur, utinam venatores possessitiis præmittere, qui nequitiæ, voluptatum, frau-

Leand. Alb. in Latio. Merula Cosm. p. 2 l. 4. c. 11.

Zuing. M. Apod. l. 1. c. 4.

fraudum, & impietatis ſcorpiones pellendo aut perdendo, itinera redderent tutiora. Primum autem concedo tibi, Laurenti, haud invitus; Italiam eſſe *Nobilibus* pleniſſimam. Naſcuntur ibi indies cognomina, & ſtatim primo ætatis die tranſcribuntur in ſenium. Quotus quiſque eſt, quem avi ſui non pudeat? cui non eſt prope ſutrina vel pedum? quis æternam majorum vilitatem mendacibus titulis ſcutatiſque inſignibus non velat? Quis hodiernorum Græculorum non imitatur commenta? quibus familiare, ut quamquam primordia generis in obſcuro incertoque habeant, ea tamen ad ſplendidiſſimarum atque Imperatoriarum familiarum origines, ad Comnenos, Cantacuzenos, Laſcares, Diaſſorinos, Palæologos, referre; quidam etiam Herculi & Æaco Triptolemoque, fabuloſis heroibus conſecrare haud erubeſcant: tametſi illuſtres illas & principales familias, omnemque earum virilem progeniem, tam temporum cuncta ſub mortalitatis jugum mittentium, quam Turcarum tyrannide deletas eſſe manifeſtum ſit. Pace dixero eorum, qui genere ſuo digna moliuntur: ſunt in Italia Nobiles, qui de ſterquilinio ſurgunt. Res auditu abſurda eſt, vera tamen; in Italia bubulcum & cerdonem fere quemlibet, ſuperba formula; *a fe da gentilhuomo*, per fidem viri Nobilis; & quamlibet abjectam meretriculam, *à fe di gentildonna*, per fidem matronæ Nobilis, plerunque ſermones ſuos confirmare ſolere. Ac fuit quidam non indiligens obſervator

I. Barclaius Satyr. p. 1.

Iſthuanff. H. l. 20.

rerum in Italia monstrosarum; qui in libro commentario singulariter notat Nobilitatis sine numero numerum, & ridet tot Marchiones, quibus nullus est Marchionatus, tot Comites, quibus nullus est Comitatus, tot Equites, quibus nec equus, nec calcaria, nec ocreæ sunt, atque cum cordolio vidisse se jocatur in agro Lunensi triginta Marchiones in fico arbore, famem ficis depellentes: *Spiacquemi*, inquit ille, *il veder in Italia tanti Marchesi senza Marchesato, Conti senza contado, Cavaglieri, che non hanno ne cavalli, ne speroni, ne stivali. Non poteva sofferire di vedere nella Lunigiana trenta Marchesi ad un tratto sopra d' un fico per sfamarsi. Oh come mi venne a noja il veder in Arco & in Lodrone due mila Conti, & un sol contado molto stretto & povero. Pensate poi, che mi dovea parere veggendo i Marchesi di Ceva, & i Conti di Piacenza, & i Cavaglieri di Bologna &c.* Quod vero Nobilitatis honorem omnium maxime hodie prostituit apud Italos, est quod in illius acquisitione virtutis opus agunt nummi, & supremum fastigium cum mercaturæ sordibus indigne conjungunt: cum in Germania nostra, in Gallia, & apud alias rectius sentientes gentes, mercatura obstet Nobilitati: etiam apud filios Israel sordida & abjecta vivendi ratio habita fuerit. Propterea Matthias Corvinus, Rex Hungariæ, Venetos non ignobiles modo plebejosque, sed etiam rusticos vocare solebat; dictitans, fortunam genus haudquaquam mutare; *cum præsertim Veneti nulla ex parte*

Commentario d' Italia. in Venetia, appresso Giov. Barilotto. 1549.

Tiraqu. de Nob. c. 33. Minsing. 6. obs. 54. A. Gentil. de Nupt. l. 4. c. 13.

M. Prad. in Ezech. c. 17. p. 221. & seq.

Tuber. H. l. 10. Machiavell. Disp. de Rep. l. 1. c. 55.

parte Nobilibus adaquandi, & nomine potius quam reipsa Nobiles sint, quia mercaturam faciant, & militiæ nullam operam navent. Sed quemadmodum *chirothecas* inficiunt odoribus, easque lucrose distrahunt Itali; & quidam illius artificii magister a *Gallo* quodam, primariæ Nobilitatis viro, pro chirothecis, in unius duntaxat anni usus venditis, accepit *quadringentos coronatos*: tametsi hujusmodi mercibus non raro etiam venenum illinant unguentarii pessimi; sicuti *Crescentii* Consulis Romani, quem Imp. Otto III in patibulum egerat, uxor vidua, & pellex Ottonis, cum Cæsareum conjugium frustra sperasset, discedenti Imperatori amoris tesseram venenatas obtulit chirothecas, quarum pestifero odore ille postea periit: sic illi Nobilitatem quoque suam fucis tantum titulorum, & aliis nugis, illi dignitatum mangones & falsarii incrustant, sæpe cum magno augustæ virtutis detrimento & damno. Equidem si titulos Italorum & Germanorum inter se conferamus; comperiemus Nobilitatem nostram vix inter plebem locum esse inventuram, quæ tamen tot meritorum, privilegiorum, & prærogativarum stadiis Italicam illam præcurrit. Nam *Magnifici* titulum, qui apud nos Germanos non solum istis Ludimonarchis sive Academiarum Rectoribus, sed ipsis etiam majoris dignitatis Nobilibus tribuitur; in Italia etiam sellulariæ operæ artifices sibi deposcunt, & aliter appellatos contumeliose se haberi putant. Ita *Illustres* nos vocamus Comites ac Barones;

Bodin. in Resp. ad Malest.

Cusp. in Ottone III. Sigon. de reg. Ital. l. 7.

Sciop. in Scalig. Hypob.

nes; ſed Itali etiam vilioris notæ Equites S. Petri, & pannoſos famelicoſque illos Apoſtolici palatii Comites eodem titulo honorant; & cæteros ſuos Comites, licet noſtris nequaquam ſint pares, *illuſtriſſimios* eſſe volunt. *Sereniſſimi* vero titulum, præter Archiduces de Auguſta domo Auſtriæ, rari Principes ex Imperii noſtri proceribus, quibus tamen in orbe Chriſtiano majores non ſunt, admittunt; maluntque magnitudinem ſuam illuſtribus factis, quam glorioſis appellationibus oſtendere: at illis majorum gentium, ut ſic dicam, Principibus Italis, Sabaudo, (Italus enim & hic eſt, quia Pedemontii, in quo etiam præcipuam ſedem habet, Princeps eſt.) Hetruſco, Mantuano, Mutinenſi, Parmenſi, Vrbinenſi, *Sereniſſimi* titulus tam profunde inhæret, ut communis hæc inter illos compellationum ſit formula; *Altezza voſtra*, ſive *Sereniſſima Celſitudo veſtra.* Quin Sabaudiæ Dux, nuperis controverſiis inter Papam Paulum V & Remp. Venetorum gliſcentibus, cum eodem tempore ad ipſius Sabaudi filios Veneti dediſſent literas, in quibus ſecundum antiquum & hactenus ſemper obſervatum morem ſtylumque juvenes iſtos Principes *Excellentiæ* titulo ſalutabant, tam factum hoc Venetorum, quaſi *Excellentiæ* elogium non ſatis honorificum, & multo infra culmen liberorum Ducis Sabaudiæ eſſet, tam indignanter tulit pater; ut propterea etiam Legatum Venetum a publicis ſacrorum ceremoniis excluſerit, non diſſimulata quoque contumeliæ

Hiſtoria partic. delle coſe paſſate tra'l Papa P V e la Rep. di Ven. lib. 2.

meliæ Legato illatæ causa, quod scilicet in literis ad filios suos scriptis CELSITVDINIS titulum Veneti omisissent. In qua tamen titulorum licentia vix quicquam ad injuriam & contemptum Germanorum accedit proprius; quam, cum illi majores Italiæ Principes ambitioni suæ supparasitantes se se mutuum vocitent *Serenißimos*; & verbi gratia, Dux Hetruscus in literarum epigraphe nominet Mantuanum *Serenißimum*, atque in literis ipsis, formulam *Altezza vostra*, sive *Celsitudo vestra*, usurpet; quod nihilominus ante annos non admodum multos Hetruscus in literis, per Legatos redditis, duobus præcipuis Principibus Electoribus Ecclesiasticis, *Illustrißimi* tantum; & alii magno Principi, duntaxat *Excellentiæ* titulum, quo Itali domi suæ minores Duces ac Comites afficiunt, tribuerit: ubi etiam Legati hoc contumeliæ facinus novo fastus exemplo amplificabant; cum alterius Electoris ad Hetruscum pro responso datas literas, *Illustrißimi* tantum inscriptione insignitas, ad Principem suum deferre recusarent, quasi illa tituli mediocritas magnitudini *magni Ducis* non conveniret; & sic Electorem nimis facilem ad tituli atque literarum mutationem inducerent; quantumvis ille conceptissimis asseveraret verbis, nullum Italiæ Principem trecentis abhinc annis alio titulo a decessoribus suis honoratum esse. Verum quæ hæc est inæqualitas? imo iniquitas? Quis *magno Duci* Italo Electorem Principem Germanum, *omnibus* (a) *aliis Principibus præter Reges* digno-

(a) Cerem. Eccl. Rom. l. 1. S. 13. c. 3. Tit. de recept. alien. Prin. Imper. M. Frcher ad P. de Andlo l. 2. c. 2.

digniorem, non anteferat? Quis *Cattum Hetrusco* non præponat? Quis in familiarum comparatione, illis *Serenißimi & Celsitudinis*, huic vero *Illustrißimi & Excellentiæ* potius titulum, non adſcribat? Cum Imp. Maximilianus I duxiſſet in matrimonium *Galeacii*, Mediolani Ducis, filiam; interceſſore Ludovico Sfortia patruo; eam rem graviter tulerunt Germaniæ Principes, propter ipſius fœminæ obſcuritatem generis; (ſunt enim, qui avum Galeacii *ſutore* parente genitum eſſe, ſunt qui ex *aratore* imperatorem evaſiſſe, ſcribunt) quamvis tunc temporis Sfortia familia late in Italia rerum potiretur. Quare etiam *Coſmus*, Florentiæ Dux, repulſam tulit; cum pro eo Pius IV Pontifex per Terracinæ Epiſcopum, oratorem ſuum, apud Philippum II Hiſpaniarum Regem ageret, ut ſororem olim cum Luſitaniæ Principe junctam, & ſuſcepto ex eo Sebaſtiano filio, qui regnum poſt avum tenuit, viduam relictam *Franciſco* Coſmi Filio uxorem concedere dignaretur: Philippo nuptias illas tanquam diſpares averſante; quippe *qui ſororem, & Cæſaris filiam, & in Regia familia elocatam, novo Principi deſponderi parum conveniens Auſtriacæ familiæ faſtigio ac majeſtati arbitraretur, & tam humili adfinitate dignationem ſuam temere deprimere nollet.* Atenim deducendus mihi es, *Laurenti Wenſini*, in familiarius artium & morum Italicorum examen, & pleniſſime erudiendus; nuſquam gentium Nobilitatem habitare ſordidius, quam in Italia: nuſquam terrarum etiam virtutum atque ſcien-

Cominæus de Bello Neapol. l. 1.

Forcatul. de Gall. Imp. l. 8. Iov. in Mag. Sf. c. 2.

ſcientiarum, quibus Nobilitas paretur, minus eſſe, quam in Italia. Ita DEUM mihi velim propitium, ut, cum illius Italicæ infelicitatis mihi venit in mentem, non ſolum commoveor animo, ſed tiam toto corpore perhorreſco. Jam nunc enim mente & cogitatione proſpicio, quod tuum, excelſiſſime Princeps, ſit futurum judicium; quantam auditorum deteſtationem Italorum infamia conciliatura; quantam denique audientiam orationi meæ improbitas illorum factura. Quæ cum cogito, jam nunc timeo, quidnam pro offenſione bonorum, qui Italorum vitiis inimici infenſique ſunt, & expectatione omnium, & magnitudine rerum dignum eloqui poſſim. De *opificibus* Italis, Auditores, non magnopere laboro: cum illuſtriſſimus Princeps, *Franciſcus Carolus Dux Saxoniæ*, abunde fidem fecerit; omnes cujuſcunque nationis artifices, ſi ad Germanos referantur, vileſcere & ſordere; atque inſuper quantalibet opificiorum gloria ad Nobilitatem vix perducat: tametſi Sixtus V Pontifex *Dominicum Fontanam*, quod Obeliſcum Vaticanum tranſportaverat, Equitem creavit; ac Selimes II Turcarum Sultanus *Gentilem Bellinum*, ob excellentem in arte pingendi peritiam Conſtantinopolim evocatum, in Equeſtrem ordinem cooptavit, & inſigni torquis aurei donavit. Patere tamen, illuſtriſſime Princeps *Franciſce Carole*, ut ad tuam laudationem ex *Felice Fabro*, cujus nobilis & vetuſtiſſima Schmidiorum familia hodieque apud Tigurinos præfulget, Monacho Domi-

F. Menneniusin Delic. Equ. Ord. c. de Equitib. Turc.

Dominicano Vlmense, fidelissimo Scriptore, qui ante annos CXX vixit, hactenus paucos nactus laudatores; sed plurimos exscriptores, hoc veluti auctarium adjiciam: *Cum hac divina*, ait ille, *imprimendi libros arte, etiam usuales sunt melioratæ; ut fabrilis in omni metallo, in omni ligno, & in omni materia: in quibus Teutonici adeo industrii sunt; ut per orbem fulgeant illorum labores. Vnde, si quod opus præcipuum quis fieri vult in metallo, lapide, ligno, ad Germanos mittit; quibus* DEUS *ævo nostro......Vidi ego aurifabros, gemmarios, latomos, & carpentarios Teutonicos; inter Sarracenos mira facientes; & inter Græcos & Italos artibus præcellentes, scilicet de sartoribus & sutoribus, muratoribus. Nam anno præterito Soldanus Rex Ægypti mirabili muro Orientis stupendo artificio cinxit portum Alexandrinum; consilio, industria, & opere cujusdam Teutonici nati, ut dicebatur, de Oppenheim. Et ne longius his immorer, Italia omnium totius orbis regionum celeberrima, frumento repleta, panem delicatum, sanum & delectabilem non habet, nisi a pistore Teutonico coctum: qui arte & industrioso labore ignem domat, calorem temperat, farinam æquat; ut levis, tenuis & delicatus panis fiat: quem si Italicus coquat, ponderosus, compressus, insanus, & insipidus creatur. Vnde dominus Apostolicus, & quique magni terrarum Prælati, Reges, Principes, & Domini, panem vel raro manducant, nisi Teutonica arte confectum. Non solum autem nostrum usualem panem bene percoquunt, sed paximacios vel biscoctos pro cibo marino vel bellico adeo artificialiter parant, ut Domini Venetiani in publi-*

Hist. Suevo. lib. 2.

Notarium non posse corrigere falsam Latinitatem, ne sub prætextu Latinitatis fiat fraus: docent Baldus & Felinus.

publicis furnariis paximacios non nisi Teutonicos habeant, & coctos longe lateque per Illyricum, Macedoniam, Hellespontum, Græciam, Syriam, Ægyptum, Libyam, Mauritaniam, Hispaniam, Galliam, & usque ad Orcades insulas & Britannicas, ac ad Germanicos portus circumferant suis marinariis comedendos, vel alienis vendendos. Industriosissimi & optimi in omni genere musicorum jam sunt in Teutonia multiplicati; adeò ut omnibus prædictis regionibus spectacula jocunda præbeant tam in divinis officiis, quam in nuptiis & conviviis, in ecclesiis & theatris, &c. Atqui nobilitat Italos omnium liberalium *artium* & sacrosanctarum *scientiarum* studium; sive potius magisterium, & summa perfectio. Ita tu opinaris quidem, *Laurenti Wensini.* Et mea sententia, *facit scientia nobilissimos*; adeoque verbo Salyceti, *Nobilitas est filia scientiæ.* Et sine illa mentis luce, quid videat homo? quid intelligat? Quis cum Alfonso Aragoniæ Rege non affirmet, *Regem illiteratum*; imo addo ego, *quemlibet Nobilem talem; nihil aliud, nisi asinum coronatum esse?* Et profecto; ut bubali, uri, & subinde muli, aliaque id genus, magna quidem, sed sine omni intellectus sensu animalia, annulo in nares immisso circumduci solent: ita illi barbari & peregrini cives, ut aliquid in Republica prosint, aut ne obsint saltem, nare ignorantiæ perforata a doctis ducendi sunt. Quantum tamen literis tribuendum sit, Imperator Sigismundus *Georgium Fiscellum* Doctorem, quem Equestris Ordinis honoribus auxerat, optime docuit. Cum enim Impe-

l.7.C.de postulando.

Æn. Sil. in Paral Alf. lib. 1. c. 6.

rator Basileæ de rebus arduis consultaret; & Fiscellus hæreret dubius, Doctoribus legum an potius Equitibus se conjungeret, tandem vero ad Equitum classem inclinaret: *Stulte agis*, inquit Sigismundus, *qui literis militiam præfers. nam ego milites mille una die fecerim: Doctorem mille annis unum non fecerim.* Nequam autem mulierem illam *Genuensem* Nobilem omnibus infamiæ pœnis affecerim; quæ uxori cujusdam Doctoris, nullis imaginibus clari, impurissimo & petulanti ore dixerat; *Non esse pennam, quæ faceret Nobilitatem, sed penem.* Cæterum sunto Itali literati: illi prisci tamen, quibus tanquam Doctoribus nostris illam laudem ac gratitudinem debemus. Sed in hoc conventu, *mi Laurenti*, non quæritur, qualis fuerit venerandæ antiquitatis majestas & splendor; sed quæ hujus seculi & proximorum temporum sit doctrina & eruditio. Alioquin, si ab Antiquitatis meritis hodiernę virtuti pretium facere velimus: quid causæ fuerit, cur *Græciæ* illius, illius inquam Græciæ, omnium seculorum magistræ, & quasi eruditionis unicæ parentis, quæ immenso literarum ac scientiarum diluvio Asiam, Galliam, Hispaniam, Siciliam, & orbem universum, ætates omnes, inundavit, obliviscamur? Hodie tamen illa Græcia præ Mauritania nomen *Barbariæ* habeat justius. Et *Athenæ*, quæ olim erant terrarum Palladium, templum disciplinarum, & commune quoddam sapientiæ oraculum; nunc sunt vicus, & pauculæ domus: licet & Arcadii atque Honorii tempore nil nisi mellis fere opifi-

Idem l. 4. c. 19.

A. Gentil. de Nupt. l. 4. c. 13.

Heinsius de conjúgend. Græc. lingua & discíplin. Lipſ. in Lovan. l. 3. c. 7.

Synesius Epist. 136.

ces

ces illic egerint, bona omni arte in exilium pulsa. Quod si autem veterum Italorum, in rem literariam beneficium subtilius expendere, & veluti ad vivum resecare velimus, constat certe; illud sine pœnitentia ad nos non devenisse. Quis enim cum illis amorum triumviris *Catullo*, *Tibullo*, *Propertio*, & illo Veneris aquariolo *Ovidio*, sobrie philosophatur? Quis *Ciceronem* duabus sellis sæpe sedisse non observat? Quis e *jure Romano* litibus alimenta & vigorem dari non videt? siquidem nemo tam temere litigat, ut calumniæ & iniquitati suæ ibi non inveniat prætextum & speciem: ut parum absit, quin credam, (amplio tamen) in Republica nostra plus periculi esse ab Antecessore juris, ad omnes causas & casus legum auxilium intemperantius applicante, quam a *Doctore necessitatis, qui legibus caret*. Si autem ad hodiernam Italiæ literaturam convertamus oculos; quot videbimus luctuosa ingeniorum funera? quot tristia inter funestos barbariæ scopulos apparebunt studiorum naufragia? *In media Italia, in medio Latio, in media magna Græcia, vix centesimum quemque reperias, qui Latine aut Græce loqui sciat, aut literas amet*: imo sunt, qui literas & literatos odio exercent, aut certe nullo favore dignantur. *Fr. Philelphum* quis ignorat? quis illa ætate, qua vixit, Græce & Latine fuit eo doctior? & tamen Bononiæ tanta egestate obiit nonagenario proximus, ut ad efferendum funus & cubiculi & coquinæ instrumenta venierint. At quis credat illud recitanti, nisi apud fide dignos

Pasquier est son Fourpatler du Prince.

Muret. Ep. ad Sacrat.

Iov. in Elog.

authores toties relatum inveniat; *Æneam Sylvium*, ſive *Pium II* Papam, cui literæ & Muſæ omnem fortunam pepererunt, cum ad Pontificatum adſcendiſſet, & gratulantium Poetarum munuſcula captantium (ad hoſce enim ab eorum patre Homero devoluta eſt paupertatis hæreditas) carminibus eſſet ſalutatus, illorum omnium ſpes ſordidiſſime fefelliſſe; verſiculis tenacitatis ſuæ indicibus redditis iſtis?

vide Philelphum in Epiſt. & Kirchnerum in Cancellar. l. 2. c. 5.

Pro numeris numeros a me ſperate Poetæ:
carminaq; eſt animus reddere, non emere.

cui tamen Poetarum unus aliquis ſordes & avaritiam extemporali vena ſic exprobraſſe fertur non inepte:

Pro numeris numeros tibi ſi fortuna dediſſet:
non eſſet capitis tanta corona tui.

Hujus Pii II ſucceſſor *Paulus II*, impiis molitionibus in literas etiam debacchatus eſt vehementius: qui Platina teſte, *humanitatis ſtudia ita oderat & contemnebat, ut ejus Studioſos uno nomine Hæreticos appellaret: hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in ſtudiis literarum paterentur: ſatis eſſe, ſi legere & ſcribere didiciſſent.* At quid ab illo homine proficiſci potuiſſet in literas aut literatos benignum: cujus præcipuum ſtudium fuerat humanitate pulſa pecunias corradere, emptione gemmarum & lapillorum pretioſorum Eccleſiæ ærarium exhaurire; quæſtionibus, carcere, & cædibus in innocentes ſævire; & in publico faſtus & ſumptuoſiſſimæ pompæ oſtentatione, dum vanitatis magiſter faciem quo-

in vita Pauli II.

quoque fucis concinnabat, applausum & admirationem a plebecula & exteris extorquere? Et quid de literatissimo, literarumque amantissimo *Xysto IV* dicam? Ille quidem, quod *Bibliothecam Vaticanam* toto terrarum orbe celebrem, (post *Hebraicam* a Moyse, *Chaldaicam* a Daniele, *Græcam* a Pisistrato, *Alexandrinam* a Ptolemæo Evergeta, *Romanam* a Tarquinio Superbo primum dein ab Augusto, *Hierosolymitanam* a B. Alexandro Episcopo Decii temporibus, *Cæsariensem* a Pamphilo martyre constructas) a B. Petri, qui sacrorum librorum thesaurum in Ecclesia Romana asservari jussit, successoribus in ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis inchoatam, pace Ecclesiæ reddita Laterani institutam, a posterioribus Pontificibus in Vaticanum translatam, a Nicolao V auctam, conquisitis ex omni Europa libris splendidissime locupletaverit; quod certos proventus, unde custodes, & librarii Græci, Latini, & Hebraici menstrua salaria, quibus ali possent, haberent, librique emerentur, assignaverit; statuit equidem memoriæ monumentum Pontifice Maximo maxime dignum: sed quod *Theodoro Gazæ Thessalonicensi*, acumine fertilitateque ingenii nemini secundo, qui Murate II Turcarum Principe Græciam omnem victricibus armis quatiente in Italiam venerat, parem favorem non exhibuerit; fecit, ut & multo splendidissima priscæ laudis parte exciderit. Gaza enim, cum nobilissimas lucubrationes, in membranis eleganter exaratas, Xysto detulisset; neque tan-

Onuphrius Panvinius in Xysto IV.

Th.H.I.100.

tum honorarii æris, quo librario mercedem solveret, ab eo accepisset; indignatus subagreste Pontificis judicium, projectis in Tiberim duodecim, qui donati erant, pro tanto ingenii labore, aureis, una cum reliquis, quos in publicum edere cogitabat, commentariis; *Effugere hinc lubet*, inquit, *postquam optima segetes in olfactu prapinguibus asinis sordescunt*: atque ita in Bruttios ad sacerdotii sacram sedem contendit Gaza; ubi non multo post plane senex fato functus est. O Pontifices ad piscatorias casulas relegandos! O Romam etiam literarum ruina, & ignorantia artium jam infelicem! Quid enim antiquæ laudis & honoris, quid facundiæ, quid floris illa nunc habet, quem in veterum authorum monumentis tantopere admiramur? Quis ingenuam *Angelotti* Cardinalis confessionem non approbet; *Roma nullam scientiam, nullam doctrinam, in pretio ullo amplius esse?* Nec Romæ tantum, *mi Laurenti*; sed in tota propemodum Italia, augustissima literarum purpura cecidit in lutum, sordibus conspurcatur, pedibus teritur. In *Academiis* Studiosi auditoria magis strepitu & cyclopicis crocitationibus, quam animis hauriendi scientias avidis implent; Professores ex eminenti loco declamantes non tam audiunt, quam illorum loquentium vocem cachinni petulantia & tumultibus intercipiunt, atque eos de suggestu tantum non depellunt. Professores autem ipsi, boni publici & sanctæ disciplinæ incuriosi, inter istas contumelias & turbas eunt

Iov. in Elog. Gazæ. Kirchner. d. l.

Kirchnerus de fatalib. Aca. dissip.

ad quæstum & lucellum; per Symplegadas navigant Colchos, & ad aureum vellus. Quas enim *Graduum Scholasticorum* faciunt mercaturas? Quem latet illud vulgatissimum; *Nos accipimus pecuniam, & mittimus asinum in Germaniam?* Quam ob causam, cum Italus quidam, *Doctoris* nomine superbiens, *a Gregorio XIII* (qui Pontifex, Hugo Boncompagnus antea dictus, juris utriusque doctrina fuit clarissimus, & Professor Bononiensis) *beneficia* quædam, ut vocant, peteret: Pontifex, *dic mihi*, ait, *utrum Doctor sis, an Doctoratus: ad hoc pauca; ad illud vero plurima, quorum tu forte nihil habes, requiruntur*. Ambigo, Auditores, injustiorne fuerit *Ioannes VIII* Papa, qui in fraudem legitimorum hæredum Carolo Calvo Imperium ingenti pretio vendidit; aut *Calixtus III* Papa stultior, qui Romana ἀποθεώσει Edmundum Anglum, & Vincentium Hispanum in Sanctorum numerum retulit; cum Bessarion Cardinalis temeritate illa offensus exclamaret; *Novi hi Sancti de veteribus mihi dubium movent:* aut *Alexander VI* Papa avarior, qui indulgentiarum nundinationibus tantas corrasit opes, ut, cum filius ejus Cæsar Borgia centum millia aureorum alea perdidisset, dixerit; *Germanorum tantum hæc peccata sunt*: quam sint illi Italici honorum Academicorum lenones, quorum injustitia, stultitia, & avaritia fit, ut nullo dignorum & indignorum fere habito discrimine, amplissimæ literarum dignitates sic in permultos homines, quomodo denarius in cloacam, cadat. Etsi

Cicarella in Greg. XIII.

Ens Epidor. pid. l. 1.

Regino Chr. l. 2.

Mornæus in H. Papat.

pessimam hanc Academicorum consuetudinem ad exemplum Pontificatus Romani introductam fuisse, verisimile est. Etenim cum *Iulius III* Pont. Max. *Montanum*, quem voluptatis gratia ex infima egentium fece domi educarat, Cardinalem creasset, rogatio pro Cardinalium Collegio lata erat, ne pateretur ordinem clarissimum sordidissimi hominis labe contemerari; quibus tamen Pontifex urbane respondit; *Et vos, quid tandem in me meritorum comperistis, quem Christianæ Reip. principem constitueretis?* Quin etiam *Leo X* Pont. Max. cum unis Comitiis inusitato cooptationis numero XXXI Cardinales creasset, inter eos & *Raphaëlem Vrbinatem*, præstantissimum pictorem, cujus arte oppido quam delectabatur, nominaturus credebatur; ut hoc collato honore ingentem æris summam, quam illi ex pictura debebat, compensaret. Qua de causa Raphael Bernardum Bibienæ Cardinalem, neptem suam in uxorem offerentem, novis morarum causis in dies allegatis, fertur suspensum detinuisse: sed Raphaelis mors satis immatura omnes ejus spes prævenit. Verum præter superiora, non levis momenti alia duo in literas peccata Italis Doctoribus objicio. Alterum *Philologorum* est quorundam; qui id unum quæsiisse videntur, ut tenebris antiquitatum onerent stultissimam orationem, pravoque elegantiæ studio res faciles obscurent. *Petrus Bembus* in illa puerili erat hæresi, (& is eadem inquinavit *Christophorum Longolium*, qui in consultoris sui gratiam

Bod. de Republ. l. 5. c. 4. Th. H. l. 6.

Alv. Gom. de reb. gest. Ximen. l. 7.

omni-

omnino immutato priore studiorum genere, quinque annos continuos nullum alium autorem legebat, præter unum Ciceronem.) ut religio ipsi esset scribere aut dicere aliud, quam a Cicerone scriptum aut dictum. Hinc Venetorum Senatus, illi sunt *Patres conscripti*: Duces & Ducatus, illi sunt, *Reges & Regna*: Reges Persarum & Turcarum, sunt illi, *Reges Armeniæ & Thracum*: Fides nostra, est illi, *Persuasio* tantum: Excommunicatio, est illi, *aquæ & igni interdictio*: Peccata morituro remittere, est illi, DEOS *superos manesq; placare*: falcones, sunt illi, *aquilæ*: verveces, sunt illi, *hirci genitalibus defectis*. Et advertite, Auditores, inepti hominis impietatem cum pari stultitia conjunctam. Is siquidem *Epistolas* omnes *Pauli* palam condemnavit, easque deflexo in contumeliam vocabulo *Epistolaccias* est ausus appellare; cum amico autor esset, ne illas attingeret, vel, si cœpisset legere, de manibus abjiceret, si elegantiam scribendi & eloquentiam adamaret. Atque, ut cæteram carminum ejus obscœnitatem taceam: quid ejus Epistolis ineptius, & quidem illis, quas Pontificis Maximi nomine, & de rebus maximis scripsit, & ad viros maximos? Mentiar ego cum *Scipione Gentili*, & luam gravi pœna, si vel unam mihi in tot illis voluminibus Epistolam ostendant amatores ejus, quæ non insigni aliquo vitio Grammatico laboret, aut puerili aliqua ineptia conspicua sit & demonstrabilis. Ne quid de rebus ipsis atque sententiis dicam sapientiæ inanissimis,

Lips. cent. 2. Epist. 57. ad Dousam.

Comment. in Ep. Pauli ad Philem. c. 18.

& mire languidis, & (repetendum est enim, quod ejus proprium maxime est) ineptis. Quid vero faciam *Iacobo Sanazario*, optimo Poetæ? Qui, cum de *Christo Iesu* tres libros oppido luculentos scripserit, ne semel quidem *Christum* aut *Iesum* nominare ausus est: offensus, ut puto, parum Latinis auribus tritis nominibus: sed hoc in verbis. Quale autem illud est, & quantum ejusdem in eodem opere peccatum, etiam aliis notatum; quod sanctissimæ virgini *Mariæ* veteres de more *Sibyllas* in manibus ponit? quod de rebus a Christo gerendis vaticinium prolaturus non Esaiam, non Davidem, non veterem alium Prophetam, sed *Protheum* ea canentem inducit in antro Jordanis, quo ex marino suo domicilio forte diverterat? Ita etiam *Pomponius Lætus*, Romanæ Linguæ sic erat unice deditus, ut a Græca quoque refugeret, ne illam suam Venerem aliena consuetudine sceleraret. Alterum autem peccatum *Iurisconsultorum* & *Theologorum* est: de quorum tempestuoso & in omnem adulationem properante stylo conquerendi causas habet totus orbis Christianus longe plurimas & gravissimas: cum illi non solum, & fere soli, *plenitudinem potestatis*, infausto studio, libertatem & jura civium catapultis monstrosarum opinionum conquassando, Principibus nimis assentatorie explicaverint; sed etiam per *Ius Canonicum*, ambitione magis, quam necessitate, in lucem productum, (quod jus Cynus Pistoriensis plenum erroribus esse palam profiteri non erubuit: illudque in scholis & curi-

Cruf. Ann. Suev. p. 3. l. 7. c. 2.

Duaren. in præf. de S. Ecc. minist.

curiis nostris retinemus haudquaquam in gratiam Papæ Romani veluti ab ipso profectum: sed quia jam usu & consuetudine nostrum est, uti & studia Philosophica sunt, quorum contemplatione tamen Platoni, Aristoteli, Ciceroni, & cæteris antesignanis minime homagium aut obsequium debemus.) fœdis exemplis legitimam Principum auctoritatem, in gratiam Pontificum oppugnaverint, atque populorum obsequium seditiosa doctrina subinde perverterint. Fuerunt ex illis, qui abominabilem spiritum, nisi perpetuis conviciis atque vaniloquiis inequitarent majestati Principum, ducere non poterant: quibus caput votorum erat, Papam Deum, Imperatorem autem & Principes omnes obliterata aut & damnata nomina facere posse. Atque *Canonistarum*, quotquot sunt, concors est sententia, *Imperii vasallos criminis rebellionis & majestatis haud esse reos, si pro Pontifice Romano adversus Imperatorem ipsum pugnent*: nec Bartolus, qui tamen Schurffio est *veritatis magister*, Menochio *Iureconsultorum signifer*, Nattæ *excellentissimus Doctor*, aliis *juris lucerna, & cacorum dux, speculum, & veritatis pater*; *quemque jurisperiti quidam pro numine colunt, ejusque scripta inter sacrorum vatum oracula in lararus habent*; Bartolus inquam, non discedit a Canonistis in *Extravag. Qui sunt rebelles. in verb. rebellando, col. 2.* quanquam excusatum se haberi petit in *proœmio D.* quod hæc in Papali ditione scripserit. At per DEUM immortalem, quæ hæc est juris Divini & humani perditio? quæ illorum

Gœdd. de contr. stip. c. 6. n. 109. Fr. Roman. Qu. II. ad t. de judic.

Molinæus super lacto Conc. Trid. c. 98.

I. Schult. ad M. Pistor. p. 3. qu. 127. Damhouder. in subhast. 1. & 4.

lorum veterum ſacrorum Canonum, quos ut leges imitarentur Juſtinianus voluit, eſt labefactatio? Potuiſſetne, ſi omnia elementa in Reipub. Chriſtianæ perniciem quaſi conjuraſſent, calamitas inferri major, quam factum eſt ab halophantis illis Canoniſtis? Male, male cum rebus humanis actum eſt, ex quo *Decretis alæ* acceſſerunt; ſed peſſime, ex quo alæ e ſuo nido in alienum *inclementius extravagatæ* ſunt. Res tamen, DEI gratia, iterum bene habet; impoſturas Pontificum ſibi omnipotentiam impie adſcribentium, & vanitatem Pontificiorum in propria cauſa teſtimonium impudenter dicentium, jam vel pueri intelligunt, explodunt, damnant. Ac licet Aula Romana omnibus viribus & machinis enitatur, ut non modo libri Principum jura defendentes conquirantur, exurantur, & aboleantur; verum etiam, ut ſemper aliqui *Bellarmini*, *Marianæ*, *Baronii*, & id genus emunctæ naris atque vectigales ſcriptores prodeant, qui Monarchiam Papalem totius mundi arbitram, calamo *directo & indirecto* εὐκαίρως καὶ ἀκαίρως, adſtruant, confirment, & propugnent; qui Manliana Pontificum in Principes imperia atque Hildebrandicam doctrinam, ſuaviloquentia ſua condiant: tamen in hodierna Evangelii luce nemo non ſacris literis paulo liberalius tinctus, nec difficulter animadvertit; veterem Romanam Eccleſiam non amplius Romæ, hodiernam autem Regum novercam, & Pontifices ipſos vitricos, eorumque bullas nullas, atque Brevia digna eſſe,

Duaren de Ecc miniſt. in præf.

G. Va Winter. in Parth. Litig. l. 1. c. 6. n. 15.

Tortura Torti. paſſim.

ſe, quæ vel ad brevia, aut ad piper abjiciantur. Loquar apertius, & omnino Latine. *Hildebrandicum* imperium, *directum & indirectum*, deteſtamur boni cives omnes: regni cœlorum claves Apoſtolis datas eſſe credimus; ſed regni Romanorum, Hiſpanorum, Britannorum, Francorum, aut aliarum gentium, non datas eſſe, prorſus ſcimus: Petro dictum fuiſſe, *Paſce oves meas*, novimus; ſed illis tribus verbis Petro, aut Papæ, poteſtatem Principes & Reges diris fulminibus (quibus plus detrimenti fidei profeſſoribus, & plus lucri fidei hoſtibus obvenit, quam ulla alia ex re) percutiendi, regnis & ditionibus exuendi, contra legem Evangelicam fœdera & vincula ſocietatum, ſubditoſque jurisjurandi religione ſolvendi, aliena imperia transferendi, conceſſam fuiſſe; id conſtantiſſime negamus: adeoque omnium ſtultiſſimos dicimus illos, qui diſputant, *Utrum Papæ tantum liceat.* Vitio vertitur Baldo, qui tradidit, judicem poſſe ſententiam ferre Hebraice, Græce, Latine; quia Dominicæ crucis inſcriptio Hebraicâ, Græcâ, & Latina fuerit: ſed longe vitioſius inferunt Canoniſtæ, Papam poſſe Principem, quantumvis liberum & abſoluta poteſtate præditum, ditionibus ſuis ejicere; quia Chriſtus dixerit Petro, *paſce oves meas*: cum rectius ſic argumentari poſſent: *Chriſtus Petro dixit, Abi Satan; Tu non ſapis ea, quæ* DEI *ſunt; ſed ea, quæ hominum: Ergo Pontifex eſt Satan, nec ſapit ea, quæ* DEI *ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Itaque ſimpliciter magis & ingenue, quam caute,

Caſaubon. in Dedicat. Exerc Baro.

Til. Meld. Epiſc. Mor. in H. Pap.

ad l. 12. C. de ſe. & int. om ju. A. Gent. de lingu. mixt. p. 109.

Matth. c. 16 v. 23.

te,

te, *Paulus III*, cum de summa ipsius potestate aliquando inter familiares mentio incideret, ridere illos solitus erat, ut scholasticos & rerum rudes, qui a Christo eam tam anxie repeterent; cujus se possessionem vel solam optimum & firmissimum titulum habere dicebat, quam viribus opibusque maximis, urbibus munitissimis, & potentissimorum Principum sibi devinctorum auxilio tueri ac defendere posset. Venit hic mihi Æneæ Sylvii in mentem, Auditores: is nondum Pontifex sic judicabat de *donatione Constantini*: callide id provisum a Pontificibus, ut actis esset utrinq; controversia, valeretne donatio illa de jure, annon valeret; quo sic semper talis donatio facta præsumi posset: attamen ridiculos interim esse Legistas, qui quæ nunquam fuisset facta, ea valeret nec ne, tantopere disceptarent. Idem hic penitus locum habet: fervere enim scholas & subsellia quotidie de temporali hac Pontificis in Principes potestate, quo jure illam & quomodo, directe an indirecte habeat, detrimento Papæ esse non potest; quo sic opinionem litis occasione corroboret, habere se eam potestatem: sed non minus insaniunt Canonistæ & Theologi, qui quam omnino ille non habeat, eam directene habeat, an indirecte, sudant nitendo, ut se expediant, nec expediunt tamen. Hodie autem plerique Principes, cum excusso servili Paparum jugo in libertatem suam redierint veluti postliminio, atque tristi tot seculorum experientia didicerint, Papatum non Religione & vitæ sancti-

præf. ad Paralipom. F. Guicciard.

Tortura Torti. Balb. de Coron. c. 22.

Tub. H. l. 9.

mo-

moniæ, sed scelerum immanitate, opum magnitudine, atque cumprimis stultitia Christianorum Regum constare: inde dignitatis suæ custodes facti sunt tam vigilantes, ut ne tantillum quidem sibi eam imminui patiantur: non immemores, etiam *Philippum Pulchrum* Galliarum Regem *Bonifacio VIII* Regnum Franciæ feudum Papalis majestatis falso asserenti, sic respondisse: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse*: & Græcos *Ioanni XXII*, plenitudinem potestatis in universam Ecclesiam sibi arroganti ita rescripsisse: *Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus; Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Quid? quod etiam *Philippus II* Hispaniarum Rex, quo tamen nemo suæ ætatis Principum sedi Romanæ favit impensius, in causa Lusitanica Papæ judicium repudiaverit. Cum enim *Gregorius XIII* primum per Philippum Segam suum Oratorem apud Philippum Regem ageret, ac peteret, ut in negotio successionis Regni Portugalliæ sibi rei componendæ arbitrium deferretur: gratum quidem in speciem sibi initio Pontificis officium esse simulabat Philippus, Joannis Silvæ consilio usus, & quousque cum Henrico Portugalliæ Rege transegisset, variis protelationibus urgentem Segam ludificabatur; ubi vero cum Henrico transegit, tum renudata voluntate, respondit; in tam justa ac clara causa, cum propensa Henrici in causæ suæ æquitate perspecta sit benevolentia, non opus esse,

Morn. in Hi. Pap. Serres. in Ph. 4.

Io. de Mandevil. Mor. in H. Pap.

Conestag. de Port. & Cast. conj. l. 3. Th. H. l. 69. & 70.

A. Ch. 1578.

esse, ut S. S. partes suas interponat. Suspecta quippe Philippo Regi erat Pontificis, ut & aliorum Principum in eo negotio voluntas, & præjudicium juri suo in præsens, regiæ majestati in posterum fieri existimabat prudentissimus Princeps, si de his rebus in Pontificem compromitteret, eoque exemplo illum Regnorum arbitrum & quasi judicem constitueret. At vero cum sequenti anno, pridie Cal. Febr. Henricus hora & momento a se prædictis in deliquium incidisset; & eodem tempore Luna deliquium pati inciperet, quo deliquio Lunæ desinente & ipse in vivis esse desierit, qua eadem hora ante LXVIII annos, sicuti a curiosis observabatur, in lucem editus fuerat; Pontifex autem arbitraretur, Ph. Segæ ordinarii sui Oratoris auctoritatem parum antea apud Philippum Regem valuisse, placuit, ut Alexander Riarius Cardinalis lateralis legati titulo ad eum mitteretur. Huic in mandatis datum, ut, si qua ratione posset, Philippo deponendi arma, & se judicio S. S. submittendi consilium insinuaret; id si nequiret impetrari, Riario subsidiarie mandatum erat, ut sibi ad Portugalliæ Ordines proficiscendi necessitatem a Pontifice impositam significaret. Sic enim judicabat Pontifex, si Philippus acquiescere nollet, fore, ut saltem reverentia legati, quamdiu is in Lusitania esset, a bello gerendo abstineret; quo interea Antonius, novus Rex, turbatos suorum animos componere, & a vicinis Principibus Philippo ex æmulatione infestis auxiliares copias compara-

parare posset, & sic Philippus, æquata per eam moram æmuli potentia, aleam prælii veritus S. S. arbitrium postremo subire cogeretur. Hæc ita inter otiosos homines, & præcepta de prudentia propria opinione credulos Romæ actitata fuerant. Verum Philippi prudentia Romanos hosce astus susque deque habuit; & Riario, quem in Hispania summis passim a civitatibus delatis honoribus distentum, & per multas adfectatas moras sero ad colloquium toties & tantopere expetitum admiserat, tale responsum; multis quidem honorificis officiorum testificationibus exornatum, quasi sacrosanctam summi Pastoris majestatem maxime omnium revereretur, sed animosum & vere Regium reddidit; ut legatus satis intelligeret, nullo casu Regem cordatum, neque tam jure suo, quam viribus confisum, arma depositurum esse. Quapropter Cardinalis omissa omni rei conficiundæ spe, contrarium mandatum à Pontifice caussatus, Romam mox reversus est. *Veneti* autem tam parum fidunt Pontificibus, ut ob id Sacerdotes, quantumvis cives & patritios, a comitiis procul arceant; quod juratos credant nihil contra Romani Pontificis utilitatem facturos esse: contritumque est illud, quod ante suffragia cives in comitio acclamare solent; *Fuora i Preti.* Propterea *Hermolaum Barbarum*, & *Cardinalem Mulanum*, exsilio damnarunt; quod cum legationem apud Pontifices Romanos obirent, in Collegium Cardinalium cooptari se paterentur injussi. Libenter hic memini *Nicolai Pontani*, Venetiarum

Bodin de Rep. l. 3. c. 1.

Ducis, viri magna doctrina & mira animi libertate præditi; qui, subortis inter Pontificem Gregorium XIII & Senatum Venetum de finibus controversiis, ut sæpe accidit; cum minæ a legatis Pontificiis adderentur, quasi Pontifex adversus Senatum censuris acturus esset; ille statim nec consulto Senatu respondit, *Censuram Pontificiam esse gladium vagina inclusum, qui temere distringi non deberet; ne discerent homines contemnere ejusmodi telum; quod, quia intempestive missum esset, minus læderet:* cumque instarent nihilominus legati, ille iterum subjecit, *Verendum esse, ne qui Græci olim fuissent, e Latio in Græciam migrarent.* Durabit quoque ad posteros atrox memoria vulnerum, quibus illi Pontificum causam per latus *Pauli V* nuper adflixerunt. Quot enim volumina per orbem dissipata excusserunt Papatus vires, & hanc imperandi vanitatem deriserunt? nec ab iis quidem sparsa, quos religio iniquiores fecit, sed ab illis, qui sacrorum participes, tamen docent graviora sceptra esse, quam ut illa inanes Scholastici suis argutiis moveant. Quin ita tunc externarunt Paulum animosa Venetorum consilia, ut iste plumbeis suis minis, & apud cordatos Patres nil profecturis excommunicationum fulminibus diffisus, patrocinium Hispaniarum Regis anxie ambiverit; atque negotio ibi in cunctatrice Aula parum ex sententia succedente, mox iterum misso per cursorem Brevi, & exaggerata periculi magnitudine, animum Regis, ut dubiis rebus suppetias ferret, tentarit fortius; additis sin-

Th. H. l. 18.

Barclajus in Sat. p. 2.

singularibus literis ad Lermæ Ducem, cui Pontifex causam suam commendabat quam diligentissime, cum excessu quodam longe infra Papale supercilium natantium adfectuum; & magnificarum promissionum; quem insuper vocabat *basin Hispanicæ coronæ, super qua acquiescat Monarchia Catholica, unicum Ecclesiæ fundamentum*: & amplius (*cosa insolita alli Pontefici*(istum Iberum Despotikyrium *Excellentiæ* titulo dignabatur. Quid dicam de *Germanis* nostris Principibus? *Pii IV* ad Protestantes in Numburgi conventu literas, quas *brevia* vocant, Concilii causa missas, cum hac inscriptione; *Dilecto filio Nobili viro Duci, aut Comiti*; eas omnes minime resignatas illi in hospitium deferentium Legatorum remiserunt, cum hoc responso: nullam se Pontificis jurisdictionem agnoscere; neque etiam opus esse, ut Pontifici, quid suæ voluntatis sit in Concilii negotio, cujus indicendi aut habendi potestatem ipse non habeat, aperiant. Quare cum *Pius V* Francisco Comendono, suo in Comitiis Imperialibus Augustanis Legato, enixe injunxisset, ut si religionis causa in comitia deduceretur, ipse suo nomine publice protestaretur, & Pontificem in cunctos, qui aderant, tam seculares quam ecclesiasticos Principes divinæ censuræ gladium districturum interminaretur, & contra Cæsarem inprimis; quem & Imperio ac regnis & ditionibus, successionibus, & juribus, quæ in Hispaniæ regnis ei competebant, privaturus esset: minister hero suo prudentior, qui veritus, ne ea protestatione

Historia particol.re &c. l.3. p.220.

Th. H. l.27.

Th. H. l.26.

magis animi irritarentur, ne secundis quidem
mandatis paruit. Si itaque jam e sepulchris, vel
inferis, Auditores, veniat in nostram Germa-
niam aliquis *Clemens V*; qui Venetis ob occupa-
tam Ferrariam infestus *Francisco Dandulo* eorum
Legato aditum concedere noluit; tandem vero,
cum is quasi quadrupes catena collo appensa ad
pedes ipsius Pontificis cænantis provolveretur,
pacem dedit: aut potius aliquis *Gregorius VII*;
qui Imp. *Henrico IV*, regio cultu abjecto nudis-
que pedibus asperrima hyeme Canusii sibi sup-
plici facto, absolutionem & reconciliationem
superbissime tertium denegavit: aut etiam ali-
quis *Paschalis II*; qui Imp. *Henrici IV filium* pa-
tri cognominem, & Imperii proceres, ad par-
ricidalem rebellionem impulit; qua factum, ut
tandem miser ille pater insignibus Imperialibus
orbatus, Leodium in custodiam missus, ac mœ-
rore consumptus sit; odio etiam in defuncti ca-
daver jam sepultum grassante, quod effossum
Leodii per totum quinquennium honore sepul-
turæ caruit: aut aliquis *Alexander III*; qui Imp.
Friderici I cervices Venetiis calcasse fertur, illud
Davidicum occinendo; *Super aspidem & basiliscum*
ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: aut
si omnes illi, quibuscunque fuerint facinoribus
famosi, fulminatores atque pacis publicæ pertur-
batores Papæ simul in patriam nostram adve-
niant; fraudum, scelerum, atque tyrannidis suæ
periculum facturi; An putatis nobis defuturos
esse novos aliquot *Dantes*, *Marsilios Patavinos*,
Pe-

Zvving. M. Apod. l. 1. c. 1. Bodin. de Rep. l. 1. c. 9.

Mornæus in H. Pap.

Iacob. B. M. Rex in confut. Torti. Tortura Torti. Iustiniã. rer. Venet. l. 2. *At falsum hoc esse* docet Lehman. in Chr. Spir. l. 5. c. 56.

Petros de Vineis, *Occamos*, *Venericos*, *Waltramos*, *Antonios a Rosellis*, & *Albericos Rosates*, qui necessariis & invictis rationibus demonstrent, *Imperium a Papa non pendere*, *Imperatorem ejus confirmatione non indigere*, *qui contra sentiant*, *læsæ majestatis reos esse & bona sua committere?* An non existimatis, exorituros novos *Ottones Witelspachios*; qui, ut ille apud Vesontionem Hadriani IV Legatum, *Imperium Papæ beneficium esse* stolidissime contendentem, jam jam stricto gladio confossurus esset, nisi ab Imp. Friderico I fuisset retractus, ita nunc isti Romanorum alastorum injurias & fastum armis retundant? An vero non estis certissimi, serenissimis Imperii Ordinibus non minus animi aut auctoritatis hodie esse, in majestate augustissimi *Imp.* MATTHIÆ tuenda, quam olim fuit in dignitate *Imp. Ludovici Bavari*, & totius Imperii, conservanda & stabilienda; cum in pomario vici *Rhenosei*, Ann. Chr. cIↃ CCCXXXVII, sexto die Julii, Electores hoc Senatusconsultum conderent, quod altero anno post Francofurti, octavo Augusti, admirando suffragiorum concentu Imperator & universa Principum reliquorumq; procerum multitudo solemni edicto sanxerunt & comprobaverunt? *Sacrosanctum Imperium summa in terris potestas, cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post* DEUM *est*; *per quem leges, jura, regna, humanæ genti largitur æterna majestas: & tam grande nomen a solo* DEO *traditur*; *cui soli ille Reip. administrandæ rationem* red-

Alb. de Rosate in l. bene a Zeno. col. 6. n. 18. C. de Quad. præsc. Mor. in H. Pap.

Naucl. vol. 2. gen. 39.

Avent. Ann. Bojor. l. 7. Lehm. Chr. Spid. 7. c. 17.

reddendam habet. A Curiatus igitur Heptarchis rebus impositus, continuo more majorum atque jure gentium rex est & vocatur. Ipsum contra majestatem Reipub. decus Imperii, legatos ad sacerdotem Romanum, ut autor fiat, copiam administrandi concedat, mittere; eidem jurejurando fidem adstringere; atq; petere ab eo usum regii diadematis, religio est: nullum harum rerum jus omnino est pastori, qui servus ovium est, & in consecrando domino gregi servit. Quippe jure suffragiorum, beneficio Electorum atque populi, quisq; imperat. Hæc verißima esse convenit inter omnes annalium, rerum humanarum divinarumq; peritos, atq; jam sæpius utriusq; juris Cæsarei atq; Pontificii, cœlestis thesauri testimoniis comprobatum est. Nonnulli quidem sanctuli præter fas contra naturæ legem docere non erubescunt; Pastoris beneficiarium esse Dominum, neq; ante Principem Principum esse, aut nominari oportere, quam ille servus servorum autor fiat, & dignum judicarit, qui regnet: sed hæc cum maxima Reipub. Christianæ pernicie, intolerabili populi Christiani, Imperatoriæ majestatis jactura, nec sine gravißimo tetrarcharum, dynastarum, clientium Imperii detrimento, instigante Stygio Principe domino hujus mundi, commenta esse, eventus docet, exitus probat. Quare decernimus, & perpetuo sancimus edicto; nimirum ex solo electionis beneficio, omnem potestatem imperiumq; proficisci: nec ullo pacto Pontificis Romani in hac re sanctimonia, flaminio, autoritate, consensu opus esse. Quicunq; aliter docuerit, senserit, factitarit, crimine læsæ majestatis reus, hostis Reipublicæ atque proscriptus esto, capite pœnas solvito, bona ejus publica sun-

sunto, prædia infiscentur. O sapientissimos & magnanimos majores nostros! O patriæ amantissimos! libertatis retinentissimos! Reipublicæ & Imperii observantissimos! Credite vero, nec dubitate, mei Auditores; etiam hodie in Imperatoribus nostris vivunt & vigent majestas, virtus, & potestas priscorum Cæsarum. Illi *Concilia* universalia indixerunt; *Constantinus Magnus* Nicenum, Constantinopolitanum *Theodosius senior*, Ephesinum *Theodosius junior*, *Martianus* Chalcedonense; quæ quidem *quatuor Concilia* sunt *quasi quatuor Evangelia*, vel *totidem Paradisi flumina*: & alii Imperatores indixerunt alia: sed & nostris Imperatoribus eadem cura jam commissa est. Illi *Papas instituerunt*; atque *Henricus III* Clementem II, Damasum II, Leonem IX, & Victorem II, creavit; alii alios: sed & hoc nostri jure suo jam facere possint, si velint. Illi contumaciam & impietatem Paparum non raro puniverunt; & *Otto I* Ioannem XIII (*qui in amorem Diaboli vinum biberat*) & Benedictum V; *Henricus III* Benedictum IX, Sylvestrum III, & Gregorium VI, & alii alios, exautoraverunt: sed & nostris hodie licet idem. Prorsus uti Imperator *Henricus IV* *Gregorium Hildebrandum*, illum *sanctum Satanam* (sic enim vocabatur a Petro Damiano, Monacho non vulgaris existimationis) qui contra Apostolicam Petri & Pauli doctrinam abominabili scelere DEO & Regi honorem suffurabatur, ita compellat: *Tu Hildebrande, non jam Apostolice; sed false Monache, descende; vendicatam tibi sedem Aposto-*

c.1.&2.Dist. 15.Iac M.B. Rex in Ap. pro jur. fid. Whitaker. de Cõc. Q. 2. Gothofr. in not. ad l. 7.§ 4. C.de sum. Trin.

Seld. Cons. contr. Paul. IV. Grotius in Pietate Ord Holl.

Hat auffs Teuffels gesundheit getruncken/

Bar. ad An. 1064. n. 28.

Goldast. to. 2. Constitu. Impe. p. 50.

licam relinque : alius in solium beati Petri ascendat, qui nulla violentiam religione palliet, sed beati Petri sanam doctrinam doceat : Ego Henricus Rex DEI *gratia, cum omnibus Episcopis nostris, tibi dicimus, Descende, Descende* : sic hodie, si Religionis & Reipublicæ salus per Paparum flagitia & artes periclitetur, idem remedium Imperator noster adhibere potest, & dicere: Ego MATTHIAS DEI gratia Imperator Augustus, cum omnibus Imperii Ordinibus, tibi *Paule*, aut *Clemens*, aut *Leo*, aut quicunque es, edico; quia boni Petri in te est nihil; quia tantum prædicari vis, non vero prædicare; quia CHRISTI gloriam impietate & illecebris mundi, Religionem superstitione, Respublicas proditionibus ac rebellionibus polluis & conturbas; age de throno Pontificio descende ocyus, descende: sed tu, *Balthasar Menzere*, aut tu *Matthia Hafenreffere*, aut quicunque es isti Episcopali culmini par orthodoxe, adscende quam ocyssime, & tandem Romanis purum sanctumque Christi Evangelium, atque Apostolicam doctrinam sanam, nullis Papalibus sordibus inquinatam restitue, & interpretare. Veruntamen non dicam crassus & intolerabilis error, sed fraus Canonistarum & totius illius adulatoriæ sectæ fuit Diabolica, qua Germanos Religionis zelo, in superstitionis decipulas jam prolapsos novis mendaciorum technis ac sutelis, de *Papali Imperii in Germanos translatione, de juramento fidelitatis ab Imperatore Papæ præstando, de confirmatione, coronatione, & titulo Imperatoris, de administratione vacan-*

vacante Imperio, & hujus farinæ pluribus, irretire conati ſunt. Clarum enim & meridiano ſole lucidius eſt, *Carolum Magnum* triplici expeditione Italiam occupaviſſe, eo ordine; ut *primam* ſuſciperet rogatu Adriani Pontificis contra Deſiderium Regem Langobardorum, quem Papiæ incluſum cepit, & totam Langobardiam ſub jugum miſit; *alteram* contra Argiſum Ducem Beneventanum, qua omnem ejus ditionem ſibi ſubjecit, & propterea *Advocatus S. Petri contra Langobardos*, dein etiam *Patritius Romanus* electus eſt a Romanis: *tertiam* denique contra Romanos, ulturus injuriam Leoni III ab illis illatam, qua, levi in Beneventanos excurſione facta, Romam venit; ubi ipſo die Domini natali a Leone coronatus eſt, cuncto Romanorum populo acclamante: *Carolo Auguſto a* DEO *coronato, magno, & pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Vt ita populus Romanus auxilio deſtitutus omni, cum hinc ſeditionibus inteſtinis ac civilibus, illinc finitimorum populationibus atque injuriis premeretur, Conſtantinopolitanorum Imperatorum ignavia deſidiaque, interim etiam hæreſi, permotus, primo Exarchorum Vicariatum Imperialem, tum denique ipſa Imperatorum jura, in quos *Lege Regia* olim ea contulerat, tanquam commiſſa ſibi aſſeruerit & vindicaverit, in Germanoſque eadem *Lege Regia* tranſmiſerit. Neque etiam *juramentum*, quod præſtat Imperator Papæ, eſt *fidelitatis*: id quod *Henricus Luzelburgicus*, convocatis tabellionibus, publice negavit ſe feciſ-

Arniſæ. de Transl. Im. n.12. & 13.

Goldaſt. in Rationali Conſt. t. 1.

Goldaſt. in Replic. pro Imp. Cont. Gretſ. c. 16.

fecisse, testatus nulli mortalium ad fidelitatem se obligatum esse, nec in fidelitatem cujusquam jurasse: sed jurat Imperator Pontifici & Ecclesiæ tantum protectionem, procurationem, & defensionem: quemadmodum Domini vasallis, Principes subditis, jurejurando sæpe promittere solent. Sic *Coronatio* Pontificis non magis operatur quicquam ad amplitudinem Imperatori conciliandam; quam Archiepiscopi Coloniensis, aut cujuslibet alterius Episcopi facta consecratio: ac licet antiquitus Imperatores non nisi a die coronationis Pontificiæ, annorum Imperii dinumerationem inciperent, singulari quadam erga Sedem Apostolicam reverentia inducti: id tamen jamdudum in desuetudinem abiit; & uti ante introductam istam consuetudinem semper licuit Imperatoribus, ita & inducta jam illa licet, atque in posterum semper licebit, post electionem & Germanicam coronationem se IMPERATORES nominare & scribere. Et quot fuêre Imperatores, quibus a Papa corona nulla est imposita? Quot fuêre, qui solennes illas ceremonias penitus neglexerunt? *Henricus Auceps* invitatus a Pontifice, ad coronam Imperii suscipiendam, respondit: *Sibi sufficere, quod ex gratia* DEI *sit Rex Romanorum, & quod Germaniam ab infidelium incursione defendat.* Et *Rudolfus I*, Principibus ad Italicum iter adhortantibus, Imperatorie: *Multos Alemannorum Reges Italia consumpsit: non ibo Romam. Rex sum, Imperator sum: nec minus pro utilitate Reipublicæ acturum me confido, quam si Romæ fuissem coro-*

Seld. Conf. cont. Paul. IV. Arni de Trans. Imp. n. 34. & 35.

Seldius. d. l. G. Buxtorff. Disp. in A. Bull. th. 8. lit. c. & c. th. 30. lit. g.

Archidiac. & Seld. d. l.

Cruf. Ann. Suev. p. 3. l. 8. cap. 1. ex Trith.

coronatus. Sic etiam in eo Canoniſtas falſi arguimus, quod per *vacationem* Imperii jus ad Papam devolvi vaniſſime nugantur: cum longa & approbata conſuetudine, vacante Imperio jus adminiſtrandi Palatino & Saxoni Electoribus competat; & nuper *Paulus IV* magis fuerit ridiculus, quam formidoloſus, cum *Imperatori Ferdinando I* fatuum ſilicernium ineptiſſimis quæſtiunculis obſtreperet; Principibus & Ordinibus Imperii Canones Caraſficos, & purpuratos illos Canoniſtas, *par le droict du canon* confutare tunc promptiſſimis, ſi Imperator nutu tantum operam illorum poſtulaſſet. Sed quemadmodum ſerpentes venenum ſuum retinent quocunque anni tempore, etſi non ſemper exſerere poſſunt: ita Pontifices ſuam pravitatem: quæ tamen cum interitu ipſorum aliquando erumpet non aliter, quam cum *Ioan. Baptiſtæ Concordiæ Epiſcopo*, Pontificio ad Venetos legato, retentus in convivio Ducali ventris flatus lethalem contraxit morbum, & Ferrariæ poſtea animam eliſit. Quod ſi vero quis iſta Pontificum indignitate exacerbatus, accuſet nimiam Principum indulgentiam, an dementiam; qui illos tantis, nec ab homine expetendis honoribus olim auxerunt, & paulo infra DEUM adoraverunt; nihil aliud obtendere poſſum, quam Religionis obſervantiam, cui majorum pietas tantum detulit, ut etiam ſacrorum antiſtites ac interpretes poſt DEUM exquiſitiſſime colendos eſſe cenſuerit. Ita fit, ut Imperatore non Papa tantum, ſed quilibet loci Epiſcopus & parochus

Bod. de Rep. l. 1. c. 9.

Zvving. M. Apodem. l. 3. c. 19.

Seld. d. l.

chus in *foro conscientiæ*, ut loquuntur, sit superior: sed & extra illius fori causas scimus, Monachos Capucinos maximis Principibus dexteros incedere: at qui inde velit argutari, Papam, Episcopum, parochum, & illos monachos, potestate & auctoritate esse supra Principes, is nihil aceti in pectore habiturus, nec rationibus sed baculis convincendus sit. Equidem Pontificii fastus proxenetæ, & qui illum osculandorum pedum ritum, quo non nisi perreptato de geniculis cubiculo, osculoque pedibus Papæ admoto, nemo ad illius colloquium admittitur, Religionis suæ faciunt characterem, Ambrosium, divinum virum, in patrocinium trahere audent. *Sublimitas Episcopalis*, inquit sanctus Episcopus, *nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant se communiri.* Locus est illustris; sed quo turpiter abutuntur lupæ Romanæ lustra. Asserit aureus Doctor, Episcopatum vel regno esse potiorem. Quidni? Cum etiam Christianum esse majus sit, quam Regem esse. Quis enim vere Christianus dignitatem suam cum Neronis diademate commutatam velit? Non tamen Ambrosius dixit, se potiorem esse Theodosio; neque certe dicere debuit. Nam Theodosius & Christianus fuit, & Pastor, & Sacerdos, ac insuper Imperator. Re-

Vide Iaco. Capellum de Sedis Ro. potest, l. 1. c. 24.

de dignita. Sacerd. c. 2.

Reges quippe Pastores dicuntur, & a sacris & ab exoticis scriptoribus. Imo quivis Christianus, qua talis, etiam Sacerdos est, atque adeo Rex: cum omnes sint, divi Petri verbo, *regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis.* Rex autem vere Christianus etiam Episcoporum suorum Episcopus esse debet. At in Synaxin sacram non ingreditur Rex, qua est Rex, sed qua est Christianus; nec ut pastor, sed ut ovis: idque ut testetur, de geniculis adorat & inferiore loco, Pastor stans & de umbone. In hoc actu vel Diaconus, ut Rege, sic Episcopo major est: quia tum & Episcopus non Episcopum agit, sed ovem. Quamobrem tunc qnoque ut Regis, sic Episcoporum colla genibus orantis Diaconi sunt inferiora. Ne tamen quid diffitear; ille Ambrosianus locus nec modestiam, nec seculum sapit magni Ambrosii; & illa inter Episcopum & Regem comparatio vitio non caret. Si enim Theodosius Ambrosium eo nomine culpare voluisset, quem vindicem laudare potuisset? quem Martyrem? quem Apostolum? quem Prophetam? quem Doctorem intra mille & octingentos annos, qui fluxerunt ab Aaronis obitu ad Ambrosium usque? Contra, tam Novi quam Veteris Testamenti tabulæ Regiam dignitatem passim anteponunt Sacerdotali; postponunt nunquam. Et præclare annotatum a Talmudicis est, quanto major omnibus & Prophetis & Pontificibus Rex fuerit. Nos id obiter ex Rabbi Mose Maimonide Ægyptio, (qui scriptor maximus fato

quo-

P. Cunæus de Rep. Hebræor l 1. c 2 & c 14. Rabbi Moses Bē-Maimon in Halacha Melachim, c.2.

quodam & sorte nascendi primus solusque in gente Talmudica recte intellexit, quid hoc sit; *non ineptire.*) referemus; cujus verba sententiam ferme habent ejusmodi, interprete eruditissimo Petro Cunæo: *Sancitum fuit, uti Pontifex maximus Regem veneraretur, & locum illi suum ad sedendum cederet, atque ipse staret, si quando veniret ad eum Rex. At econtra, Rex non stat præsente Pontifice, nisi cum consulit solenni ritu oraculum* VRIM. *Præterea tanta Regis dignitas est; uti vel ipse vates, quoties ei adest, in terram humiliter se summittat. Quippe scriptum est: Nathanem Prophetam venisse coram Rege, & specie honoris prono ore procubuisse in humum.* Sed quorsum me Canonistarum intemperies abripuit? Quorsum Vaticanus Iupiter me seduxit, Auditores? Regredior cum *Marcello II Pontifice*; Cardinalis Bellarmini avunculo, viro rara eruditione, prudentia, & sanctitate vitæ antiquis comparando; qui aliquando, cum ei anagnostes in memoriam revocasset *Hadriani IV* verba, quibus miseram Pontificum Romanorum conditionem deplorabat, mensa manu percussa subjecit; *Non videre se, quomodo, qui fastigium hoc altissimum tenerent, saluti suæ consulere possent.* Nunquid igitur, *Laurenti*, Nobilitatem, & summum Italiæ decus in armis & *virtute bellica* jam quærere juvat? Sed ne sic quidem laurum invenies, *mi Laurenti.* Bene poeta:

Onuphr. in Marcell. II. Th. H. l. 11.

> *Roma fuit quondam terræ Regina marisque:*
> *at nunc nec terras, nec mare Roma regit.*

Stapleton. Adm. R. E. l. 1. c. 6.

Lau-

Laudem tamen militarem *veteri Romæ* non subtraho: & tot ſcriptores pro illa loquuntur. Etſi, ut verum fateat, juſtitiam belli interdum fruſtra inveſtigo; & felix ſcelus non raro virtutem, nec ſine advocato fuiſſe, adverto. Quomodo enim populus Romanus ſociis defendendis terrarum omnium potitus ſit, ut Cicero vult: niſi ſocios violatis fœderibus in ſubditorum conditionem dejeciſſet? Nonne Lactantius aſſerit, *Romanos, qui orbem totum poſſedêre, ſi juſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere, quod vi & armis occupaverunt, ad caſam & egeſtatem reverſuros?* quod ipſum jam olim iiſdem exprobraverat Brennus, Pontius, Iugurtha; imo & Coriolanus ipſe. Nonne Mithridates conqueritur, *Romanos arma in omnes habere, in eos acerrima, quibus victis ſpolia maxima ſunt; atque unam & veterem bellandi cauſam eſſe, cupidinem profundam imperii & divitiarum?* Nonne Galgacus etiam illos vocat *Orbis raptores, ſi locuples ſit hoſtis, avaros; ſi pauper, ambitioſos; quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit?* Qui tamen univerſam bellorum Italiæ fortunam, & tot populos in eam effuſos meminerit: facile & hoc colliget, Italiam ſæpius victam, quam victricem fuiſſe: cum ſuſtinuerit partim ut hoſpites & novos cives, partim ut hoſtes & victores, *Oenotros, Aborigines, Lydos, Auruncos, Pelaſgos, Auſones, Arcades, Græcos, Trojanos, Venetos, Ligures, Ardeates, Rutulos, Siculos, Iapyges, Lacedæmonios, Salentinos, Gallos, Pœnos, Herulos, Gothos, Hunnos, Hungaros, Gepidas, Thuringos,*

Epit. c. 6.

Plutarch in Cam. Liv. l. 9. Salluſt. in Iug. Halic. lib. 8.

Tacit. in Agric.

Leand Alb in Ital. Merula Com. p. 2. l. 4. c. 11.

Ava-

Avares, Langobardos, Saracenos, Cimbros, Teutones, Francos, Suevos, Vascones, Helvetios, Germanos, Hispanos, & quos non? Imo

Lucan. l. 1. *Ipsa caput mundi, bellorum maxima merces,*
ROMA *capi facilis.*

Et ostendit Historia; illam *sexies* a Visigothis, Ostrogothis, Herulis, Vandalis, Hunnis, Langobardis, intra centum & quadraginta annorum decursum, expugnatam, mœnia convulsa, castella dejecta, ædificia combusta, opes universas exportatas, picturas, statuas, & omnia ornamenta, quæcunque moveri loco potuêre, à Genserico inprimis rapta, atque in naves imposita (quæ postea maritima tempestate hausta perierunt) Nobiles captos, plebem spoliatam & relegatam, urbem denique ipsam longo tempore desertam, & sic tandem immutatam fuisse, ut certis argumentis fidem facere in facili sit, Veterem illam marmoream Romam, non intra muros modo Aurelianenses illos capacissimos, sed & in suburbiis (quæ Tibur, Ocriculum, Ariciam, potissimum autem Ostiam & mare versus excurrebant) frequentissime habitatam, ruderibus ac ruinis suis maxima ex parte tumulatam disparuisse penitus, aut alicubi Novæ, tametsi non amplius XIII M. P. in orbem patentis (minime tamen hodierna civitatis infrequentia tam angusto isti spatio implendo sufficiente.) Novæ, inquam, urbis operibus obtectam latere. Et quis ita mirabitur, si Martius campus, qui suburbanus fuerat quondam, hodie quæratur in urbis fere meditullio? Si

Lips. in Admi. & Pflaū. in Roma.

si Palatinus mons, in quo veluti sata a Romulo urbs deinde ad circumjectos colles se prolatavit, superbissimis ab antiqua luxuria structuris exornatus, hodie tamen, si Farnesianos hortos excipimus, informem duntaxat referat speciem desertorum? si pluribus quoque gradibus descendatur hodie in Pantheon, cum totidem ad id ascenderetur olim? si & Camillus olim apud Livium saluberrimos urbis colles deprædicet, cum tamen hodiernis temporibus sive a solitudine, sive vicinis paludibus, sive qua alia causa contraxerit vitium aer, adeoque vulgata sit Romani cœli gravitas, quam nisi certa luce, quod & ane dixisse memini, haud ferme sine periculo sentiat hospes. Quinetiam vetus illa Romanorum potentia, magna quidem, sed alienis, non suis viribus suffulta, & *nihil validum in Romanis exercitibus* fuit, *nisi externum*: Quod ne cui videatur falsi simile; unica *Britannia*, quantas copias totus Orbis suppeditarit Romanis, argumento sit. Nam præter eas, quas *Maximus* ille, Imperii invasor, & ultimus *Constantinus* abduxerunt, ex inscriptionibus antiquis & *Notitia Provinciarum* patet, istas, quas dicam, militasse Romanis dispersas per provincias, quæ perpetuo ex Britannia suppletæ: nempe, *Ala Britannica milliaria*: *Ala IV Britonum in Ægypto*: *Cohors Prima Aelia Britonum*: *Cohors III Britonum*: *Cohors VII Britonum*: *Cohors XXVI Britonum in Armenia*: *Britanniciani sub Magistro peditum*: *Invicti juniores Britanniciani*: *Exculcatores juniores Britanniciani*:

Hist. l. 5.

Tacitus.

Vide Notit. Imperii: & ibi Pancir. Cambd. in Brit. de Roman. p. 60.

Britones cum Magistro Equitum Galliarum: Invicti juniores Britones intra Hispanias: Britones seniores in Illyrico. Hodie autem Italia est imbellis, effœminata, inermis, & violati orbis pœnâs, necdum expiata, luit ut cum maxime: quam tanquam omnium avium cadaver, aut potius tanquam dubiæ possessionis in medio positum solum, prout quisque viribus invaluit, trahunt, vexant, lacerant, vastant Principes Europæi: *eique accidere solet, ut quicunque illam armatus fere attigerit, sine ullo certamine in potestatem suam redigat.* Quapropter Imp. Carolo V *Ferdinandus Gonzaga*, & ipse Italus, persuasit; ne ad obsidionem Metenseni ex Italis militem conscriberet, quem sciret inquietum, & dicto minus audientem esse, nec ad Gallorum alacritatem consistere. Ita cum in Senensi bello Cardinalis Ferrariensis *Petro Strozzio* offerret pecunias, ad colligendum exercitum Italicum, quo res afflictas Senensium & obsidione fractas suppetiarum solatio erigeret: Strozzius Italis militibus solis, quicunque & quantocunque tandem illi numero essent, fidere noluit. Et quicquid tu, *Laurenti*, de fortitudine declames Italorum, & nominatim Hetruscorum: *Nicolaus Macchiavellus* Florentinus experientia confirmatum esse ait, *Italos in defensione urbium violentos Germanorum illos insultus ferre non posse.* Sed videsis mihi quoque, non *copias Pontificias*, quæ trito vulgi proverbio *militiæ dedecus* sunt; non Romanos ipsos, in quos illam quadratarum literarum præscriptionem, quibus olim *Senatus* *Popu-*

Tubero H. lib. 7.

Adrian H. lib. 4.

& lib. 12.

Disp. l. 2. c. 17.

F. Guicciar. H. l. 1.

Populus Que Romanus indicabatur, nunc quidam sic efferunt satis aculeate; *Sono Poltroni Questi Romani*; *Romani hodierni sunt nequam & ignavi*: sed contuere *Venetos* illos sagatos, *quos Turcæ non hostem, sed prædam habent*, & quos *Bodinus* bestiis imbellibus, quibus natura bilem ademit, ut cervis & columbis, aut quas omnino exarmavit, ut leporibus, non illepide comparat. In bello quidem, quod cum Imperarore Maximiliano I, Ludovico XII Gallorum Rege, & cæteris fœderatis gesserunt illi, cum ad Abduam a Gallis magna cæde profligati essent, Liviano eorum imperatore capto, animadverterunt alii Itali, qui prælio interfuerant, *aciem Venetorum prorsus inermem & sine dextris, at neminem non Gallorum centimanum fuisse*: & Bajazethes Turcarum Princeps Gallos appellabat fortunatos, *quod opificem hostem, ad fugam plane, quam ad pugnam aptiorem, nacti essent*. Equidem Patres illi, tantum tibi, *Laurenti*, & præter cæteros altum sapere visi, in ea novercantis fortunæ tempestate nihil constantiæ, nihil animi, tunc habuisse deprehensi sunt; *fataliqne deteriorum consiliorum amore*; omnia mascula defensionis remedia spernendo, ignaviam, timorem, & rapinas suas apud Imperatorem Maximilianum turpissima legatione prodiderunt. Agite vero, tu Præses inclyte, vos Principes alii, vos mei Collegæ, & Auditores omnes; audite quæso Legatum ipsum, *Antonium Iustinianum*, Auditorio digna atque nationi nostræ perhonorifica locuturum. Ille vero ad Cæsaris conspe-

S. P. Q. R.

Tub. H. l. 9.

Bod. de Re. l. 5. c. 5.

Tuberō d. l.

F. Guicciar. H. l. 8.

ctum in publico consessu admissus, misere atque submisse admodum in hanc sententiam verba fecisse scribitur. *Veteres Philosophos, atque summos illis temporibus viros, invictissime Cæsar, cum eam gloriam, quæ ex sui ipsius victoria comparatur, veram, firmam, æternam, immortalemque esse affirmarunt, eamque supra omnia regna, trophæa, atque triumphos extulerunt, minime errasse manifestum certumque est. Hæc Scipioni majori tot victoriis claro, majorem splendorem, quam Africa devicta & Carthago domita dedit. Nonne hæc eadem res magnum illum Macedonem immortalitate donavit? cum Darius maximo prælio ab illo victus, deos immortales, ut regnum suum stabilirent, precatus est: quod si secus statuissent, se non alium successorem, quam tam benignum hostem, tam mansuetum victorem ab illis petere. Cæsar ille Dictator, a quo Cæsaris cognomentum habes, & cujus fortunam, liberalitatem, magnificentiam, aliasque virtutes obtines; nonne concedendo, remittendo, condonando, qui in Deorum numerum referretur, dignus est judicatus? Denique Senatus populusque Romanus, ille mundi domitor, cujus imperium in te solo est, cujusque amplitudo & majestas in te conspicitur, nonne plures populos atq; provincias, clementia, æquitate, & mansuetudine, quam bello armisque imperio suo subjecit? Quæ cum ita sint, minime inter postremas laudes id tibi adscribetur, Cæsar; si cum victoriam adversus Venetos in potestate tua habeas, quam humanæ res caducæ sint memor, ea moderate uti noveris, magis ad pacis studia, quam ad dubios belli eventus propensus. Quan-*

Guicciard. d. l.

ta enim rerum humanarum inconstantia sit, quam incerti casus, quam dubius, varius, fallax, obnoxiusque periculis sit mortalium status, externis priscisque exemplis ostendere non est opus: satis superque Veneta Respublica docet: quæ paulo ante florens, splendens, clara, atque ita potens erat, ut ejus nomen & fama non jam Europæ finibus contineretur, sed egregia pompa Africam, Asiamque percurreret; atque in extremis orbis terræ terminis magno cum plausu resonaret: hæc eadem nunc unico eoque levi adverso prælio rerum gestarum gloria orbata, opibus spoliata, lacerata, conculcata, atque eversa, omnium rerum, ac præsertim consilii egens, ita corruit, ut omnis pristinæ virtutis imago consenuerit, omnisque armorum ardor deferbuerit. Sed falluntur procul dubio, falluntur Galli, si hæc propriæ virtuti tribuunt. Antehac enim Veneti gravioribus incommodis agitati, maximis detrimentis cladibusque perculsi atque attriti, nunquam animum abjecerunt, ne tum quidem, quum ingenti periculo cum sævißimo Turcarum Tyranno multos annos bella gesserunt: imo semper ex victis victores facti sunt: idem & nunc sperassent, nisi majestatis tuæ tremendo nomine, copiarumque tuarum vivida invictaque virtute audita, ita omnium animi concidissent, ut nulla non modo vincendi, sed ne absistendi quidem nobis spes relicta fuerit. Quocirca armis abjectis, in majestatis tuæ incredibili clementia, vel potius divina pietate spem omnem locavimus; quam nos nostris rebus perditis inventuros minime diffidimus. Itaque Principis, Senatus, populique Veneti nomine, humili devotione supplices oramus, obtestamur, atq;

obsecramus, ut clementiæ tuæ oculis res nostras afflictas respicere digneris, iisque salutarem medicinam afferre. Omnes pacis leges, quas tu nobis imposueris, amplectemur: omnes justas, honestas, & ab æquitate rationeque minime alienas ducemus. Sed fortasse, qui nobis ipsis mulctam imponamus, digni sumus. Ad te verum & legitimum Principem omnia, quæcunque majores nostri Sacro Imperio & Austriæ Ducatui ademerunt, redeant: quibus, ut decentius veniant, omnia quæcunque in continenti poßidemus adjungimus; quarum rerum juribus quocunque modo partis cedimus. Præterea quotannis tuæ majestati & legitimis Imperii successoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus: imperiis, decretis, legibus, præceptisque tuis libenter obtemperabimus. Defende nos, quæso, ab illorum, cum quibus paulo ante arma nostra conjunximus, insolentia: quos nunc sævißimos hostes experimur: qui nihil aliud expetunt, quam Veneti nominis interitum. Tua ista clementia conservati, te urbis nostræ parentem, genitorem, conditoremque appellabimus: ingentia beneficia tua in annales referemus: liberis nostris perpetuo memorabimus. Nec vero parva hæc erit ad tuas laudes accessio; te primum esse, ad cujus pedes Veneta Respubl. supplex se humi prosternat, cui cervices supponat, quem velut DEVM *cœlo delapsum colat, revereatur, observet. Si* DEVS *Opt. Max eam mentem majoribus nostris dedisset, ut res aliorum attingere non studuissent, jam nostra Respub. gloriæ plena reliquas Europæ civitates longe superaret: quæ nunc in squalore, sordibus & fœtore languescens, ignominia, probroque* defor-

deformis, ludibrio atque contumelia referta, unico momento omnium victoriarum laudem amisit. Sed ut unde incepit, eo mea revertatur oratio: in tua potestate est, Cæsar, Venetis tuis ignoscendo & condonando, nomen laudemque comparare, qua nemo unquam vincendo majorem splendidioremq; adeptus est. Hoc monumentum nulla vetustas, nulla antiquitas, nullus temporum cursus ex mortalium mentibus delebit: sed omnia secula te pium, clementem, omnium Principum gloriosissimum appellabunt, prædicabunt, confitebuntur: nos tui Veneti, quod vivemus, quod auras cœlestes carpemus, quod hominum commercio fruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati, clementiæque tribuemus. Ecquis unquam populus, Auditores, vilius se abjecit? Ecquam gentem terror naturali constantia turpius exarmavit unquam? O Maximiliane, Maximiliane! Memoria tua mihi magna, augusta, & sancta est: sanctior tamen, augustior, & major futura, si illustri tot nobilium civitatum & terrarum ad Romanum Imperium lucrosa accessione Venetis pacem dare voluisses. Sed præponderabat odium commune; quo urbs Veneta sic arsit, ut nemo fere Principum Christianorum tunc adeo mitis fuerit ingenii, quin illam æque ac publicam Nobilitatis pestem, fraudum ac insidiarum nidum, exscindendam censuerit. Nam passim audiebantur deprædationes, invasiones, injustæque possessiones Venetorum, Tubero H. lib. 9.

queis summa laus sit, possidere de rapto; Ios. Scalig.
peculium fecisse de malo, virtus:

ac si ideo Venetiæ in mari sitæ essent, ut undi-

Stettfischer. que magnas urbes piscarentur. Nec enim videbantur Veneti magnopere curare juris titulos; satis tuti ac justi, si possiderent. Quare & præco a Ludovico XII Galliarum Rege missus Venetias, ut bellum Reip. denunciaret, admissus in curiam coram Duce totoque Senatu in hæc verba locutus est; *Bellum, Lauredane Venetorum Dux, caterique hujus urbis cives, Ludovicus Gallorum Rex indicere me vobis jussit tanquam infidis hominibus, Pontificisque Max. & reliquorum Regum oppida per vim perque injuriam capta possidentibus, omniumq; omnia dolo malo sub vestram ditionem rapere atque redigere festinantibus: ipse ad vos armatus ea repetiturus venit.* Et *Hieronymus Donatus* Reip. Venetæ nomine apud *Alexandrum VI* legatus, incertum qua sermonis occasione per jocum quæritanti Pontifici, quibus tandem titulis urbs Veneta possessionem maris Hadriatici tueretur? extemporali responso quæstionem solvit: *Ostendat mihi vestra Sanctitas*, ait, *instrumentum Donationis Constantinianæ; apparebit, id opistographum, & versa pagina Venetorum privilegium atq; jus in mare Hadriaticum exhibiturum esse.* Sed tam Constantini illa fabulosa donatio, (quam aliter referunt editiones Latinæ, aliter Græcæ: & inter Latinas aliter Gratianus, aliter Isidorus Mercator, aliter Conciliorum collectiones Colonienses; inter Græcas, aliter Balsamon, aliter M. Freherus eam refert, aliter Jul. Cæs. Bulengerus) quam Venetorum in plerasque ditionis suæ provincias tituli sunt *paleæ*; quæ nihilominus multum grani, illa Eccle-

P. Bembus H. Venet. l. 7.

S. Monticulus de pat. pot. M. Freher. Com. ad Otton. 3. Donat. in præf. Jac. Capell. de Sed. Ro. Pot. l. 1. c. 15.

siæ

ria Romanæ, isti Venetis attulerunt. *Ferd. Daval. Piscarii* judicium de Venetorum militia silentio involvere non possum. Cum enim ipso duce, superiori seculo Cæsariani in agro Vicentino profligassent Venetos, qui vix primum impetum Germanorum & Hispanorum experti, fœdissime projectis hastis priusquam ad hostem pervenirent, in fugam & ad certam cædem se effundebant; ille in ipsa victoriæ gratulatione Veneti militis ignaviam detestatus, palam dixit; *Se plurimum dolere, quod terra Italia, quæ tam imbelles ferret milites, a majoribus suis esset insertus.* Iccirco Italos despiciens, cum illis, & uxore Victoria, non nisi *Hispanice*, fastidito patrio sermone, loquebatur. Cæterum Itali plerique, cum militari gloria aliis nationibus æquiparandi non sint; *vindictæ* tamen cupiditate, & barbara truculentia, omnibus hostibus multo sunt immaniores, & plane exsecrandi: & cum non possint fortiter, agunt saltem fraudulenter, perfide, nequiter, crudelissime. *Florentini* non milites, sed venefici; non viri, sed fœminæ; non homines, sed aspides sunt; non gladiis, sed veneno pugnant. Optimus Imperator *Henricus VII* proficiscitur in Italiam cum Germanis suis, requirit Florentinos, ut sibi & universo comitatui Cæsareo in urbe hospitium parent: sed respondent perduelles, *Tantum Principem imprudenter agere, qui barbaros* (ecce insolentiam & typhum adversum Germanos!) *in Italiam ducere conetur, quam ipse Imperii causa a barbaris tueri deberet:* nec uno crimine conten-

A. Ch. 1513. die 7. Octob.

Iov. in vit. F. Davali, Pisc. l. 1.

Platina in Clemen. V.

Cuſpin. in Henr. VII. Mornæus in H. Papat. Lehm. Chr. Spi. l. 7. c. 10.

ti, *Bernardum* Dominicanum Monachum ſubornant, qui hoſtia veneno illita Imperatorem ad Bonconventum nefarie interemit. O portenta! O ſcelera! O Cerberеam impietatem! Sed in *Ladiſlaum* Hungariæ & Neapolis Regem Florentini quales! Libidinoſiſſimus ille urbem eorum obſidebat arctiſſime; & jam ſic preſſerat, ut deditionis leges eſſet præſcripturus; omni tamen eos metu, atque obſidione etiam liberat, hac conditione, ut ſibi tradant virginem quandam, quam pulchritudine omnibus aliis ſuperiorem eſſe acceperat. Non abnuunt Florentini, pudicitiæ hoſtes: ſed non ſine dolo malo. Virginis enim pater, Medicus illo tempore magni nominis, tam turpi neceſſitate expugnatus, dat filiæ ſudariolum odore & artificio elaboratiſſimum, quo novum amantem in primo congreſſu demulceret. Et

M. Montan. l. 2. c. 33.

ita nova Venus ad Martem ſuum egreditur; cui amore deflagranti cum ſe permitteret, ex domeſtico mandato incaleſcentis carnes ſudariolo perfricat; qua re venenum in utriuſque corpus ea penetravit vehementia, ut mox inter mutuos amplexus ambo expirarint. Quanquam autem

A. Gentil. de j. belli. l. 2. c. 6.

Florentini hoc ſtrategemate ſe metu, & Italiam tyrannide liberaviſſe dicuntur: quot tamen flagitiis & ſceleribus parta eſt victoria? *Vinci ſatius eſt, quam malo more vincere*; dicebat Scaurus. Quocirca *Coſmus Medices*, ille ſapiens, qui per-

Jovius. in Coſm. Med.

ſpectum habebat popularium ſuorum veneficum ingenium, cum lividorum factionibus prævaleſcentibus, tanquam adfectati in libera civitate

prin-

principatus reus, qui tamen innocens neminem nisi virtutis fulgore offenderat, & studiose multos suis opibus ab egestate sublevarat, custodiæ traderetur; adeoque ab inusitata inimicorum acerbitate, qui tum erant in magistratu, crudelissimum Senatus decretum, atque ipsum carnificem expectaret; veneni insidias veritus, ab omni fere cibo totum quatriduum abstinuit; quem Fridericus Malavolta custodiæ præfectus, ut concepto veneni metu ac suspicione liberaret penitus, post plenissimas consolationis sententias, quibus captivum erigebat, etiam cœnam cum eo sumpsit, singulis dapibus prius a se delibatis. Quo vero in numero habeam *Pistorium?* quæ urbs non quidem veneficio, nec tamen justo bello, sed crudelitate & rabie factiosorum usque adeo est labefactata, ut deserta nunc & colonis destituta videatur. Vnde & *Maligna* quibusdam vocatur, & *factionum parens.* In ea siquidem primum omnium audita sunt factionum nomina ad perniciem humani generis & exitium pene universæ Italiæ excogitata, *Cancellariorum* & *Panciaticorum*: qui cum immani vindictæ cupiditate & capitalibus odiis inflammati in mutuas carnificinas ingenti Hetruriæ malo præcipites ferrentur; ad eorum postea exemplum veluti peste tacti in Piceno *Albi* & *Nigri*, in Latio *Columnenses* & *Vrsini*, in Insubribus *Bracciani* & *Sfortiani*, pro partium nobilitate & potentia non minus crudeliter grassabantur. Hæ furiæ in Italia nunquam penitus extingui potuerunt, neque posthac eradicabuntur

Plat. in Greg. IX. Leand. Alb. in Hetr. Med. Schradam Monu. Ital. l. 1. Merula Cos. p. 2. l. 4. c. 21.

tur facile, propter tectum gentis ingenium ac mores ad inferendum injuriam promptos, ad deponendum contumaces. Tanta est enim illic ultionum vis, & ambitiosa naturæ crudelitas, ut pueri etiam se aut harum aut illarum partium esse profiteantur, nec pietati parentum, nec cognatorum sanguini parcentes. Itaque in hanc diem cum alia loca, tum Pistoriensis civitas maxime cædibus recentibus madet. Et vero tu, ROMA, quæ vidisti in tuis visceribus sanguinea *Gibellinorum & Guelforum* spectacula? Quæ illæ *Pontificum* carnificinæ, *Damasi & Vrsicini*; *Laurentii & Symachi*; *Cadoli & Alexandri?* Prælia commissa in medio foro; cædes in clero & sanctimonialibus, latrocinia, denudatæ fœminæ; cadaveribus completa loca orationum. Et *Liberio* in urbem reverso ad dignitatem Pontificalem, fluxerunt templa sanguine. Et quis denarraverit omnes? *Theodorum, Agapetum, Damasum, Calistum*, omnes *secundos? Bonifacios* duos, *Ioannes* quatuor, *Benedictos* plures? Quis ad funera *Formosi* non cohorrescat? Quis duos & viginti Papas cæsos fuisse; quis multo plures veneno (nam hac arte necari illos tralatitium est) periisse putet? In omnibus tamen illis sævitiæ exemplis nulli decoris amantes & justi memorantur milites; sed pectora latronum, sicariorum, adulterorum, sacrilegorum, magorum, monstrorum. Nam quantumvis Itali sint alias ignavi, (quod dixi) imbelles, & molles: ex levissimis tamen causis captant offensiones, lanienas, cædes: atque si causa sit gravior, ultionem

A. Gentil. de j. belli l. 3. c. 11.

Bod. de Re. l. 6. c. 5.

nem odio alunt immortali. Ne tutæ quidem amicitiæ, aut necessitudines periculo carent: jocus forte, aut imprudens per fenestram aspectus, secretissimo scelere vindicatur. sæpe in ferrum tutos, venena sustulerunt, aut facis illitæ fumus, aut corrupta floris suavitas, aut fatalis cultelli acies, qui eodem tempore & intactam liberis dapem dissecat, & adversario mortem. Æterna sunt semel læsæ mentis vulnera; & plures reconciliatio, quam professum odium extinxit. In familia *Liminea*, inter Patavinas satis antiqua & illustri, duo fuerant fratres; qui per æstatem in rustico prædio commorati, cum noctu sereno cœlo innumeras stellarum cohortes contemplarentur, stolidum votorum certamen iniverunt; cum alter per jocum diceret subridens: *Utinam mihi tantum esset boum, quantum in cœlo stellarum!* alter statim joco responderet; *Utinam vero mihi pratum esset cœli amplitudine!* & ad fratrem conversus, *Ubi tuis bobus*, ait, *sis inventurus pascua? In tuo prato*, inquit prior. Sed alter: *Quid si nollem? Etiam te invito pascerem*; infit ille. At iste: *Tune me invito? Te invito etiam*; denuo ille. Et ita altercando, joco & risu in iram, hinc in rixam, & in furorem usque progressi, denique sicis e vagina eductis, mutuis vulneribus se se crudelissime interemerunt. Tantine sit jocus? O vanitatem! Tudernum autem civis sui *Altobelli* crudelitatem majori longe sævitia ita compensavit. Ille cum sociis quasi ducentis exulibus sicariis (quos *Banditos* vocant; ferale latronum

I. Barclajus in Sat. p. 1.

B. Scardeonius l. 3. cl. 13. in descr. Pata. Camerarius Cēt. 1. cap. 92. Zvving. M. Apod. lib. 5. c. 19.

num genus, licitatores capitum, qui in Italia tam late nuper regnabant & grassabantur, ut frequentissimum crimen pene fuerit sine infamia: & quidem sub Pontificatu Gregorii XIII, non usque adeo innoxii & boni publici amantis Episcopi; quippe qui Kalendarii emendationem Imperatori & Principibus Christianis indigne præripuit; qui *Iac. Boncompagnum*, filium naturalem, invidiosis opibus auxit, ad maximos evectum honores; & alia multa in civili disciplina peccavit; tunc grassatores illi Banditi, *Curtieto Sambucano & Marco Sarra* primariis ducibus, Romanæ Ecclesiæ ditiones tot latrociniorum, homicidiorum, deprædationum, & maleficiorum exemplis funestaverunt, ut nec in pagis, nec in urbibus, & ne Romæ quidem vita & fortunæ bonorum tutæ essent; vix tandem securitate restituta per Sixtum V, cujus severitas tanto impleverat pavore exulum animos, ita ut licentiæ tempora præteriisse, *tempus* SIXTI *venisse*, communi proverbio jactaretur.) Ille, inquam, *Altobellus* patriam & vicinam ditionem excursionibus, rapinis, incendiis, cædibus, fæde deformaverat: sed ab exercitu Pontificio captus, mox in publico loco nudus tabulæ affixus est, potestate omnibus, quos læsisset, facta de eo supplicium sumendi. confestim accurrunt matres, quas liberis privaverat, rabie incitatæ, & nonnullæ dentibus corpus ejus dilaniant, aliæ aliis modis sauciant. patres quoque & amici eorum, quos interfecerat, oculos, cor, & alia membra evellunt, nihilque omittunt, quo

Cicarell. in vita Greg. XIII. & Sixti V.

Th. H. l. 81.

Th. H. l. 82.

Leand. Alb. in Duc. Spolet.

quo cruciatus augeri possent. sed Altobellus obstinate ferebat omnia; affirmans, nihil novi sibi accidere, quod jam pridem animo suo non conceperit. tandem mortui cadaver in minutas partes concisum, & ad pondus, sicut aliæ carnes in macello solent, divenditum est iis, qui nondum satis injurias ulti essent, ut quod reliquum esset devorarent. Res auditu, multo magis visu horrenda; emptam esse carnem humanam, & votatam, tantum ad animum vindictæ cupidum exaturandum. Nullus tamen Sulla, nullus Phalaris, Auditores, nullus tyrannus unquam ultionis immanitate par fuit illi *Mediolanensi*, quem appellare nefas est: qui cum decennali odio furens sæpissime aucuparetur occasiones familiaris sui opprimendi; humili tandem gestu ac blanditiis amoris redintegrationem simulans, aggreditur inopinantem, prosternit, & sica faucibus admota mortem minatur; humiliter tamen veniam precanti, hanc libertatis dicit legem, ut DEUM *immortalem ejuret.* miser ille, eheu miser! ultima exturbatus necessitate morem gerit invitus, & DEUM detestabilem in modum exsecratur; & quo minus simularet, exsecrationes sæpius ex animo iterare ab adversario cogitur, & deinde statim confoditur: sicario postremo ita gloriari auso: *Et illa est generosa ultio, quæ & corpori vitam eripiat, & animo cruciatus sit allatura sempiternos.* Hominem, Auditores, arbitror esse neminem, qui facinus istud audiverit, quin toto animo in sicarii illius detestationem conspiret.

Bod in Rep. l. 5. c. 6. Camer. M. H. Cēt. 1 c. 84.

uti

O utinam cœlique Deo terræque liberet
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!

Quid enim Satan ipse, capitalis, & æternus humani generis hostis, in perniciem hominis machinari possit, quod Mediolanensis ille omiserit? Vbi in uno facinore tetrior scelerum audita est veluti conjuratio? Si ad conceptionem & consummationem omnium maximi criminis conferat *Caligula* suam impietatem; qua cœlo commessationem ipsius fulminibus parum certis terrenti iratus, ad pugnam vocaverat Jovem, & quidem *sine missione*; cum etiam machinam excogitasset, qua tonitribus obstreperet, ac contra fulmina fulminaret, lapides vicissim in cœlum ejaculando, cum hac voce, *ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγώ σε*: *aut me tolle, aut ego te*: Si veteres *Romani* huc addant *spectaculorum* insaniam; quibus non tantum privatim in lætiori convivio solenne fuerat paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam, qui cum applausu convivantium occidebant, occidebantur: verum etiam publice in funere, atque inprimis voluptatis causa a Magistratibus, Sacerdotibus, Imperatoribus dati gladiatores sæpe ingenti numero; & scio nullum bellum tantam cladem vastitatemque generi humano intulisse, quam hos ad voluptatem ludos; *cum unus aliquis mensis Europæ steterit vicenis capitum millibus aut tricenis*: Si insuper adjungant inimici & osores Cæsarum, *Papæ*, (quippe ajebat *Carolus Lanojus* Prorex Neapolitanus, *Proprium esse Pontificum, Cæsares timere & odisse*) absolutissimum fraudum arti-

Senec. l. 1. de Ira. c. ult. Dio. Cass. H. l. 59.

Lips. Satur. Serm. l. 1. c. 6. Cl. Dausquejus in Com. in Sil. Ital. l. 11.

Lips. d. l. c. 20.

Guic. l. 16.

artificium; in quorum promissis est nulla fides, in contractibus nulla justitia: Si quoque *Gabrinus Fundulius*, Cremonensium tyrannus, suggerat truculenti animi ab omni pœnitentia abhorrentis contumaciam; cum is Mediolani cervices securi subdere coactus, & a cucullatis Sacerdotibus veniam criminum & delictorum a DEO precari monitus, contortis atrocibus oculis diceret; *Desinite mihi molesti esse: nam tantum abest, ut me jure belli factorum pœniteat, ut maxime etiam doleam, quod Sigismundum Cæsarem & Papam Ioannem XXIII, simul hospites meos, e turri mea, quam studio peramœni prospectus ascenderant, in subjectum forum, ad immortalem clarißimi facinoris famam, non præcipitarim*: Si denique ad tanti flagitii diritatem cunctas perdendi & nocendi artes accumulent cæteri Italiæ tyranni omnes, qui exitio gentium clari, non minores fuêre pestes mortalium, quam inundatio, qua planum omne perfusum est; quam conflagratio, qua magna pars animantim exaruit; & in quorum corporibus non homines, sed

A. Gentil. de jur. bell. l. 3. c. 19.

Jov. in Philip. Med. Duc.

Cerberus & Furiæ, jam vero & lucis egenus
Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus,

Lucret. l. 3. de nat. rer.

domicilium habuisse videntur: Semper tamen abominabile illud ultionis a nefario illo *Mediolanense* perpetratum facinus erit omnium nefandissimum, truculentissimum, summum. Verum enimvero, dum illam Italorum ἀῤῥωςίαν τῶ ςρατιώτ[illegible], & bellicæ virtutis incuriam perstrinxi leviter solummodo: quot crimina gentis simul ve-

nerunt sub censuram, *mi Laurenti?* Fidem, qua Respublicæ cohærent unice, ubi terrarum vidisti rariorem? ubi gentium *Perfidiam* immaniorem? *Pudet me*, ait Æneas Sylvius, *plus hodie fidei trans montes, quam circa reperiri. Plerosq; ex nostris Principibus, quos Italia genuit, adeo parabolanos, ut ita loquar, invenias, ut certiora sint meretricum, quam eorum promissa.* Non ausim viro patriæ suæ amantissimo, atque censori ingeniorum acerrimo contradicere. Equidem *Romæ, fides est aroma*; & res omnino peregrina: ut, qui ad hodiernos mores Romanorum respexerit, eosque cum tua, *Laurenti*, laudatione contulerit, dicturus sit, te arcem fecisse e cloaca, & lapidem e sepulchro veneratum fuisse pro DEO. Et *Dominicus Trivisanus* in Senatu Veneto libera voce testabatur, *proprium esse Pontificum, posthabere fidem.* At qualis Rex, talis & grex: qualis pater, tales & liberi. Et Neapolitani, *semper Italorum omnium maxime cupidi rerum novarum, & mutationum appetentissimi*, an fidem colant? Imo, *ut cæteri quoque Itali, fidem parvo momento mutant.* Cum Carolus VIII Galliarum Rex Neapolim deditione cepisset, cives in nomen Gallicum quidem læti & summa congratulatione jurabant; sed biennio vixdum exacto ipsi Gallos iterum pepulerunt, palam erga Alphonsum Regem fugitivum & Ferdinandum filium ejus studium suum professi. Quod posteaquam Carolo nunciatum esset, contracta fronte, *Agnosco*, inquit, *Sirenis cantus & mellitas fraudes: sed brevi palinodiam ipsa canet.* Alludebas

Æn. Silv. in Faral. Al. l. 1. c. 58.

Fr. Guic. l. 8.

A. Gentil. de j. belli l. 3. c. 8. Tubero H. l. 8.

Forcat. de Gall. Imp. l. 2.

bat ingeniosus Princeps ad id, quod vulgo fertur, *Parthenopen tertiam Sirenum Neapoli sepultam esse*: unde & urbs illa *Parthenope* nuncupatur. *Mediolanenses* autem, quoties fuerunt perfidi? Quoties deceperunt Imperatorem Fridericum Barbarossam? Quoties sicarios in illud augustum caput subornarunt? Sanxerunt etiam pœnam *linguæ*, ne *Imperatoris Friderici* nomen quisquam in sermonibus usurparet: & accusati de perjurio, respondere ausi sunt, *se juravisse quidem, sed juramentum servaturos non promisisse.* Sed uti ἐς τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι, extremis desperatisque morbis extrema remedia adhiberi solent: ita cum Mediolanenses scelera sceleribus tuerentur, plane perditi, & cumulatis injuriis patientiam Augustalem evincerent clementiæ incapaces, necessario Fridericus ad decretorium stylum accessit. Itaque urbs illorum deleta; mœnia, templa, basilicæ, domus civium, prostrata; aratrum per urbis aream decussatim tractum, & sal in ea disseminatum; atque omnes illi refractarii & rebelles patrium solum vertere jussi, & ultra centum stadiorum spatium relegati. Fertur & hoc de Mediolanensibus: *Beatricem* Augustam, Barbarossæ uxorem, videndi Mediolani cupidam, aliquando urbem ingressam esse, omnino nihil mali metuentem; cum tunc inter Imperatorem & civitatem aut pax, aut pax sequestra induciæ, coiissent: sed plebem incompositam, & tranquillitatis impatientem, Imperatricem mulæ imposuisse præpostere, ita, ut illa caudam bestiæ tenuerit pro

Cruf. in Or. de Frid. Barbar. & Ann. Suev p. 2. l. 10. c. 18. & l. 11. c 6. Lehman. Chr. Sp. l. 5. c. 57.

Hippocrat. in Aphorismis.

Iov in Frid. l. 2. Eleg.

freno; & ſic per urbem ignominioſe circumduxiſſe, & foras eduxiſſe: Imperatorem vero, qui petulantiam enormem meritis pœnis cohercere voluerit, bene multos illius ludibrii & injuriæ autores ac ſceleris participes mortis terrore coegiſſe, ut ficum de natura mulæ exemerint. Ex quo illud Italorum contumelioſum; ut pollice inter duos digitos exerto, aut medio oſtenſo digito, dicant: *Ecco la fico, Ecce ficus.* De Ligurum & *Genuenſium* Punica fide dixi ſupra: & Genuenſis quidem perfidiæ monumentum in omnem memoriam ſtabile eſt, tranſportatio Turcarum in Europam, Muhametis in Chriſtianum orbem, hoſtis in patriam. Cum enim Murates II Muſtapham fugientem perſequeretur, & omnes ad Helleſpontum propter Calliopolitanum trajectum naves in terram inveniret ſubductas; Genuenſium opera opportuna fuit, & eorum navibus *Interiana & Squarciafica* LX millia Turcarum Helleſpontum trajecit, pro naulo in ſingula capita ſingulis aureis numis perſolutis. Iterum, *Laurenti*, aliud Italorum crimen conſpicio, veræ Nobilitati infeſtiſſimum. Ecce enim *Avaritia* Italos ſic tenet in vinculis, ut pecuniæ amore cum Turcis conſueſcant, & totius Europæ libertatem conjiciant in diſcrimen, barbariſque prodant. Nec tamen ſoli Genuenſes ſic delirant. Cardinalis enim Beſſarion omnibus Italiæ Principibus graviter exprobrabat, quod Conſtantinopolin quinquaginta millibus coronatorum juvare noluerint, cauſæque extiterint, ut poſtea urbs a Tur-

Münſterus Coſ l.2.c. 20. Cruſ. Ann. Suev. p.2.l.11.c.2. F.Faber.H. Suev.lib.1. c 12.

Leunclav. Pād.H.Tur. c.89.

Cruſ. Ann. p.3.l.5.c.6.

Soranz.in Ottom.c.8.

Turcis occuparetur; qui inde victoriarum cursu Trapezuntem, Sinopen insulam, Lesbum, Peloponnesum, Caramaniam cum regionibus vicinis Pamphyliæ, Bosniam, Bulgariam, inferiorem Hungariam, Epirum, maximam partem Dalmatiæ & Illyrici, tandem quoque Eubœam, imperio suo adjecerunt. Quapropter Hungari, Bohemi, Polonique, non minori fere odio insectantur Italos, quam *Iudæos*; illorum maxime calliditatem & avaritiam animitus detestantes. Quod enim alibi pro pecunia Iudæi faciunt; nec facere recusabunt Itali: fraudes, veneficia, homicidia, sunt illorum merces, quibus opes parant. *Gemes* profecto Muhametis II Sultani Turcici filius, vir adspectu regio, magnanimus, Arabicis quoque literis non mediocriter excultus, hisce avaris artibus avorum ætate interiit in Italia. Ille mortuo patre, fretus populorum ac militum benevolentia Ciliciæque regulorum opibus, armis de imperio cum *Bajasite* fratre natu grandiore contenderat, victusque in Prusiacis campis, & aliquanto post in Lycaonia ad Iconium amisso exercitu, Rhodum profugerat; ibi carceri inclusus a Bussonio Rhodio Magistro; hinc in Provinciam Galliæ, ut tutius servaretur, delatus, & denique Innocentio Pontifici Romam missus. Fueratque Gemes magnum vectigal ipsis Pontificibus per aliquod tempus: cum Bajasites alendo fratri *quotannis XL millia aureorum numûm* exolveret. Ingruentibus autem in Italiam Gallis, cum Papa *Alexander VI* (qui homo punctum

Tubero H. l. 1.

temporis nullum vacuum sceleribus præterire pas-sus est; adeo ut cum tribus ante mortem annis fulmine ictus, & mox præter plurimorum spem refocillatus esset, mirarentur dicaces, *Dæmonem a Dæmone concuti potuisse.*) Carolo VIII Regi Galliarum ex conventionis legibus Gemem traderet, prius iste profugo & extorri barbaro Principi, *ut ducenta aureorum millia a Bajasite promissa lucraretur*, lethiferum poculum miscuit, quo ad Cajetam paulo post misere exanimatus est. Erat id venenum pulvis ad fallendum candore mirabili, nec valde injucundo sapore, qui non acriore vi protinus, sicut præsentanea venena, spiritus vitales opprimeret; sed sensim venis illabendo exitiabili tarditate grassaretur: quo ipso postea Alexander opulentos aliquot Senatores, & postremo se ipsum, incaute mutata lagena, sustulisse fertur. Verum Romæ non Gemes modo & illius vita salusque inter avaritiæ fuit promercalia: sed omnino, ut *Baptista Mantuanus Carmelita*, raræ eruditionis vir, conqueritur, sunt

Forcat. de Gall Impe. lib. 4.

vide Iov. H. l. 2. F. Guicciard. l. 2. qui testantur, Scioppium vanitatis esse manifestū, dum *præf in Ecclesiasticū* Alexandrū culpa Gemis veneno interfecti liberare conatur.

l. 4. Calam.

venalia Romæ
templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
ignis, thura, preces; cælum est venale, DEVS q.

Vnde facete, sed non minus vere Ovvenus:

An Petrus *fuerit Romæ, sub judice lis est:*
Simonem *Romæ nemo fuisse negat.*

Et Poeta alius:

Si caput a capio, vel dixeris a capiendo:
Tunc est Roma caput: omnia namque capit.

Quod ipsum quoque sensit *Ioannes Andreæ*, Juris Cano-

Canonici interpres, cum diceret, *Romam fundatam a latronibus, adhuc sapere primordia sua.* Et in eandem sententiam Alfonsus Aragonum Rex salse: *Harpyias non jam insulas, ut poetæ existimarunt, incolere; sed ex insulis migrasse in Curiam Romanam, ibique domicilium constituisse.* Non enim amplius Romæ, Auditores, *de pastu ovium, sed de lana*, est quæstio. Cumque Religio olim pepererit divitias, filia impie degenerans devoravit matrem: nimia præsertim piorum Principum liberalitate & alicubi profusione, sacerdotum integritatem in nequitiam, humilitatem in fastum, paupertatem Apostolicam in avaritiam Satanicam, cœlestemque gloriam in mundi pompam infelicissime transformante. Nullum enim crimen abest, ex quo tenuitas illa prisca periit. Et *Bonifacius* martyr aliquando interrogatus, *An liceret ligneis calicibus in sacris uti*, ita resondit: *Olim aurei sacerdotes ligneis vasis, nunc lignei aureis utuntur.* Scilicet

excessêre modum magnorum munera regum.

Etsi Reipublicæ salus tam prodigas donationes & alienationes nulli hominum permittit. Rex enim, quantum ad boni publici procurationem attinet, fere idem est, qui pater cum uxore & liberis, tutor cum pupillo, curator cum adolescente, gubernator cum vectoribus onusta nave, pastor cum grege, imperator cum exercitu: quotum nemo fidei suæ concreditos ut vendere, donare, & alienare potest; sic nec Rex populum & provincias. Quare Imp. *Carolus V Paulo III*

Panorm. de dict. & fact.
Alf. l. 1. c. 8
Æn. Silv. Ep. 25.
Duaren. de sac. Ecc. minist. l. 2. c. 4.
de consecr. dist. 1. c. 44.
Gunth. l. 6.
Hotom. in Franco-G. cap. 19.

Th. H. l. 4. Pontifici candide respondit de Parma & Placentia; *eas civitates, si ad Imperium pertinerent, non posse se in ditionis ac dignitatis Imperialis praejudicium alienare.* Quemadmodum igitur *Pius II* dixisse scribitur; *fuisse aliquas causas, cur ademptum sit sacerdotibus conjugium, sed multo majores esse causas, ut reddi debeat*: sic jam argumentari licet; fuisse olim aliquas devotionis, etsi & superstitionis plenissimas ratiunculas, ob quas Papatus tot provinciis & opibus fuerit ditatus; sed hodie causas esse multo gravissimas, cur donationes illæ ut inofficiosæ, illegitimæ, & injustæ, sint rescindendæ, abrogandæ, tollendæ; atque Papatus ad priscam pauperis Petri & Apostolorum egenorum conditionem redigendus. Hac etenim via sint reditura sanctitas Religioni, quæ Roma jam per tot secula exulat; honor sacerdotibus, *qui omnium magnorum malorum in Ecclesia habentur autores*; existimatio Pontifici, quem *Gabriel Povelus* Antichristum esse tam certo se scire affirmat, quam DEUM ipsum esse creatorem visibilium & invisibilium, & Iesum Christum esse verum Messiam: hoc item modo triumfatura sit modestia, quæ *Universalis Episcopi* titulum abrogabit; regnatura justitia, quæ *Bonifacium VIII* aliquem ista verba, *Ego sum Cæsar & Pontifex*, superbe usurpantem compescet, & Pontifices Imperatoribus subditos esse jubebit: hoc denique pacto Imperator noster tandem sit priscam illam Imperii sui sedem, illud augustissimum terrarum Capitolium, omnibus Reipubli-

vide Confess. August. de conjug. Sacerdot.

Morn. in H. Pap.

Becanus in Refut. Apolog. Iac. M. Br. Reg.

Cuspin. in Alberto I.

cæ hostibus exstirpatis, iterum feliciter occupaturus. O quando hoc fiet! O quando splendidissimus sol ille illucescet! *Leonem X* Papam præ gaudio, quod ex nuncio victoriæ de Gallis extra Italiam pulsis reportatæ gratissimo conceperat, mortuum fuisse ajunt: & vero ego quoque, si voto illi meo felicitas seculi satisfaceret, tam læto & jucundissimo nuncio statim pie immori non modo nil detrectem, verum etiam istam *ἀθανασίαν* medullitus optem. At vero avaritia Romanorum tam profunde radicatur; ut spei audaciam cum voto meo vix ausim committere.. Et ingredere adhuc paulisper, *Laurenti*, Historiarum hortum; atque pauculas copiosissimæ *malorum radicis* fibras considera propius. *Henricum VI* Angliæ Regem, expressum Christianæ pietatis & patientiæ exemplum, commendabat Henricus VII Rex *Iulio II* Pontifici; ut iste illum referret in numerum Divorum: sed quo minus hoc fieret, in causa erat Papæ avaritia; qui pro Regis canonisatione, ut vocant, nimis magnam pecuniæ vim exegerat; ut videretur non Principis sanctitati, sed auro honores illos delaturus. Sed non tantum in Principum, etiam in privatorum fortunas invadendi, modos cum excogitarent Papæ pene infinitos: hic sane fuit inter pessimos, quod in Galliis superioribus seculis, qui testamento nihil curionibus aut Collegiis Ecclesiasticis legasset, honore sepulturæ carebat: si quis autem inopinato casu occubuisset, sacrificulus Pontificis jussu mortuo testamentum condere, & quæ vel-

S. Goulart, en ses Histoires.

Cambd. in Br. Regnis. p. 212.

Bod. de Repub. l. 5. c. 2.

let Ecclesiæ arbitratu suo quasi testator legare solebat: quem morem tamen sustulit Curia Parisiorum. Quin æmulata est Pontificia habendi cupido aliquorum Imperatorum & Principum in pecuniis corradendis insaniam. Namque uti *Vespasianus urinæ vectigal* commentus est, & filio Tito id reprehendenti pecuniam ex prima pensione admovebat ad nares, sciscitans, num odore offenderetur: & illo negante; *Atqui*, inquit, *è lotio est*. Cui vectigali origo & causa; quod in publico amphoræ aut dolia stabant ad urinam reddendam: quam fullones, opinor, vertebant deinde in suum usum. & videtur hoc fuisse triste illud *Chrysargyrum*, historiis decantatum, sublatum ab Imperatore Anastasio; quæ pensio fuit talis; *ut quisq; mendicus aut pauper, meretrix sive jam emerita, omnis servus itemq; libertus, inferrent in ærarium pro* VRINA & STERCORE, *jumentorum etiam & canum; sive in agris, sive in oppidis habitarent: & homines quidem utriusq; sexus, nomisma argenteum; equus, mulus, bos, tantundem; asinus & canis folles sex*. Phui, phui, spurca vectigalia! & nihilominus viri proceres & Reipublicæ primi munus colligendi ambibant. atque isti pudendarum sordium lucriq; exercitores aut conductores sunt, quos *Foricarios* JC[ti] appellant. Caligula etiam *ex capturis prostitutarum vectigal instituit, quantum quæque uno concubitu mereret*: & postea quoque sub Heliogabalo lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum fuit. Sic Romani Pontifices, non quidem foricis, quod ego sciam; sed, quod

Sueton. in Vesp. c. 23.

Lips. Adm. l. 2. c. 6. ex Cedreno.

Suet. in Calig. c. 40.

quod fœdius in religiosis est, lupanaribus locupletaverunt ærarium; nihil turpitudini adscribentes, quod ad æs exeat. *Sixtus IV* Romæ nobile admodum extruxit lupanar, ut ex meretricio quæstu infame lucrum acciperet. Et Romana scorta in singulas hebdomadas *Iulium* nummum pendunt Pontifici: qui census annuus nonnunquam *XX millia ducatorum* superat: adeoque Ecclesiæ procerum id munus est; ut una cum Ecclesiarum proventibus etiam lenociniorum numerent mercedem. *Et sic Henr. Cornelius Agrippa* audivisse se dicit aliquando, cum rationes suas ita inirent: *Habet ille duo beneficia; unum Curatum aureorum viginti, alterum Prioratum ducatorum quadraginta; & tres putanas in burdello, quæ reddunt singulis hebdomadibus Iulios viginti.* Magnum hoc, Auditores, crimen est Italicæ avaritiæ, & vix est in orbe terrarum provincia, ubi Roma flagitiosorum vectigalium & tributorum non reliquerit vestigia; ut propemodum cum *S. Brigide* credi possit, *Papam decem* DEI *Præcepta in unum commutavisse*, DA PECUNIAM. Sed accipite nunc *Libidinis*, cujus jam mentionem feci, & improbissimæ *Luxuriæ* crimen, in suo genere avaritia non levius. Nescio autem, *antiqua* illa rerum domina & dives Italia, an *hodierna* sit pejor, libidinosior, & in omnem luxum proclivior. Non hic tamen accuso priscam illam & stramineam Romam, infantiæ & cunis propiorem, haud dubie optimis institutis, purissimis moribus, & exemplis præclarissimis divitem. Et sem-

Agrippa. de Van. Scien. c.64. Morn. in H, Pap.

Mornæus de Ecclesia, c. 6.

ſemper mihi in exemplum erunt *C. Fabricius*, *Cn. Scipio*, *M. Curius*, quorum filiæ ob paupertatem de publico dotibus donatæ ad maritos ierunt, portantes gloriam domeſticam, pecuniam publicam: & ille *Publicola* Regum exactor, & *Agrippa* populi reconciliator, quorum funus ob tenues opes a populo Romano collatis ſextantibus adornatum eſt: ille *Attilius Regulus* quoque, qui cum Pœnos in Africa funderet, ad Senatum ſcripſit, mercenarium ſuum diſceſſiſſe, & amoto ruſtico inſtrumento, ab eo deſertum eſſe rus, ideoque petere, ut ſibi ſucceſſor mitteretur, ne deſerto agro non eſſet, unde uxor & ſui alerentur; ſed Senatui placuit, ut dum Regulus abeſſet, colonus ejus populus Romanus eſſet: ille denique *Cato*, uno canterio, e cujus lateribus hippoperæ dependebant, contentus; & tot illi veteres Conſulares, Cenſorii & triumphales viri, parſimonia, frugalitate & temperantia illuſtres; quorum gloria omnibus ſeculis durabit. Sed poſtquam cum imperio creverunt opes; luxuria incubuit, & ſecum in urbem traxit Orbem, omnibus prope opulentum & opportunum vitiis locum quærentibus: cum plerique voluptatum cauſa ex agris quoq; in urbem correperent, & *mallent manus in theatro movere, quàm in aratro*; Italia reliqua paulatim fere ad ſolitudinem hominum redacta. Servi autem, qui prægrandi multitudine in Imperio Romano erant, & quorum laboribus agricultura & omnia fere opera Romana conſtabant, cum crudelitatem dominorum

pati

Apul. Apolog. 1.

Seneca in Conſ. ad Helviam. c. 12. Val. Max. l. 4. c. 4

Sen. Ep. 87.

Lipſ. Adm. l. 1. c. 1.

pati cogerentur quamlibet atrocissimam, & vel ob crystallinum fractum duntaxat a *Vedio Pollione* murænis objicerentur; tamen in libidinis & damnatarum voluptatum ministerio maxime illi erant servi, & abjectissima mancipia. *Exercebantur lupanaria in multorum honestorum virorum prædiis*; sed contumelia præcipue pertinebat ad servos, utriusque Veneris injuriis expositos. Et o nefandum hominum abusum! cum domini ad cœnandum discumberent, oportuit servorum alium sputa detergere, alium reliquias temulentorum colligere, alium pretiosas aves scindere, pectusque & clunes certis ductibus circumferendo eruditam manum in frusta excutere; alium (ne omnes operas recenseam) noctem inter ebrietatem domini ac libidinem dividere, puerum in convivio, virum & fœminam in cubiculo. vah pudor! non persequor, nec ultra retego Stygiis tenebris dignas fœditates. Tu, *mi Laurenti*, examina vitam *M. Antonii*, qui *Cleopatræ* ultimæ Ægypti reginæ, Phæniciam, Syriam, Cyprum, & Ciliciæ bonam partem, Judæam balsamiferam, & Nabathæorum Arabiam, in stupri mercedem dedit: imo ab illo aliquot seculorum historias retexe; videbis, Italiam totam stupris, adulteriis, & infamibus libidinibus semper laborasse. Numerantur ab *Augusto* ad *Constantinum Magnum* Imperatores quadraginta tres: ex quibus vix decem sunt, quos filius, aut frater, aut uxor, aut amicus, aut inimicus, ferro, veneno, laqueove non extinxerit: illi tamen propemodum omnes, etiam

Seneca de Ira. l. 3. c. 40.

l. 27. §. 1. ff. de hær. pet.

Seneca Ep. 47. & 95.

Budæus l. 4. de Asse.

etiam qui videbantur optimi, castitatem & sanctitatem matrimoniorum flagitiis libidinum varie deturpaverunt. Quare Severi ætate *uxor Argetecoxi*, qui apud Caledonios regnabat, cum a Julia Augusta convitiis ut adultera exagitaretur, libere respondit: *Nos Britannica cum optimis viris consuetudinem habemus; at vos Romanas perditissimus quisque occulte constuprat.* Et quis apud veteres Italos fuit *gulæ luxus?* Cajus *Caligula centies H S.* (sunt 250000 Philippicûm) *cœnavit uno die;* & invenit, quomodo mediocrium provinciarum tributum una cœna fieret. Sane pro ingenio istius belluæ res non nimis est mira: quippe *qui non toto vertente anno vicies septies millies H S*, id est, *sexaginta sex milliones & quinquaginta millia Philippicûm*, ut Suetonius scriptum reliquit; sive ut Dio, *ter & tricies millies H S*, id est, *octoginta & unum millionem Philippicûm* absumpserit. Quid *Vitellius*, ille helluonum omnium altissimus gurges? ille in principatu suo *decies H S* (sunt 25000. Philipp.) condiit patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat; & quam ob immensam magnitudinem *Clypeum Minervæ* dictitabat: in qua scarorum jocinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes a Carpathio usque fretoque Hispaniæ per navarchas ac triremes petitarum commiscuit. Quid *Claudius Æsopus*, qui tamen non Princeps, sed histrio tragicus? hujus patina *sexcentis H S* (1500 Philipp.) taxata est: in qua posuit aves cantu aliquo aut sermone humano vocales, millibus

Xiphilinus. Cambden. In Scotia. p. 702.

Senec. Con. sol. ad Hel. c. 9.

Lips. Adm. l. 2. c. 14.

Suet. in Vitellio. c. 13.

Plin. H. N. l. 10. c. 51.

libus sex singulas coemptas, nulla alia inductus voluptate, nisi ut in his imitatione hominem manderet. Luxuria, Auditores, tunc temporis invidiosi imperii fines transcenderat: atque delicati illi ac fluentes parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiva in gemmis capacibus glacie falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat orbis Romanus: cum appositas dapes non amplius naturalibus desideriis; non sapore, sed censu & sumptu æstimarent, atque ventrem improbum alerent tributo gentium; illisque demum cibis acquiescerent, quos extremus oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent. Omnia lurcones illi contra naturæ consuetudinem velle instituerant, & novissime in totum ab illa desciverant; fortuna pares *Smindyridi* Sibaritæ, qui jactare solitus, quasi felicitatis insignem notam; *se a viginti annis solem nec orientem nec occidentem vidisse*; qui etiam, cum Sicyonem ad nuptias Agaristæ, Clisthenis filiæ, ambiendas abiret, in itinere *aucupes, piscatores, & coquos mille secum duxit, ad domesticum luxum.* Sequebatur Romanam illam gulæ superbiam, etiam fastus *supellectilis & vestium. Nec mirum est*, ait Celsus, *moribus civitatis, & usu rerum appellationem supellectilis mutatam esse. nam fictili, aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique supellectili utebantur: nunc ex ebore, atque testudine, & argento; jam ex auro etiam atq; gemmis supellectili utuntur.* Et quidem pelves ar-

Lat. Pacat. in Theod. Pan. & senec. passim.

Columel. præf. l. 10.

Lips. Com. ad Senec. de Ira, l. 2. c. 25.

l. 7. §. 1. ff. de supell. leg.

gen-

genteas, aquiminalia argentea, mensas & lectos inargentatos, inauratos, gemmatos, totos argenteos, totos aureos, pocula murrina & crystallina, Paulus ICtus refert. In *vestitu* quoque quicquid boni moris fuit, perierat. Quis comptulorum tunc fuit, qui non maluisset rempublicam turbari, quam vestem? qui inter pectinem speculumque occupatus non solicitior fuerit de capitis sui decore, quam de salute? Fœminæ etiam, quas scimus cum aliqua venia peccare, ubi viri gradum struunt, cênsus nepotum induerant: neque satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. *Lolliam Paulinam*, ne serio quidem ac solenni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidit Plinius smaragdis margaretisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque: quæ summa *quadringenties HS* colligebat; ipsa confestim parata mancupationum tabulis probare. O monstrum! Vna mulier, in uno cultu, nec in magna festivitate, *decies centena millia Philippicûm* habeat? Fortassis autem nobis proximior temporum series fuit incorruptior: & forte hodiernis moribus vivitur castius & temperantius. Sed quis hoc persuaderi sibi patiatur facile? Itali, Auditores, etiam hodie sunt impudicitiæ & omnis luxus patroni. Basileæ in ipso Rheni ponte foramen est, per quod in flumen præcipites noxii, impudicæ præsertim, deturbari consueverunt: quod Italus quidam non ita

l. 2. ff. de supellect. leg.

Seneca de Benef. l. 7. c. 9.

Plin. H. N. l. 9. c. 35.

Lips. Adm. l. 4. c. 7.

ita pridem cum cachinno sugillabat; *O bestias*, exclamans, *apud quos Amorem Deorum antiquissimum sequi flagitiosum habetur!* Et Æneas Silvius, cum procreasset spurium, ita se excusabat patri factum detestanti: *Nescio*, ait, *quam de me tibi finxeris opinionem, pater. non ego castratus sum, neque ex frigidorum numero: nec tu me lapideum, aut ferreum genuisti, cum ipse esses carneus: & scis, qualis tu gallus fueris.* Et cum *Galeacius Sfortia* Mediolani Principatum obtineret, jam tum ea erat ex multo otio luxuriantis seculi in Italia conditio, in ipsis præcipue nobilioribus matronis, ut totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienum prorsus & subagreste putaretur, ideoque Princeps ille ad licentiam libidinis proclinatus, & juventæ vigore venustateque oris supra omnes spectatu dignissimus, procacibus fœminarum oculis & desideriis cupidissime deserviret. Erat enim tum vulgatum inter fœminas, *Nullam ex Principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos, qui ineptis hirci videri possent, ita excellere aureis cornibus, ut dignitate cunctos anteirent.* Et Papa *Alexander VI.* Sed pro me dicat Sanazarius, qui Alexandro, sub quo vixit, tale scripsit epitaphium.

Zvving. M. Apog. l. 3. c. 3.

Epist. 15.

Iov. in Galeacio Sfortia.

Fortassis nescis, cujus hic tumulus siet:
adsta viator, ni pœniteat.
Titulum quem Alexandri vides, haud illius
Magni est; sed hujus, qui modo
libidinosa sanguinis captus siti
tot civitates inclytas
tot regna vertit; tot duces letho dedit;

NATOS ut impleat suos.
Orbem rapinis, ferro, & igne funditus
vastavit, hausit, eruit:
humana jura, nec minus cœlestia,
ipsosque sustulit Deos;
ut scilicet liceret (heu scelus!) PATRI
NATÆ sinum permingere;
nec exsecrandis abstinere nuptiis,
timore sublato semel.
Et tamen in urbe Roma hic vel undecim
præsidet annis Pontifex.
I nunc Nerones, vel Caligulas nomina,
turpes vel Heliogabalos.
Hóc sat viator: reliqua non sinit pudor:
Tu suspicare, & ambula.

Quid utor circuitione? Itali, Auditores, jam sunt Lydi in meridie: Venerisque ergasteria calent undiq; tanta scortationum licentia, ut etiam sacrificuli sint, qui profano more suum *Ave Maria & Missas* suas in lupanari, quam in templo dicant sæpius. Et *Romæ* quidem Cardinali *Galeoto*, homini nihili, *arma, equi, canes, odores, scorta, pro bibliotheca erant.* Et cum *Pius V* meretrices primó aut urbe excedere, aut nubere, & si non obtemperarent flagellis cædi juberet; postea vero monitionibus cedens non aliter pati vellet, quam ut lupanari includerentur, nec, ut prius, libere per totam urbem interdiu noctuve vagarentur, ratus pudore utrinque incusso, & illas priori vitæ renunciaturas, & viros infamiam veritos ad ea loca non ituros; quæ vero in meretri-

Iul. Scalig. Exerc. 211. cap. 2.

cia

cia professione morerentur, in sterquilinio defodi mandaret: intercessit urbis Senatus, a sacro Ordine clam instigatus, hoc decreto hospitiorum pretia vilescere, & ad nihilum redigi, & libertatem antiquam tolli, dictitans; nec matronarum pudicitiam inter tot cœlibes integram & inconcussam servari posse, atque insuper majoris vitii, quod Romanis jam olim B. Paulus exprobravit, periculum subesse, nisi meretricum gregibus pristina libertas restituatur. De *Leone I* Pontifice Romano memoriæ proditum est: cum is die quadam Resurrectionis Dominicæ populo Eucharistiam distribueret, accidisse, ut manui ejus matrona quædam fixerit osculum; simulque infixerit aculeos libidinis: sed ut primum concepti ignis impetus sensit ille, statim manum veluti partem contagiosam, e qua lues in totum corpus irrepserat, ultro sibi truncavit. At si eodem modo hodieque Romæ in ordine Sacro vagæ libidines retundendæ ac cohercendæ essent; quotusquisque Paparum, Cardinalium, Episcoporum, & reliquorum patrum, fratrumque rasorum, sit futurus superstes integer? Nonne necesse foret, non tantum manus illorum, sed & pedes; & quicquid membrorum tegit cucullus vel stola, omne demetere & capite minuere? Stupeo, cum criminis hujus frequentiam in hac populi Romani infrequentia expendo. Ecce enim hodierna urbs, quam abest ab illa veteri? quam relinquitur? Paulus Jovius pro magno scripsit, Leonis X temporibus, quibus omnia

Th. H. l. 38.

Sba l. 5. Pet. Rudolph. Seraph. Relig. l. 1. p. 28.

Lipf. Adm. l. 3. c. 3.

in felici ubertate & pace, censa Romæ *octoginta quinque millia* civium & inquilinorum fuisse; cum post cladem sub Clemente VII acceptam, iterum censu inito, vix ad *triginta duo millia* perventum esset. Vnus pene veteris Romæ vicus fuerit tam frequens. Sed quantumvis Roma hodie populosa non sit, nihilominus tamen est libidinosa: quæ

Scaliger.

——— quod inverso delectaretur amore,
nomen ab inverso nomine cepit, AMOR.

Veneti autem tot lupas alunt, ut in totam Italiam colonias mittere possint. An quæritis, Auditores,

H. Kornm. in Linea Amor.

Vrbe tot in Veneta scortorum millia cur sint?
In promptu causa est: est Venus orta mari.

Et vero, quid possint *domi Nobiles* Veneti in Veneris castris, *Emus*, Petri Emi fratris filius, hominum memoria memorabili facinore testatus est. Cum enim Petrus (Thuanus *Gabrielem* vocat) in sinu Hadriatico tres Turcicas triremes, in quibus vidua *Ramadanis* Tripolitani purpurati cum filio, familia, mancipiis utriusque sexus, & omni pretiosa supellectile, quæ credita est IↃCCC aureorum CIↃ excedere, vehebatur, in potestatem nullo jure redegisset; statim inaudito furore sævitum in captivos, tam mares, quam fœminas. mares occisi CCL, filiusque Ramadanis Bassæ matris in complexu & gremio confossus: fœminæ XL prius nefariis pollutæ stupris, uberibus mutilatæ, dissectæ tandem piscibus in escam projectæ. Sed Petri nepos in puellam quandam exi-

eximiæ pulchritudinis inciderat: ea cum ipſum pudicitiæ ſuæ vim illaturum conſpiceret, mox Chriſtianam ſe profiteri, & in Cypro natam nobili familia Cornelia, quæ ſuam originem ad Cornelios Venetos referret; captam ante XII annos, cum Cyprus ſub jugum Turcicum veniret; ex eo tempore miſeram apud barbaros ſervitutem ſerviiſſe: nunc quando poſt tot ærumnas in hominis Chriſtiani, pudoris virginei vindicis, Nobilis denique Veneti manus incidiſſet; obteſtari ſe per immortalem DEVM, ne Chriſtianæ faceret injuriam, ne virginem inceſtaret, ne Veneto ſanguini fœdam labem aſpergeret; ſed potius in optatum hunc diem, quo Chriſtianam ad Rempublicam poſtliminio rediret, divina quadam providentia conſervatam ſalvo pudore libertati reſtitueret. Sed nihil apud immitem animum, ac prodigioſe crudelem ſalacemque, tam ſanctæ preces valuêre, quo minus violaretur, & ſuffocata cum aliis mancipiis Turcicis in mare projiceretur. Verum Italicam libidinem in Anglia quoque illuſtravit *Mannus* quidam Florentinus, ſcortator profligatiſſimus. In illo regno, quicunque extra matrimonium commiſcebantur mulieribus, deprehenſi ſacerdotis imperio die feſto in proceſſu cleri ac populi adeſſe jubebantur, & retentis femoralibus nudi eccleſiam circumire, ardentemque cereum manu geſtare: ſi quis ſe illi pœnæ ſubmittere nollet, auro noxam redimebat. Mannus itaque cum ſæpius pecunia ſe liberaſſet, rurſus deprehenſus, pœnam ſubire, quam

Leunclavius in supplė. Ann. Turc. Th. H. l. 10.

Æn. Silvius Paral. Alf. l. 1. c. 2.

argentum dare maluit. dieque dicta, prodit ad ecclesiam longo contectus pallio; quo in media turba virorum fœminarumque deposito, omni ex parte nudus comparet. at indignante sacerdote, & femoralia resumere injungente: *Minime gentium*, inquit Mannus: *nam pudenda hac, quæ peccaverunt, ea potissimum dare pœnas decet.* Sed quis credat illud, Auditores? Etiam fœminæ Italæ aliquot, veteres illas Romanas, *Messalinam* & *Faustinam*, æmulatæ forsitan, ad extrema libidinum pervenerunt. *Bona Sfortia* certe, Sigismundi Augusti Poloniæ Regis parens, cum filii pertæsa, Sarmatia relicta in patriam Italiam & Barium opidum illi hæreditarium venisset, ibi dissentiente a priori vitæ ratione, consuetudine cujusdam *Papacaudæ* inhoneste usa, cui & omnia bona testamento præteritis liberis reliquerat, fama & bonis decoctis in summa egestate & infamia decessit. Omnium tamen salacitatem supergressa est *Ioanna*, Neapolitana Regina; quæ quatuor maritos habuerat: primum *Andream Hungarum*, quem tanquam ludo Veneris imparem post triennium strangulari, & de fenestra jusserat præcipitari; ipsamet chordam aureis filis crassiusculam texente, & Andreæ, *in quem usum texeret*, familiariter quærenti, *ut te suspendam*, blando risu respondente: secundum *Ludovicum Tarentinum*, cui illa nimietate noctium supremam noctem acceleraverat: tertium *Iacobum Tarraconensem*, quem alienæ mulieri familiariorem supplicio capitis affecerat; & quartum, *Othonem* Ducem Brunsuicen-

Th. H. l. 16.

Cruf Ann. Suev. p. 3. l. 4 c 14 ex Pandulfo; & aliis. De *Ioanna* tamen multa præclara refert Meibomius ad Aur Bul. Andr. Imp.

censem, quem Carolus Dyrrachinus pugna victum cepit, & incolumen e regno dimisit; sed Joannam ipsam in eodem loco, ubi olim Andreas suspensus fuerat, suspendit. O bonum factum! Etsi, ut hoc quoque dicam, Itali uxores perquam serviliter includunt, & fere gentium jure, legitimoque hominum commercio, excludunt: quo rigore non tam arcent, quam provocant adulteria: cum *aeque difficile sit invitam custodire mulierem, quam in ferventi sole pulicum gregem observasse*; & luxuria ipsis vinculis, sicuti fera bestia, irritetur. Vbi enim audiuntur plura thalami furta, quam in Italia? Vbi visuntur *Cornuti* plures? Quod verbi convitium in uxorum suarum lenones, qui adulterinam subolem tanquam suam legitimamque educabant, jam olim jacere soliti sunt Arabes. Hucque pertinet ille nimio plus aculeatus jocus Mustaezami, postremi Chaliphae Bagdadensis; qui Nazaraddino gente Tusaeo, Chorasanensi, celebri Mathematico, libellumque offerenti, cum populare vitium, quo Tusaei *cornua gerere* dicebantur vulgo, importune objectavisset, protinus quaerebat ab eodem, *Vbinam igitur & ipse cornua sua haberet?* quae tamen dicacitas ipsimet Chaliphae imperioque ejus post exitio fuit. At in Europa *Cornutorum* appellatio Imp. *Andronico*, opinor, debet quam plurimum: qui cornua cervorum insignia, & rari aliquid habentia, in porticibus fori suspendebat, specie quidem ostentandae magnitudinis ferarum, quas cepisset; cum revera civitatis mores, & uxorum,

Coras. Miscel. Iur. civ. l. 2. c. 1. n. 4.

Æn. Silv. de Eur. & Luc.

Gul. Schickar. in Tarich. prooem. p. 73.

Nicetas l. 2. de Imp. Andron. Comneno. Forcatul. de Gall. Imp. l. 5.

quas ipse corrumpebat, lasciviam notaret. Atqui illa, quæ contra naturæ leges furit libido, Italiam omnino facit *Sodomam*. Et cum sylva veluti suppetat horrendorum exemplorum, illud tamen hic præcipue memorandum est, quod *Petrum Aloisium Farnesium*, Parmæ & Placentiæ Ducem, Pauli III Pont. Max. filium, habet autorem. Hic namque infami libidine æstuans *Cosmum Gerium* Episcopum Faventinum, primo blanditiis frustra tentatum, ad extremum specie colloquii in secretius cubiculum sevocatum, ope servorum quamlibet renitentem, per vim compresserat: unde ille ex mœrore animi paullo post decessit. Quæ rei indignitas contaminatissimo homini, quem alioqui tyrannis & alia vitia summe invisum reddebant, ultimam perniciem maturavit; in necem illius *Ioanne Anguisciola Comite*, *Camillo Pallavicino*, *Augustino Lando* Complani Comite, & *Ioanne Aloisio Confalonerio* conspirantibus. Licet autem summa prudentia texerint consilia sua conjurati; nihilominus tamen aliunde certior fiebat Petrus Aloisius, atque inprimis a Paullo patre admonebatur, ut a IIII Eid. VIIbr. sibi caveret: astra enim ei cladem insignem portendere. Siquidem ille Pontifex Astrologiæ divinanti, quæ de singulorum fortunis judicat, valde addictus erat, ob idque *Lucam Gauricum* Geophanensem, ætate sua magni nominis astrologum, semper dum vixit familiariter habuit, privato colloquio & mensa dignatus, ac tandem Civitatensi Episcopatu donavit. Ferunt, nec vanus rumor est,

P.Rebuf.V. priv. 11. n. 6. Kornm. in L. Amor.

Th. H. l. 4.

P. Aloisium jam de conjuratione certum, cæterum de personis ac loco ignarum, ad vetitas artes, quas a patre, ut conjurati ajebant, edoctus familiariter colebat, postremo confugisse, & incantationibus evocatum dæmonem de conjuratorum nominibus interrogasse; istum vero nihil aliud, quam ut diligenter in suam monetam inspiceret, respondisse: in ea quippe locum conjurationis & consciorum nomina reperturum. Id tunc minime intellectum pro delusione habitum; quod facta cæde verum fuisse compertum est. Nam cum in antica parte Farnesianorum numorum scriptum sit, P. ALOIS. FARN. PARM. ET PLAC. DUX, vocis *PLACentia*, ubi cædes facta est, prima quatuor elementa *Pallavicinum*, *Landum*, *Auguisciolam*, *& Confalonerium* designasse. Successus consiliorum hic fuit, ut occupata arce conjurati P. Aloisium gladio transfixerint, & cadaver catena suspensum e muro plebi ostentarint, & ad ludibrium aliquandiu agitatum præcipitarint in fossam, addito elogio, quo nefandæ libidinis crimen mortuo exprobrabatur. Imo ut Sodomam scelere omnium turpissimo vinceret Italia; *Ioannes Casus* Florentinus, Archiepiscopus Beneventanus, Apostolicæ Camerae Decanus, repertus est, qui *Sodomiæ* laudes Italico carmine concelebraret: in quo nefarius cinædus illud flagitiorum postremum & spurcissimum ausus est appellare *divinum opus*, testatus præterea, illo se maxime oblectari, nec aliam Venerem novisse. Liber, qui una cum autore flammis debuisset

Sleid. Comment. l. 21. *Ab Alexan. Pontamario vocatur* Iulio Ertiny Cardinal de Benevent.

aboleri, Venetiis est typis exscriptus a *Trojano Navio.* Propterea *Franciscus I* Gallorum Rex post commissum prælium Papiense petiit a Borbonio & Lanojo, ne pueros Gallicos, qui capti erant, miles Italicus attrectaret: quod ut est concessum libentissime, ita mox totis castris per tubicines edicto proposito, plusquam sexcenti adolescentes liberali egregiaque forma Hispanorum fidei traditi, quorum pudicitiam deploratam, si apud Italos mansissent, omnes fatebantur. Abhorret animus a longiori libidinum memoria: & lingua eloquii operam in talibus locat invita. Vos itaque, Auditores, quæso date hoc & concedite pudori meo, ut reliquam Italicæ & brutæ Veneris obscœnitatem reticere possim. An vero etiam vultis aliquid de Italicæ *gulæ* fastu & pompa? Extat memorabilis liber artis Apicianæ, *de culina & architriclini officio, di M. Bartholomeo Scappi, cuoco secreto di papa Pio V, qui nunc præfectus est* (ait ille) *nostris intimis coquis, non sine ejusdem privilegio, & approbatione inquisitorum hæreticæ pravitatis,* Venetiis editus anno M.D. LXXI. Sed & ante hunc Bartholomæum extant Platinæ, Suetonii Pontificii, de popinæ scientia libri X ad Cardinalem Rovarellam: in quos salse ita lusit Actius Sanazarius:

Arn. Ferronus rer. Gallicar. l. 7. in vita Francisci I.

M. Freher. Comm. ad Constant. Donat.

Ingenia & mores, vitasque obitusque notasse
Pontificum, argutæ lex fuit historiæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ:
Hoc, Platina, est ipsos pascere Pontifices.

Quidni vero ejusmodi libri præscriptum secutus

sit

ſit *Auguſtinus Chieſius*, Romanus trapezites? qui Leoni X Pont. Max. totique purpurati Senatus cætui, exterorumque Regum Legatis, ob filium ab illo Baptiſmi lavacro tinctum, ſplendidiſſima, ut ita dicam, repotia conſtituit: in quibus non ſatis fuerat, eduliorum omnis generis miſſuumque exquiſitiſſimorum apparatui modum omnem ademiſſe; niſi etiam lances, pinaces, cæteraque cum eſcaria vaſa, tum potus inſtrumenta ex argento affabre facta omnia in Tiberis præterlabentis alveum, inani luxus oſtento præcipitarentur: idque non una modo, ſed pluribus quoque vicibus, quotieſcunque ſcenicum illud ferculorum & menſarum choragium mutandum foret; atque iſta parvo conſtitiſſe, æſtimandum erat; niſi & alieno ex orbe petitarum immani pretio *avium*, quas *pſittacos* nominamus, *ſolæ linguæ variis in patinis conditæ* ultimo ferculo omnem luxus oſtentationem longe ſuperaſſent. Quis delicatulorum ſupra hunc Chieſii luxum poſſit comminiſci aliquid? Quis gulæ ambitionem proferre ulterius? Quis vero ſobriorum in illis voluptatum mancipiis non extimeſcat genera mortis terribilia? Quis naturam injurias ſibi allatas neglecturam arbitretur? Benigna & munifica eſt parens; ſed a corpore & animo requirit temperantiam: in luxuriam ingluviemq; morbos immittit, lorarios & tortores crudeliſſimos; præ quibus carnificum equulei, rotæ, cruces, & reliqua tormentorum ſupellex, ſæpe doloris faciant minus. *Dominicus Sylvius* Venetorum Dux duxe-

Had. Iunius Animad. l. 4. c. 2.

M. Guazz. Leand. Alb. in Venet. Cruf. Ann. Suev. p. 2. l. 7. c. 3. Cam. Cent. 2. c. 38.

duxerat uxorem Nicephori Imp. Conftantinopolitani filiam, aut fororem; ea tam erat prodigiose mollis & delicata; ut manus aliafq; corporis partes non aqua communi pura, fed rore cœlefti ablueret; cibos nudis digitis non attingeret, fed minutiffime concifos, aureis furculis aut fiftulis abforberet; cubiculum autem & veftes pretiofiffimis odoribus fic impleret, ut infolentia eorum non affuetos efficeret ftupidos atque attonitos. veruntamen illam odorum vim poftea fœtor multo vehementior totam haufit, & cubiculum aulamque ita infecit, ut fervos ancillafque fere omnes fugaverit; cum mollicella illa computrefceret, & ex toto corpore faniem & corruptiffimos ftillaret humores; & fic denique luxuriofam animam inter confanguineos vermes miferrime exhalaret. Quid vero jam cenfes, *mi Laurenti*, de *Nobilitate* Italica? Nunquid adhuc ibi magna & incomparabilis eft? Quid putas me dicturum, fi gentis injuftitiam, imprudentiam, & cætera vitia compendiofe tantum jam exponere velim? Quando oratio mea ita fit inventura portum. Olim cum Græci nomen *Romanorum* fibi proprium facerent, & in cæteras nationes effent infolentiores: illæ contra adeo dedignabantur, ut inimicis fuis nihil aliud contumeliarum objicerent, nifi, *Romanus es*; eo nomine quicquid convitiorum eft reprehendentes: qui autem hodie hominem omnium flagitiorum & criminum fordibus confputcatum fic appellaverit, *Tu Italus es*, non plus erraverit, quam fi avarum dixe-

Luithprand. Crem. Epifcop. in leg. ad Niceph. Phocam. Fr. Iur. in Not. ad Sym. l. 2. Epift. 9.

xerit *Euclionem*, aut gulonem *Apicium*. Ad *Religionem* tamen Italorum, mi *Laurenti Wensini*, paululum adhuc attende. *Omnem æquitatem,* Paral. Alf. l. *omnemque Religionem proculcare, morem esse Itali-* 1. c. 53. *cum*, ait doctissimus *Æneas Sylvius*. An sic credis Historico, Theologo, & Pontifici Italo? *Nuspiam minus vel pietatis vel Religionis, quam in* Disp. l. 1. *Italia, & hominibus Romæ vicinis esse*, adfirmat *Ni-* c. 12. *colaus Macchiavellus*. An ita tu credis Secretario Florentino, & Politico Italo? Ego certe neutrum hic rejicere possum: & heu! infelix experientia jamdudum utrique fidem fecit. Et nonne in intimos mentis recessus admisisti illa proverbia, a tuis, ab aliis, tanquam veritatis oracula, tibi in futuros vitæ prudenter transigendæ usus proculdubio sæpissime iterata? *Qui semel* Je näher *it Romam, videre scelestum; qui secundo it, cogno-* Rom / je *scere; qui tertio it, in patriam referre.* Et: *Quo* grösser *Romæ propior; eo Christianus pejor.* Schalck. Item: *In nomine* DEI (hoc bullarum Papalium exordium est) *incipit omne malum.* Nonne avidis auribus aut oculis hausisti aliquando, *Ægidium Assisiatem,* P. Rodul. sodalem Franciscanum, cuidam olim Romam pe- H. Seraph. tenti precatum fuisse eam eligendi dexteritatem; Relig. l. 1. p. 62. qua ibi bonam monetam ab adulterina, & aurum a scoriis; hoc est, ut interpretari fas est, veram pietatem & virtutem a fanatica superstitione & personatis sceleribus distinguere possit? Religio sua Romana bene multis Italis est risus, jocus, nihil; DEUS ipse est multis negle- Fr. Petrar- ctus, contemptus, nullus: Inferi sunt illis fabu- cha in Epi- stola.

la.

A. Ch. 1556. la. Quid fecit *Cardinalis Caraffa* in Galliis? Ille Lutetiam Regni metropolim, tanquam Pontificis Legatus solita pompa ingressus, cum signum

Th. H. l. 17. crucis, ut fit, ederet, verborum quæ proferri mos est loco ferunt eum, ut erat securo de numine animo & summus religionis derisor, occursante passim populo & in genua ad ipsius conspectum procumbente, sæpius secreta murmuratione hæc verba ingeminasse: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur.* Quomodo vero religiosi fuêre *Macchiavelli* duo? *Nicolaus pater*

Alb. Gentil. de Actorib. Fabul. c. 22. moriturus, & monitus suscipere sacram illam extremam unctionem, respondit; *Ocreas imo ungendas iter facturo.* Nicolai autem *filius*, hæreseos accusatus, dicebat; *Credere se, quod Ecclesia crederet, & adhuc amplius; scilicet, illum suum accusatorem nebulonem esse, quod non crederet Ecclesia tamen, qua hominem ei muneri accusandi præfecisset.* An Lucianus in religionem suam jocari potuisset acerbius? an irrisisset petulantius? Sed *Ioannes Medices* impietatis canones illis Caraffis, Macchiavellis, & Lucianis, præscribere potuisset: qui cum esset rei militaris non imperitus, ingentibus tamen vitiis illam laudem prorsus extinxit: quippe solitus spreta quoque jurisjurandi religione varie DEUM divosque lacessere, & fœdis puerorum amoribus flagrare. Quin a Divinæ Maje-

Arn. Ferronus. l. 7. rer. Gallicar. in vita Francisci I. statis contemptore auditas has voces memorant: *Florentinis se velle imperare, sed tamen invitis Diis; si vellent Dii, nolle imperare.* Cum qua impietate horribile civium & præsidiariorum *Montis Draco-*

nis

nis scelus merito connecto. Id enim oppidum cum Ferdinandus Alfonsi spurius, Rex Neapolitanus, obsideret; obsessi pene siti enecti, in ultima aquarum penuria ad magicas præstigias concurrerunt; & nocturnis in tenebris, deceptis castrorum vigiliis, per asperrimas rupes furtim profecti ad litus, traxerunt secum imaginem adfixi ad crucem Christi, quam maledictis prius ac diro persecuti carmine, post in mare execrabundi immerserunt, cœlo, mari, terrisque tempestatem imprecati. quo etiam tempore sacerdotes quidam mortalium omnium ultimi, dum profano militum desiderio satisfacere student, ritum nefarium secuti, quo in hujusmodi necessitatibus elici imbres putantur, asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam cecinêre funestum carmen: post *hostia consecrata* (ignosce o mitissime JESU abominabilem impietatem recitanti) in illius os palatumque injecta, conclamatum asinum funereis cantibus vivum tandem ibidem pro templi foribus humavêre. Hic vero vixdum perfecto immemorabili sacro, obnubescere aer, mare ventis agitari, dies medius offundi nocte, nunc cœlum micare ignibus, & nunc lux omnino eripi, omniaque tonitribus, fragoribus, fulminibus, remugire, concuti, misceri; & tandem, tam validi prorumpere imbres, ut aquarum undique abunde, atque Rex Ferdinandus, qui in siti potiundi oppidi spem collocaverat, frustra fuerit. Ego, *mi Laurenti*, si hic dicendi finem faciam, non videor frustra fuisse, & spero, me opi-

I. Iov. Pont. H. l. 5.

opinionem tuam, quam de Italiæ Nobilitate conceperas ſummam, non tantum arcte obſediſſe, verum etiam validiſſimis rationibus oppugnaviſſe, & deleviſſe. Et quia propediem, uti conjecturam capio, iter facturus es in Italiam: breve quoque monitum ex *Alexandro Pontamario* Gallo, magni & candidi judicii viro, referam tibi; ut quæ ſtudia, quas artes, quas diſciplinas ac ſcientias ſis illic inventurus, compendio ſcire, & proinde prudentiam fronte aperta, lingua parca, mente clauſa, cautius ibi locorum diſpenſare poſſis. *Nous allons en Italie*, ait ille, *achepter avec une deſpenſe incroyable la ſeule ombre de la civilité, & nous en rapportons la maſſe entiere du vice. Ceux de Milan nous apprennent la tromperie: le Boulognois nous enſeigne le menſonge: le Venitien nous rend hypocrite: le Romain nous plonge en un Ocean d'atheiſme & d'impieté: & le Neapolitain nous change en un Satyre, ou pluſtot nous fait un eſgout & un cloaque de toute laſciveté, moleſſe, & paillardiſe. I'avois oublié les Florentins ennemis jurez de bonnes meurs, &c.* Si Gallice non omnino doctus es; dicam, ſi potero, Latine. *In Italiam proficiſcimur, & incredibilibus ſumptibus comparamus nobis ſolummodo umbram alicujus civilitatis; ſed nobiſcum ſimul domum portamus immanem & integram vitiorum alienigenarum maſſam. Mediolanenſes inſtruunt nos in fraudibus: Bononienſes docent mendacia: Veneti faciunt hypocritas: Romani demergunt in Oceanum atheiſmi atque impietatis: Neapolitani transformant in Satyros, ſive potius mutant*

Alexand. de Pont-aymery de la Nobleſſe Françoiſe.

in latrinam & cloacam omnis lascivia, luxuria, & libidinis. Oblitus eram Florentinorum, qui sunt bonorum morum jurati hostes. Hoc, *mi Laurenti*, habe amoris in te mei, & amicitiæ nostræ non fallax monumentum; cui, ex vetere formula, *dolus* certe *malus abest*. Et, quod in principio statim orationis dicere debui; ego, optime maxime Præses, illustrissimo Principi FRANCISCO CAROLO, Duci Saxoniæ, adsentior.

PRINCEPS

FRIDERICVS ACHILLES, &c.

DIC TV

IOANNES GVLIELME RHETWIZI.

ORATIO IOANNIS GUlielmi von Retwitz/ contra GERMANIAM.



ATRIAM ILLUSTRISSIME Præses, diligunt boni omnes: & quidam sic amant, ut supremum adfectum consequatur par laudatio; quibusvis aliis locis aut regionibus, quacunque sint præstantia, dignitate, honore, vilius æstimatis, frigidius laudatis.

Ovid. l. 1. de Ponto. *Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos*
ducit, & immemores non sinit esse sui.

Equidem, ipse egomet (cur celem enim?) tantum abest, ut patriæ charitatem omnibus aliis charitatibus non antehabeam, ut etiam sim paratus, si Reipub. intersit, quicquid spiritus, & vocis, & virium a DEO datum est mihi, omne id in illius salute, incolumitate, & laudibus non occupare modo, sed si res poscat, etiam absumere. Verum aliud negotium hoc loco agitur; & patriæ prærogativam jam non adfectu nostro, sed illius meritis metiri decet. Iste sæpius aufert, aut

aut inflat judicium, hæc multoties requirunt: Ne itaque nobis aut ex nostri ignoratione blandiamur nimis; aut cum aliarum nationum depressione gloriemur effusius, & forte ante victoriam agamus triumfum; id manticæ, quod in tergo nos gestamus Germani, molli tantum brachio excutere nunc lubet; & cum bona gratia tua, præclarissime Princeps, FRANCISCE CAROLE, *Dux Saxoniæ*, in malos quoque patriæ nostræ mores inquirere est animus. Nisi autem me omnia fallunt: audies, quod factum, aut etiamnum fieri nolis; & denuo in consilium quæstionis venturus, aut abjudices Germaniæ jam decretum principatum, aut dicas saltem, NON LIQUET.

Mihi vero, Auditores, liquent Germaniæ vitia quam plurima. Et quemadmodum Papistæ vana decepti superstitione somniant, *tantam esse Papæ amplitudinem atque majestatem, ut per quam difficile sit illam definire*: sic ego, sed luculenta rei veritate eruditus, audacter asseverare possum, tantam vitiorum Germaniæ undique regnare immanitatem, ut verba satis horrida & aspera non inveniam, quibus illam describere queam. Et ubi in hac infelici messis ubertate exordiar? Quid dicam primum? Prima cura esto *Reipublicæ*. At qualis nostra! quam languet! quam deficit; & in omnibus fere membris labascit! Videtur, Auditores, non uno, sed omnibus simul sonticis morbis adflicta, non decumbere, sed curriculo properare ad sepulchrum. Et quæ facta jam est

R. Bellarm. in resp. ad Gers. Consider.

Imperii imminutio? Quot provincias, quot civitates, rebellio, perfidia, profusio, venditio, privilegium, jam distraxêre? *Veneti, Mediolanenses, Florentini, Genuenses, Senenses, Lucenses, Ferrarienses, & Italia prope omnis*, nullam Imperii Romani jurisdictionem adgnoscunt: atque *Romani* etiam ipsi sunt fugitivi: ut Imp. *Fridericus I*, cum Hadrianus Pontifex Cæsareum jus in urbe sibi adscriberet omne, & se inscio Imperatorem ad urbem legatos mittere nollet, rem acu tetigerit, hisce verbis ad Hadrianum scriptis: *Cum Divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & sim, speciem tantum dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac sine re, si urbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.* Quanquam & Imp. *Carolum IV* omne jus Pontificibus transscripsisse dici potest: cum illum Hostiensis Cardinalis non alia, nisi hac conditione in urbem admittere voluerit, *ut neque Romæ, neque in Italia diutius moraretur*. Quin omnis adeo Romani Imperii evanuit potestas in Italia: ut Imperator hodie non possit Pontificis subditum restituere natalibus in ditione Pontificia, absque illius consensu; qui si absit, defectu potestatis legitimatio reddatur nulla. Nec hisce contentus Sixtus V Papa, (qui Cryptis pago, Montis-alti castro subjecto, in Piceno natus pauperrimis parentibus; quod & ipse gloriabatur, cum *se illustri domo natum* diceret, quippe quæ sine tecto a sole omni ex parte illustraretur.) etiam in ipsis Cæsaris provinciis spretæ majestatis exemplum

Knichen in Vel. Apol. C. Besold. Appell. c. 2.

Radev. l. 2. c. 19.

Nauclerus vol. 2. gen. 2.

Hondedæo vol. 1. p. 4. Conf. 64. n. 26. 27. 28.

Th. H. l. 82.

ſtatuit; cum ipſius juſſu Antonius Maria Salviatus Cardinalis in *Ioannem Pepulum Comitem*, pietate & probitate juxta & nobilitate clarum, animadverteret. Habebat Pepulus aliquas ditiones Cæſarum gratia antiquitus conceſſas in Gallia Tranſpadana, extra Pontificiam ditionem; in quas quod Nobiles aliquot exules receptum habere dicerentur, interpellatus a Cardinali legato, ut eos dederet, cum ſe privilegii Cæſarei præſcriptione tueretur, & tantum juriſdictioni ſuæ præjudicium factum deprecaretur; Salviatus noctu Pepulum in ædibus ſuis nihil tale veritum comprehendi, & tanquam perduellem in Palatium ductum ſtatim introducto ſacerdote, cui mori certus peccata ſua confiteretur, ſtrangulari juſſit. Eandem quoque libertatem præ ſe ferunt *Burgundiones*, *Lotharingi*, *Belgæ confœderati*. Et hi quidem cum armorum vindiciis ſe ſe in libertatem contra Hiſpanos aſſeruiſſe exiſtiment, cauſam putant eſſe nullam, quamobrem ſe ſubditos & vaſallos Imperii amplius confiteantur. Ita & *Helvetii*, qui ſua opinione *plaga mundi*, (der Welt Plag) & prudentium judicio *flagellum Principum ac Nobilium* ſunt: *homines natura ſuperbi, qui ipſam ſibi juſtitiam famulari volunt, juſtumque id putant, quod eorum phantaſticis eſt conforme capitibus*: illi non modo non parent Imperio, verum etiam, cum aliquando crebrioribus mandatis ad Cameræ judicium tanquam ſubditi vocarentur, miſerunt Legatos Spiram, viros primarios, qui admiſſi in publicum ampliſſimi Ordinis

Baud. l. 1. de Induc. Bel. Sleid. Com. l. 1.

Faber. H. l. 1. cap. 13. Æn. Silv. Ep. 94.

Varſevi. de Leg. kirch. de Leg. l. 2. c. 8. n. 69. &c. C. Beſ. de Appell. c. 2. n. 6.

 nis

dis confessum, Patres hunc in modum rusticis & pene contumeliosis verbis allocuti dicuntur: *Domini confœderati Helvetii vos vicinos suos salvere jubent. mirantur vero, quod tam crebris citationibus vestris placuerit vobis diu eos vexavisse: orant, & hortantur, ne amplius eos exagitetis.* Ita ad Septentrionem amplissimæ provinciæ avulsæ sunt a corpore Imperii: ex quibus *Rigenses* iram Imp. *Caroli V*, proscriptionem minitantis, non ita pridem tam parvi faciebant, ut verterint ludibrio, vulgo dictitantes; *priusquam in Livoniam advenisset, equitatum ejus lassum ac fatigatum fore; ac si magno cum exercitu veniret, eum fame & inedia consumptum iri; si cum exiguis viribus, facile vinci posse.* Et in quamcunq; fere orbis partem circumspiciam; cum dolore video foris Imperii expilati spolia, & implumis Aquilæ exuvias; domi autem miserabiles augustissimi olim corporis reliquias intueor, aliquam emaciati & omnino attenuati corpusculi speciem, imo exsuccum fere aridumq; cadaver. Video, Auditores, a tempore Cæsaris *Rudolfi* I ad nostram usque memoriam, *supra ducentos Status atque Ordines*, Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Ducatuum, Principatuum, Abbatiarum, dynastiarum, civitatum, & aliis titulis illustres, qui omnes Sedi Regiæ Aquensi & Imperio Germanico jurisjurandi religione devincti erant, & ad Comitia evocabantur, ab Imperii obsequio discessisse, vel defecisse. Quare in hac Imperii Romani angustia & tenuitate Imperatoribus jam *semper Augustis*

Man solle sich hinfuro vrgeheat l. ssen.

Th. H. l. 21.

Goldast in Reichshandlungen. in præf. ad Duc. W.

gustis esse vix licet: præsertim, cum nervi illius, quod restat Imperioli, vectigalia & tributa, ad subditos Principes transierint, & præterea omnium Ordinum res tam sint accisæ & fractæ, ut Imperator *Carolus V* Hadriano VI Papæ scripserit; Germaniam ad eam egestatem & inopiam redactam esse, ut non solum contra Turcas nullam insignem expeditionem suscipere, sed domi justitiam ac pacem tueri, & sceleratorum audaciam cohibere non possit: *Gaspare Scioppio* insuper affirmare nuper auso, hodieque e Protestantium Principum numero illustrissimos imo Regiis familiis editos inveniri; quorum *annuus census CC aut CCC aureorum* summam non excedat; qua quidem ex re usu venire eis nonnunquam soleat, ut *poetice* potius, quam *regie* vestiantur; quod tamen omne mere Scioppianum, id est, prægrandem ac turpissimam calumniam, in odium Protestantium Principum nequiter confictam esse, (uti certe post homines natos Sol nihil illuxit maledicentius isto Scioppio, jamdudum collare a restione promerito) nemo bonus dubitare debet. Quæ autem Imperii jugulum petit, est toties facta animorum, Imperatoris ab Ordinibus, & Ordinum quoque inter se se dissentientium periculosa distractio: quæ subinde fœderum, societatum, ligarum, & aliis nominibus robur & autoritatem nacta, non raro in sævissima bella erupit, & vix civili sanguine potuit interdum sopiri; aliquibus tamen discordiarum seminibus semper remanentibus; ita, ut quan-

Goldastus in Constit. Imperialib.

Sciopp. in Ecclesiast. c. 11.

tæcunque Germaniæ vires jugi diſſenſu Ordinum, dum in commune non conſulunt, facile diſſolvantur. *Ibrahimus* Sulimani Turcarum Imperatoris legatus, aderat Francofurti in conventu, Electioni Maximiliani II Cæſaris indicto: cui cum Saxo, Bavarus, & Juliacenſis, qui in ſolenni comitatu, euntes equo, Ferdinandum & Maximilianum deducebant, monſtrarentur; cum monitiuncula, Principes potentiſſimos eſſe, & ſingulos juſtum exercitum contra Turcas educere poſſe; atque Germaniam habere ejuſmodi plures; quid putaret fore, ſi conjunctis viribus omnes Sulimanum ſimul aggrederentur? ſubriſiſſe ferunt barbatum, & dixiſſe; de potentia Germaniæ ſe nihil dubitare, & ex præſentium apparatu vires abſentium facile colligere poſſe; ſed ſibi videri Germanorum animos, conſilia & actiones, ſimiles eſſe belluæ multorum capitum & plurium caudarum, quæ agitata ſepem tranſire conaretur; quia vero capita diverſa, foramina quoque diverſa quærerent, ita fieri, ut ſimul & corpus & caudæ manerent immotæ, & impediri, quo minus ulterius progrederentur: contra, Sulimanum ſuum Imperatorem belluæ unicipiti, & plures caudas habenti, per eſſe ſimilem; quæ ubi ſemel capite tranſitum patefeciſſet, ſtatim corpore toto, atque caudis omnibus, ſine ullo impedimento penetraret. Veriſſime dixit Ibrahimus: & utinam vel tandem icti piſcatores ſaperent! At vero in Comitiis, quæ ſarciendæ paci publicæ, & communi patriæ bono ſtabiliendo augen-

P.Camerar. Cent.2.c.23.

doque sacra esse debebant, quæ consiliorum ibi sunt scissuræ & factiones? imo, quæ communium consiliorum sunt effugia? quæ ibi gliscunt ultra modum de subselliorum jure certamina? Vnde scomma *Ioannis Samoisfcii*, magni Poloniæ Cancellarii, dicere soliti; *Germanos in suis Comitiis fere nihil aliud agere, quam, ut sessionibus digladientur.* Propterea in uno conventu causæ ad deliberandum propositæ rarissime expediuntur omnes, sed plerunque in nova Comitia rejiciuntur: quod *Æneas Sylvius* salso isto dicterio arguere consueverat; *Omnes Germanorum dietas esse fœcundas; & quamlibet in ventre habere alteram; ac credibile esse, quia fœmineum sit nomen, libenter impregnari dietas, ac parturire.* Quid dicam, de sententiarum & decretorum vacillationibus, & mutationibus? Quis non audiit illud facetum Imperatoris *Caroli V*, Germanorum conventus viperis assimilantis? *quia* (ajebat) *ut istæ matres suas tollunt; sic illorum posteriora decreta, priora.* Quod vero in tali sensuum euripo, in illis ingeniorum fluctuationibus, in hoc fere immortali Ordinum dissidio, Imperatori præstetur obsequium, quam ille obtineat auctoritatem & potestatem: ecquis vestrûm, Auditores, non intelligit? Quis ad commiserationem pereuntis Reipublicæ commotus, animum, linguam, vocem, & omnes sensus non componit in vota *status melioris*? Quis in illis domi forisque vulgatis vocibus, *Cæsaris nomen quidem hodie extare, sed potestatem mutasse*: &, *Imperatores antiquæ majestatis umbram retinere, rem vero*

H. Kirch. de Legat. l. 2. cap. 5. n. 78. & 79.

Epist. 72. & 92.

Lips. in not. ad l. 3. Pol. cap. 5.

Pont. Heut. de Belg. l. 1. cap. 1.

Bodin. de Rep. l. 1. c. 9.

ro penitus amisisse: quis nostrûm summum dulcissimæ patriæ contemptum non advertit?

Ragion di Stato.

JURIS *erat quondam & Recti Germania regnum:*
At nunc jus REGNI *regnat ubiq; novum.*

O infausta tempora! O degeneres mores! Olim maximi quique Reges Imperatoribus ad omnia officia se submittebant humiliter: sed hodie *vix illis Comites caput inclinant.* Olim *Carolis* & *Ottonibus* venerationem & devotum obsequium exhibebant subditi omnes: sed postera secula, in contumaciam & rebelliones licenter proclivia, non totis trecentis annis novem Imperatores civili clade absorpserunt; præter eos, qui Imperio se abdicare coacti sunt. Et quam contumeliose, quam flagitiose in Augustalem dignitatem Germani multoties sint grassati: tot annalium & historiarum monumenta satis superque attestantur. Pungit animum meum etiamnum improba *Gerhardi* Moguntini Archiepiscopi vox, proculdubio magnarum turbarum genitrix. Cum enim tres Electores Ecclesiastici, *Gerhardus* ille, *Henricus* Coloniensis, *Dietherus* Treverensis; & præterea *Rudolfus* Palatinus Septemvir, aliique Principes, conjurassent in Albertum I Cæsarem: Moguntinus præfracti animi vir, Cæsareæ dignitatis propola, temerarium juxta & insolens eructaverat verbum, cornu venatorium e collo dependens ostentando: *In hoc*, ajebat, *compluxes gesto Cæsares.* Tanquam is Episcopus arbitratu suo Cæsarem de fastigio dejicere, & alios novos quoscunque substituere posset. Sedenim feroculos illos omnes

Æn. Silv. Epist. 81.

Bod. de Repub. l. 6. c. 5.

Cruf. Ann. p. 3. l. 3. c. 16.

omnes poſtea habuit ſupplices Albertus, & aliquot tantum oppidis captis, nihil in eos præterea ſtatuit inclementius, meritos tamen pœnas graviſſimas, & minimum eam, ut *canes portarent.* Fuit enim, Auditores, veteri Francorum & Suevorum conſuetudine, præter alias pœnas, etiam hæc rebellibus atque refractariis irrogata ignominia: ut *reus Nobilis canem, plebejus autem, in proximum uſque Comitatum ſellam geſtaret*: quemadmodum Imperator Fridericus Barbaroſſa *Hermannum Comitem Palatinum Rheni, & decem ſocios Comites alios*, quod ſe in Italia abſente prædationibus & incendiis pacem publicam turbaſſent, per integrum milliare Germanicum canem porre coegit. Cæterum illa puniendi ſeveritas peſſimo more abiit in deſuetudinem; quæ ſi conſtanter ſine adſpectu & adfectu in omnes Imperialium ſanctionum transgreſſores ſemper fuiſſet exercita, non ſuſtinuiſſet patria noſtra tot proditiones, tot lanienas, tot devaſtationes, tot latrocinia, tot alias calamitates: & hodie, mei Auditores, pax publica ſit ſine diſcrimine, Ordinum devinctio ſine ſuſpicione, moneta ſine detrimento; & totius Reipublicæ ſalus, Imperatoris majeſtas, omnium Principum atque Statuum auctoritas & privilegia; nec non diva juſtitia, quæ prodigioſa immortalium litium multitudine, & aliquando neceſſariæ executionis defectu, aut etiam illegitima alicubi adminiſtratione, pene deſtruitur, ſint in tuto. Verum enimvero Imperii Romani jam ab aliquot ſeculis diverſicolor & mu-

Otto Friſ. de Frid. l. 1. 2. c. 28.



& mutabilis facies ſæpe in varias me abripit cogitationes, & ſubinde facit dubitare, annon Fides & Conſtantia juri civitatis in Germania renunciaverint? & annon majorum *perfidia & crudelitas* commigrarint in poſteros? Nam ſi aquæ quædam gutturoſos efficiunt, ut in Norico ſupra Juvaviam, ſive Salzburgum; atque in duabus vallibus inalpinis Cillera, & Sundera, non longe a Curia Rhetiæ; ubi præterea fons eſt, cujus aquæ potæ adeo lædunt cerebrum, ut ſtolidos faciant: cur non & liberi quoque, qui ſpiritum & ſanguinem ducunt a parentibus, ſimul eorum virtutes & vitia jure hæreditario imbibant? Omnino ſucceſſio hic eſt in ſtirpes. At qui ſunt majores noſtri? Olim *Germani* Vellejo Paterculo fuêre *homines, qui nihil præter vocem membraq; haberent hominum, in ſumma feritate verſutiſſimi, natumq; mendacio genus.* Mei autem *Franci* Salviano ſunt *mendaces, qui perjurium genus ſermonis putant, non criminis. Saxones* autem tum Britannia ipſa, tum omnis ora maritima Britanniæ & Galliæ, uſque ad Hiſpaniam, accuſat fluxæ fidei & immanis truculentiæ: ad quorum deprædationes cohercendas neceſſe fuit diſponere ad litora duces & milites; qui inde dicti *Comites litoris Saxonici per Britanniam, & Duces tractus Armoricani.* Hinc Sidonius: *Quot remiges videris Saxones, totidem te cernere putes archipiratas. Ita ſimul omnes imperant, parent, docent, diſcunt latrocinari. Unde nunc etiam, ut quamplurimum caveas, cauſa ſucceſſit maxima monendi. Hoſtis eſt omni be-*

ſte

G. Agricola l. 2. de nat. eor. quæ effluunt ex terra, Vide & Dan. Eremit. in Deſc. Helv.

H. lib. 2.

de Gubern. Dei, l. 4.

Vide notit. Imp. Occid. & ibi Pancirol.

l. 8. Ep. 6.

ſte truculentior. Improviſus aggreditur, proviſus elabitur: ſpernit objectos, ſternit incautos: ſi ſequatur, intercipit; ſi fugiat, evadit. Ad hoc, exercent illos naufragia, non terrent. Eſt eis quædam cum diſcriminibus pelagi non notitia ſolum, ſed familiaritas. Præterea priuſquam de continenti in patriam vela laxantes hoſtico mordaces anchoras vado vellant, mos eſt remeaturis decimum quemque captorum per æquales & cruciarias pœnas, plus ob hoc triſti quod ſuperſtitioſo ritu, necare, ſuperque collectam turbam periturorum mortis iniquitatem ſortis æquitate diſpergere. Talibus ſe ligant votis, victimis ſolvunt: & per hujuſmodi non tam ſacrificia purgati, quam ſacrilegia polluti, religioſum putant cædis infauſtæ perpetratores, de capite captivo magis exigere tormenta, quam pretia. Et ut ſemel ſimulque paucis dicam omnia: Septentrio, pars mundi ſiniſtra, aut cæteris certe multis partibus ſiniſterior, in univerſum gratiæ favoriſque perexiguum pollicetur. Etenim ab Aquilone omnia mala impendere, prædicunt divini vates ſæpenumero. Lucifer jactitat etiam, ſe montem conſcenſurum ad plagam Aquilonis, ac ſimilem Altiſſimo futurum. Et ſunt divinæ humanæque ſapientiæ Profeſſores, qui docent; quandoquidem Aquilo quam maxime a ſole & benignitate clariſſimi luminis eſt remotus, ea re illic inter immundiſſimas abominabileſque tenebras Diabolorum legiones ſtabulari, ibidem omnis infelicitatis officinam eſſe, nec non ad extremum æterni horroris atque immemorabilium pœnarum barathrum fore: denique ex eo fieri; quod eum

Ierem. c. 6. v. 1 c. 10. v. 22. c. 25. v. 9. c. 46. v. 20. c. 50. v. 3. Eſa. c. 14. v. 13. &c.

C. Beſol. de nat. pop. c. 4. Gaffarel. de Curioſitez inouyes c. 13. n. 10.

eum adorent Judæi ad Occasum versi, Christiani ad Ortum, Muhametani ad Meridiem, nemo unus tamen preces suas habeat ad Aquilonem: Expectare te arbitror, inclyte Præses, hæc tam longe repetita argumenta quo spectent. Huc, Domine, ut intelligas; satis causæ esse, cur septentrionales Germani ex inclementiori patriæ terræ situ in viliorem veniant æstimationem, audiantque subinde *carnifices mortalium. Nam ut terrores;* ait Nicephorus, *de cœlo sæpe hominibus a* DEO *incutiuntur, ut fulmina, incendia, & imbres procellosi; sæpe a terra, ut telluris hiatus, & quassationes; sæpe ex aere, ut typhones & nimbi: ita hi a* DEO *asservantur Septentrionales ac Hyperborei terrores, ut pro pœna quadam, quando, & quibus providentiæ Divinæ visum fuerit, immittantur.* Sed nullane posterioribus seculis & ætatibus incubuit barbaries talis? Nullane perfidiæ & sævitiæ exempla famam flagellant avorum? Nullane in memoriam nostram incidit infamiæ macula? Respublica nostra, Auditores, foret sanctior, robustior, & durabilior, si nihil opponere possem: Franconia mea, ut aliæ provinciæ dolorem suum ex tot nefariis facinorosorum flagitiis contractum celent, quod factu est difficile; quomodo *Hattonem I* Archiepiscopum Moguntinum perpetuis imprecationum diris impetere cessabit? Nam cum civile bellum in Germania inter Rudolfum Episcopum Wirceburgensem, & Bambergenses Comites, *de claritate generis opumq; magnitudine* (o stultam belli causam!) exarsisset; & *Albertus*

Cambd. in Brit. de Anglo-S. & Normań.

Bam-

Bambergensis Conradum Ludovici Imperatoris fratrem interfecisset; Imperator nece fratris in vindictam exasperatus, illum in castello Therassa obsedit. Ibi Hatto, veluti reconciliator, Alberto persuadet, ut Imperatorem coram ipse compellet, & veniam poscat; interponitque fidem, si nihil ab Imperatore obtineri possit, incolumem illum statim in arcem reducturum. Credit Albertus, & cum Hattone exit: sed non longe progressi, autore Hattone redeunt, & prius prandent; quasi mora justo longior in futura pacis actione interventura esset. Ita pransi ad Imperatorem descendunt: ibique confestim Albertus comprehensus, & manibus post tergum revinctis (nequicquam fidem implorans Archiepiscopi; qui dicebat, *se in arcem ipsum, unde eduxisset, reduxisse, nec promisisse amplius*) securi percussus est. Quis Cretensium unquam sic fuit mendax? Quis Pœnus sic perfidus? Quod si vero Hattonis scelus a nostra memoria cui videatur remotius, quam ut ad nationis nostræ dedecus hodie referri possit: quantum fidei igitur & honestatis tribuemus illis famosis præmiatoribus & latronibus, qui mox a morte Imp. Friderici II per bene multos annos totas provincias perfide deprædati sunt; & quorum arces circiter *sexaginta in una Thuringia* Cæsar Rudolfus I solo æquavit? Quid integritatis adscribemus *Moraviæ, patriæ latronum: ubi* proavorum adhuc ætate, *tanto quisque nobilior ducebatur, quanto spolia majora commisisset?* Quid de illo *Alberto Brandenburgico*, ad cujus, tanquam

Otto Fris. l. 6. cap. 44. Cranz. l. 22. Metrop. c. 25. Crus. Ann. Suev. p. 2. l. 3. c 6. Lehman. Chr. Spir. l. 3. c. 50. N. Serar. rer. Mog. l. 4. in Hatt. II. Thrasib. Lepta in reb. gest. B. Scinsh. l. 2.

Naucl. vol. 2. gen. 43. Cario. Chr. l. 2. Lehm. Chr. Spir l. 5. c. 104. Æn. Silv. Epist. 1, 9. & 162.

quam Hæmi Thracii nomen, in Herbipolensi bello, sive potius *latrocinio publico*, non ita pridem tota Germania cohorruit; cui nullo respectu, ut exteri quoq; judicant, nulla juris æquive, aut deniq; honesti habita ratione, omnia miscere ludus erat: quid de *Gulielmo Grombachio*; quid de consimilibus aliis quamplurimis patriæ nostræ facibus, dicemus? Quid laudum vero & Belgæ dabunt Carolo Croyo Cimaci Principi? qui anno superioris seculi LXXVI[to] sacramento Fœderatis dicto, arma adversum Regem sustulerat: post, anno undeoctogesimo, patrem suum, Ducem Arschotanum, Coloniam secutus, Fœderatorum societatem exuerat: donec elapso triennio sub adventum Alençonii reversus, & palam Reformatorum religionem professus, non tantum validam opibus Mariam Brimæam, Comitis Megensis cognatam, & ex asse hæredem, in matrimonium impetravit, sed & Flandriæ Præfecturam; antehabitus a Reformatis Spinojo, qui Pontificia fovebat sacra. hic ubi spes de Alençonio destituisse fortunam videt, quartum mutata fide, intento studio Regis (quem tamen antea vulgato libello tyrannum nuncupaverat, & Achabo similem, aliis id genus contumeliis adjectis) gratiam adfectabat; palam cum Parmensi pactus, urbibus ei Brugis ac Dammo proditis. Aut, si parum adhuc illi, quos nunc dixi, a fide discesserint; agite, Auditores, *Adolfum Ecmondanum* aspicite, qui veteres & novas perfidiæ artes superavit, & cum immani impietate conjunxit. Ille patrem suum

Th. H. l. 11. & 56.

Ev Reidan. Annal. l. 3.

ſuum (o nefas!) ſenem, in ipſius Adolfi filii gratiam præter vires & morem tum lætiorem, Graviæ, noctu, acerrima hyeme, jam in lecto quieſcentem capit; *Pater*, inquit, *neceſſitati parendum eſt: age, ſequere:* nec tantillum exſpectat, ut tuniculam interiorem aptet atque induat, ne tibialia quidem ſumat: ſed pater equitantem filium, abſque calceis, nudis pedibus & corpore, per quinque milliaria Buram uſque ſequi cogitur: ibi in ſqualidum & obſcuriſſimum carcerem detruditur, & totos ſex annos detinetur. Poſt multas Pontificis, Imperatoris, & vicinorum Principum minas & interceſſiones, tandem *Carolus Pugnax*, Burgundiæ Dux, utrumque coram ſe ſiſtere jubet Dorlani, & ſententiam dicit: *Arnoldus pater ſolus titulo Ducis utatur; ſed filio oppida arceſque totius Geldriæ cedat, ſola Gravia ſibi excepta: accipiat in alimoniam de manu filii tria quotannis aureorum millia.* Sed quid Adolfus? Ille non tantum conditiones quantumvis in patrem iniquas, non acceptat, ſed etiam reſpondet; *Malle ſe præcipitem dare parentem in puteum, ſe deinde ſuperinjicere, quam ut ſic paciſcatur: patrem jam præfuiſſe per totos quadraginta quatuor annos; æquum eſſe, ut tandem & ad ſe quoque redeat Principatus. ferre ſe poſſe, ut quotannis ille habeat penſionem trium millium, ſic tamen, ut ex Geldria diſcedat, nec unquam in eam pedem referat.* En præclaram Germaniæ fidem! En conſtans Belgarum obſequium! En inſignem pietatem in patrem! At vero jam facilius ego credam Morvillerio, qui dixit, *Belga-*

Cominæus Com. l. 5. Lipſ. Mon. Pol. l. 2. c. 5. Met. Belg. H. l. 1.

rum levitatem ex annalium fide perspectam esse; ut & illis adstipulabor, qui testati sunt, *Gandavensibus* insitum esse, *turbare*; adeoque non solum priscis temporibus, sed & ultimis bellis, ex quo illi per turbas libertatem a Carolo V olim sublatam, & robur pristinum reciperarunt, nullos toto Belgio rerum novarum cupidiores, nullos violentius mutasse, & in utraque fortuna ad rerum inclinationem majora monumenta attulisse: atque juste *Brugensibus* commercium ademptum, & Antuerpiam translatum fuisse adfirmabo; quod illi Maximilianum I, tunc Romanorum Regum, præcipuis ministris in conspectu illius occisis captum, ignominioso carceri incluserint: imo & illa vulgaria dicteria, quibus Brabanti *hilares*, *festivi*, *ridiculi*, *in ludicris immodici*; Flandri *mulierosi & intemperantes*; Batavi *simplices*, *incauti*, *inertes*, *segnes*, *ac stolidi*; Zelandi *callidi*, *vafri*, *subdoli*, *dicaces*, *captiosi*, appellantur, hodie pro morum corruptela & improbitate nimis mitia & lenia esse existimabo. Quod enim crimen aut flagitium post illud *Adolfi* scelus jam sit incredibile? Obstupuit, & ad diritatem facinorum ingemuit Europa: cum avorum ævo *Selimes I* Turcarum Sultanus patrem *Bajasitem II* imperio spoliasset, & veneno peremisset; Achmeti Corcutique fratribus natu majoribus, & quinque fratrum filiis laqueo fauces elisisset; procerum deinde maximorum cædes, Mustaphæ bassæ Vezirazemis, Cheudeni bassæ, Ducaginoglis Vezirazemis bassæ generi sui; Ischenderis itidem bassæ generi, Ta-

zisa-

Th. H. l. 51. l. 77. Apol. Auraici ad proscript. Hisp. R.

Die t' Gent is geboren/ en t' Utrecht ligt der Scholen: en te Luyck leert syn Walesis een Muytmaker door syn Hals: en comt u dan noch wat t' kort/ so moechde ansprecken die van Dort.

Th H. l. 60.

Leunclav. Pand. Hist. Turc. c. 206. & H. Musul. Turc. l. 16. & 17.

zisadis Cadilescheri, Balis Gemis Seguanis bassæ, Chuseinis bassæ Veziris, & Jonuzis bassæ, nefarie accumulasset: Sed ille Selimes fuit barbarus, fuit Turca, & hæreditariis quasi domus suæ laniemis ferox: non fuit Christianus, non Germanus. Ast abite in malam rem, abite perfidi, rebelles, impii, & ingrati omnes, quicunque estis. Et o bellam *Pugnacis* illius *Caroli* justitiam, qui ultimo hominum *Adolfo* contra patrem favit! Quo enim honesti prætextu monstro isti, quod culeo erat insuendum, adversus omnem æquitatem & Divini humanique juris regulas tantum concedi potuit? Cum *Carolus Borbonius* patriæ suæ proditor & hostis, deserto Francisco I Galliarum Rege venisset ad Cæsarem Carolum V in Hispaniam, adeo Hispani proceres ab illo, ut infami perfidoque abhorruerunt, ut ex istis unus, cum Cæsaris nomine rogaretur, ut Borbonium ad tempus aliquod in domum reciperet, Castellana magnanimitate internuncio responderit: *Se Cæsari, quod vellet denegare non posse: cæterum sciret, se domum illam, quamprimum Borbonius discesserit, quasi ejus infamia contaminatam, & quæ posthac ab honeratis viris inhabitetur indignam, flammis aboliturum esse*: Atqui Pugnax ille Hispano isto viro primario haberetur major & laudatior, si flammis quoque non adversus domum in qua Adolfus hospitabatur, sed adversus ipsummet hospitem fortiter pugnavisset. Quanto autem Carolo melior & justior ille haudquaquam barbarus Mauritaniæ Rex? qui cum audisset hostem su-

Guicc. lib. l. 16.

Alb.Gent.I. bell.l.1.c.15.

um Alfonsum, Castellæ Regem, armis filii divexari, ingentem auri vim mittebat ad Alfonsum; & ipse etiam in Hispaniam cum magna militum manu trajiciebat, rem indignissimam esse judicans, ut filius patrem regno pellat; addens autem, *Victoria parta, se Alfonso iterum hostem futurum.* Cæterum Pugnax ille Carolus, ille sceleratissimus Adolfus faciunt, Auditores, ut in Germaniæ *Injustitiam* denuo aliquid edisseram. Sicuti enim Treverensis ditionis aer frequenter est nubilus ac pluviosus, ut quidam huc accommodent *cloacam planetarum*: ita in Germania, justitiæ cœlum frequentissimis injuriarum, crudelitatis, & omnis improbitatis nubibus est obductum, ut non raro hinc depluat sentina omnium malorum. Et, uti in multis Hollandiæ ac Zeelandiæ partibus terra penitus aquis imbuta permaduit, ut non solum, qua manifeste palustris est, cedat ad nixum, & hauriat pressa vestigium; sed etiam, ubi paulo videtur firmior, pedum pulsu tentata quatiatur, & sentire se procul mota pondus testetur; imo & ob illam causam Oceani violentiam experiatur maxime, qui ruptis & dissipatis aggeribus patrum memoria *centum amplius millia jugerum* abrasit, & *Nordbevelandiam* omnium Mattiacarum insularum hortulum ita absorpsit, ut præter turrium cacumina, aquis passim exstantia, nullum reliquum sit vestigium: sic quoque & patriæ nostræ, vitiosis humoribus maceratæ, insidiatur injustitiæ Oceanus, & majorem partem inundavit, bene magnam jam hausit.

Eumen. in Paneg.Constantii.

Bodin Th. nat. lib. 2. Lemn. de occ. nat. mir. l 4 c. 2. adde Chry. Sanctium, qui scribit A Ch. 1421. Oceanum 72. pagos absumpsisse; & unicum tantum infantem & cum eo felem evasisse.

ſit. Quis vero Imp. *Othonis II* conſilium probet, quo convivium ſpecie juſtitiæ cruentare voluit? Etenim invitaverat is Romæ in Vaticanum Epiſcopos, Principes, & civitatum legatos, ad epulum apparatiſſimum; qui cum ordine cuncti accubuiſſent, extemplo ille præconis voce pœnam capitis dennuciat, ſi quis ad ea, quæ videret audiretve, aut vocem mitteret, aut ſede ſua ſe moveret: & cum dicto convivæ armatorum catervis circundati. ibi omnibus trepidantibus, Cancellarius Imperatoris in violatores pacis invectus, nomina eorum ex charta recitat: & mox horribili de eis pronunciata ſententia, in conſpectu totius multitudinis ſupplicium ſumptum eſt. cum reliquis deinde convivium, omnes ad lætitiam cohortatus, Imperator jucunde celebravit ac peregit. Olim *Flaminius* prætor, Auditores, inter cœnam a meretrice rogatus, quæ ajebat, ſe nunquam decollari hominem vidiſſe, unum ex damnatis occiderat: feceratque imprudentiſſimus homo, ut Bruti, Horatii, Decii, & cæterorum decorum Imperii, faſces & ſecures in dedecus verſæ, & in jocos obſcœnæ puellæ reciderint; atque majeſtas populi Romani, per omnes nationes, per omnes diffuſa provincias, in ſinu meretricio jacuerit. Sed quot modis Flaminio fuit noſter ille Otto immanior; qui non unius, ſed plurium damnatorum ſanguini pavimenta immergebat; qui non rogantibus convivis, ſed exhorreſcentibus, aque ſpectare & vultum componere coactis, tragœdiam exhibebat? Ottonem

Viterbienſ. Cruſ. Ann. Suev. p. 2 l. 5. c. 2. Sigon. de reg. Ital. l. 7.

Senec. l. 9. Controv. 2.

tamen, qui illa intempestiva animadversione ordinem & gravitatem judiciorum nonnihil corrupit: quanquam & illa *Imperii civitas* parum servans decori fuit; quæ Senatori novissimo cuique munus onusque imponebat *carnificis*, ita ut ipsum facinorosis capita amputare oportuerit; *gladio* rubigine propemodum exeso etiamnum superstite: & ille *pagus* apud Francos meos; in quo veteri consuetudine maritus nuperrimus furi cruciario laqueum innectit, & signo dato confestim omnes loci cives, & imprimis quatuor Sculteti, operas conferunt, (hoc vocant Hulen) furemque de annosa & mutilata (cui nomen Knüpfelsbaum) quercu suspendunt; fere ad exemplum *Balduini XII* Flandriæ Comitis, qui XI Nobilibus, quod tres mercatores spoliassent atque contrucidassent, in palatium vocatis, & in tabulam collocatis, laqueos singulis injici mandaverat, & postea ipsemet suis manibus subtracta tabula illis gulam fregerat: sed quo excurro? Ottonem, inquam, inepta & incivili justitiæ administratione vincunt *Gandavenses*; qui patrem & filium ejusdem sceleris convictos ac damnatos sortem ducere jusserunt, uter utrius carnifex esset. pater, cui sors obtigerat, cum ætate senex esset, precibus eblanditus gratiam eam obtinuit, ut filius robustior eo munere fungeretur: & filius postea parentis caput intrepide decussit. Cujus impietatis ac sceleris memoriam æreis statuis in urbe media, & quidem publico ac patenti loco, Gandavenses etiam hodie exstare patiuntur.

Bod. de Rep. l. 3. c. 18.

At

At nihil iniquius, & nihil barbarum magis illo more esse potuit; quo *Klagenfurti* suspectus furti in furcam agebatur, & postridie de mortuo quæstio habebatur; qui si reus inventus esset, manebat pendulus, sin innocens, funere publico in cœmeterium deferebatur. Vbi ergo, per DEUM immortalem, tandem latitat justitia Germanorum! An forte & illa patibulo tanquam suspecta est affixa, & jam præpostere rea peragitur? Quod si, Auditores, ad superiora facinora accedant, *lex Moravorum*, qua cautum, ut accusator furem suis manibus ipse suspendat in furca; aut, si ad manus carnificem suum non habeat, ipsemet a fure suspendatur: si *lex Lucernatium*, qua, qui civem Lucernatem occiderit, etiamsi legitime vim vi repulerit, nihilominus capite pœnas luit: si *pessima consuetudines*, quibus bona naufragio adflictis, res furtivæ dominis, a magistratibus eripiuntur: si *judicia Westphalica* clandestina; si pœnarum quoque atrocitas; & si quæ hujus notæ sunt alia plurima, jungantur: quota parte Germania nostra erit justa? quota æquitati, & quæ inde maxime dependet, concordiæ publicæ, operabitur? Verum, illustrissime Princeps, FRANCISCE CAROLE, Dux Saxoniæ, *Religio* quoque contra quam tu putas, Reipublicæ nostræ vulnus inflixit longe inhonestissimum. Non persequar illorum impietatem, qui cum DEO ipsam Religionem omnino abjecerunt; aut licet professionem retinuerint, tamen fidem vita sua profligaverunt. Eat enim in malam rem, eat vetus

Bod. M. H. c. 5. I. Boë. de Europa. l. 3. c. 17. Faber H Suev. l. 1. c. 18.

Dubrav. H. Bojem. l. 32.

Simler de Rep. Helv. l. 2.

Damhoud. prax crim. c. 112. n 67. Æn. Silv. Epist. 164.

ille *Radbodus* Frisius Princeps; qui sacrum baptisma recepturus, cum audisset, majores suos tanquam gentiles & a Christiana religione alienos apud inferos torqueri, mutata sententia, pedem alterum jam aquæ immersum retraxit; causatus, *Sanctius esse, sequi plures, quam pauciores; & honestius, sequi divites & potentes, quam pauperes & leprosos.* Eat & in crucem *Fridericus Ciliæ Comes*; qui religionis causa ad Apostolorum limina profectus, sed nihilo melior reversus, hoc ipsum reprehendentibus objicere solitus est: *Etiam sutor meus Roma redux ad sutrinam redit.* Nec veniat in hunc conventum *Leopoldus Austrius*, cætera insignis bellator, qui excessu quodam amoris erga Imperatorem *Fridericum Pulchrum* fratrem, captivum, impie officiosus Dœmonem evocavit in in auxilium, ut illum liberaret. Tametsi Fridericus præsentem bajulum & portitorem suum aversatus, cum sedere jam, nec sciscitari quis esset iste, juberetur, crucis signo fugavit. Procul etiam, procul esto profanus ille Abbas Spanheimensis *Trithemius*, qui Imperatori Maximiliano I conjugem Mariam Burgundam, jampridem antea mortuam, ostendit tanquam redivivam: quo spectaculo ita territus est Maximilianus, ut plurium mortuorum formas, quas ille monstraturus erat, videre noluerit. Sed aliud malum longe periculosius Rempublicam nostram arrodit; quod serpit prorsus & sævit, ut cancer. Religio enim peperit Religiones; tranquillitatis mater, dedit filias seditionum & dissensionum

Naucl. vol. 2. gen. 24. Vb. Emmi9 Fris. H. l. 4.

Silv. in Europ. c. 21.

Trithem. in Hirsaug. & Sponh. Chr. Gerard. de Roo. lib. 3. Cuspin. in Frider. Pul. Crus. Ann. p. 3 l. 4. c. 5. Lehm. Chr. Spi. l. 7 c. 15.

Crus. Ann. p. 3. l. 8. c. 17.

nutrices. Nec provinciæ ſolum, ſed etiam civitates, & in ſingulis fere civitatibus civium parœciæ, interdum & ſingulæ domus opinionum diſcidiis inter ſe conflictantur. Et quæ gentis noſtræ eſt inconſtantia? quæ mutatio? Vix ſincera Divi *Lutheri* doctrina per tenebras Papales penetraverat in apricum: & paulo momento noſtrates huc illuc diſtracti infinitam dogmatum varietatem ſuſceperunt; factique ex *Papiſtis* jam *Lutherani*, jam *Calviniani*, *Anabaptiſtæ*, *Schwenckfeldiani*, *Oſiandriani*, *Huſſitæ*, *Huberiani*, jam alii. Quot capita fere, tot ſectæ. Ac licet *Pace Religionis* præter duas, Pontificiam, & Auguſtana Confeſſione comprehenſam doctrinam, nullas alias in Imperio admittendas eſſe, conſtitutum ſit: uti propterea in Calvinianos, & præcipue Palatinos, cum Impp. Ferdinandus & Maximilianus, tum cæteri Principes Proteſtantes infeſtis animis ferebantur: nihilominus, ut eodem pacis beneficio fruantur, aſſerunt Calviniani, ſe Auguſtanæ Confeſſioni vere addictos eſſe: proinde *fraternitatem* cum Lutheranis Theologis inire magno molimine nuper conati ſunt, ſed ſine ſucceſſu; Lutheranis ſpurios fratres pro legitimis agnoſcere recuſantibus. Quid autem ſic fiet tandem? Quid ſi Calviniani facti potentiores, & Lutheranos referant inter ſpurios fratres, & Pacem Religionis torqueant adverſum illos, & mutent in bellum? Quid ſi etiam Pontificii tot opulenta monaſteria, & tot pingues Epiſcopatus ab aliis in fiſcum & ad *menſam Domini* verſos, armatis precibus repetant?

Bod. de Rep. l. 5. c. 1. & in M. H. cap. 5.

Th. H. l. 39. Vide Symphor ſupp. tom 1. p. 1. tit. §. Cōſt. Relig. & L. Hutter. in Calv. Aulico-Politico utroque.

tant? Absit, ut hæc voveam; timeo tamen in hac feracissima sectarum ætate, & hac ambulatoria Principum & subditorum fide. Vitio enim seculi ferme Religionibus, ut vestibus utimur: quæ nisi quotidie aliquid habeant novi, non placent. Multa quidem passim amicitia, etiam adfinitatum & novorum fœderum vinculis adstricta: quid tum? non perennabit. Sicuti in
Th. H. l. 41. Westphalia & vicinis locis campi sunt fallaces, in quibus, cum cespes ille ustibilis effoditur, aqua restagnat, & succrescente herba solidum extrorsum solum apparet, ut qui illac iter faciunt, nisi locorum gnaros duces habeant, prius in lutosas voragines inextricabili lapsu impingant, quam periculum adgnoscere queant: ita vereor, ne nos alicubi multarum Religionum ferruminatio aut plumbatura pernitioso errore in vortices inexuperabiles, cum certa Reipublicæ & civium pernicie seducat. Heu Religionum infelicitatem! At vero, quid vitiorum in nostra mantica est amplius? Permultum, Auditores. Quemadmodum enim ædes in superbam altitudinem exurgentes, raros suprema in parte habent inquilinos: sic nos Germani, aliis gentibus plerunque proceriores ac robustiores, parum rationis in capite gestamus, & imperium nostrum in adfectus est debilius. *Imbecilli sunt animo, quo-*
Epist. 8. *rum lacertos humerosq; miramur*: dictum est Senecæ. *Nimio robore membrorum vigor mentis hebescit, quasi abnuente natura utriusque boni largitionem: ne supra mortalem sit felicitatem, eundem & valen-*

tissi-

tissimum esse, & sapientissimum: dictum est Valerii Maximi. *Longi homines sunt raro sapientes*: dictum est Bartoli. Et *Fatuos* Poetæ Græci Latinique passim vocant *longos* & *magnos*. Atque, ut Helvetia sterilis est, quæ nec sufficit alendo populo suo; Hassia infœcundis montibus deformis; Marchia Brandenburgensis, & Westphalia, multis in locis arenæ non frumenti divites, & paludibus sunt inhonoræ; & multæ aliæ provinciæ egestate laborant: & tamen, in illis Regionibus non minus est lolii & zizanii, quam in fœcundissimis: sic licet apud Germanos minus sit virtutum, non propterea minus est vitiorum. *Civiles* certe non sumus: ut *Fr. Lanovius* dicat, adolescentes Gallos, qui ad nos in Germaniam mittuntur, si quando domum revocentur, rusticulos redire, atque ideo politiorum morum gratia alio ablegari solere; ut ita nobiscum habita conversatio illis magno constet, duplici labore, duplici tempore & impensa. *Voluptatibus* autem servimus omnibus: & in media patria Davos, Phormiones, Gnathones, Parides, Apicios, Laides, Thaides, Medeas, colimus & veneramur. Et ubi est pudicitia majorum? Quotusquisque nunc intelligit nomen *castitatis*? Sæpius miratus sum, ferri adhuc multis in locis *balnea* & lavacra promiscua, nulla sexus aut ætatis habita consideratione: cum olim Romuli lege, criminis capitalis reus haberetur, qui se nudum a fœmina videri passus fuerit; & Turcæ promiscui sexus lavacra ita aversentur, ut capitale sit viro interesse, vel conspici

lib. 9. c. 12.
ad l. 1. ff. de jurisd.
Casaub. in Athen. l. 4. c. 16.
Simler. de Rep. Helv. lib. 1.
Discursu. 5.
Camerarius Cent. 1. c. 34.
Plut. in Romulo.

in loco, ubi fœminæ lavant. *Mulier* enim *cum* Herodo. l. 1. *tunica verecundiam ponit*: Ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Et hanc ob causam fuerit ridiculus, an stolidus, *Fr. Aretinus*, Consil. 142. qui satis prolixo Consilio probare conatus est; *Fr. Sfortiam* Ducem Mediolanensem jure petiisse, ut *Dorotheam* filiam Ludovici Marchionis Mantuæ, Galeatio ejus filio desponsatam ea expressa conventionis conditione, si puella intra decimum quartum ætatis annum gibbo aut alio deerrantis naturæ vitio deformata non fuerit, Medici quidam prius inspicerent nudam in certis locis, atque etiam tangerent, quo ita constaret, si quæ puellæ occulta deformitas esset; sed Ludovicum Marchionem hoc ipsum injuste recusasse. Itali autem illam promiscue lavandi consuetudinem in thermis Badensibus apud Helvetios servatam ita detestantur, ut *Poggius* Florentinus, qui licentiam eam describebat Leonardo Aretino, epistolæ titulum hisce verbis conceperit: *Poggius de Schola Epicureæ factionis, quæ regnat in Theutonia dominorum de Baden.* & inter alias Floralium istorum ludorum festivitates recitat ille: *Nulla in orbe terrarum balnea ad fœcunditatem mulierum magis accommodata esse: innumerabilem multitudinem Nobilium & ignobilium, ducenta millia passuum eo venire; non tam valetudinis, quam voluptatis causa: omnes amatores, omnes procos, quibus in deliciis vita est posita, eo concurrere, ut fruantur rebus concupitis: multas fœminas corporum simulare ægritudines, cum animo laborent: omnibus*

Vide Æn. Sylvii Epi.

bus unam mentem esse, tristitiam fugare, quærere hilaritatem; non de communi dividundo agere, sed de communicando divisa. Quæro, Auditores, an Poggius Badenæ recte expenderit lavantium morbos? & annon in aliis etiam aquis ac thermis, Epicuri scholas quis hodie invenire possit? Olim in Italia, *Bajas vidisse*, a severioribus dicebatur specie adagii, pro signo libidinum; cum ille locus esset *vitiorum diversorium*: in cujus aquis F. Iuret. ad Symmach. l.7. Ep.24. Sen. Ep.51.

——*quicunque natavit, amavit*: Regilianus.

& propterea Martialis salse ludebat in Lævinam castam mulierem, quæ dum Bajas venisset incidit in flammas amatorias, & relicto conjuge abiit *Helene*, quæ venerat *Penelope*: verum eheu! quantumvis, ubi quondam in Puteolano tractu prælucebant Bajæ, jam ibi loci sit solitudo mera, & serpentum cubilibus peroportunum dumetum: Bajas tamen hodie multis locis habemus in ipsa Germania; ubi inter lavantium greges videre est frequentissima Veneris Amorumque gymnasia, commessantium tripudia, & symphoniarum cantibus perstrepentes cætus, & alia, quæ velut soluta legibus luxuria non tantum peccat, sed publicat. Ac tolerabile cui fortean videri possit, si in thermas tantum illa libidinum se se exoneraret tempestas; nisi longe lateque (proh dolor!) inundaret Germaniam omnem. Quid enim de *Vienna* Æneas Silvius, qui diu Viennæ vixit, & eo tempore, quo Nobilium filiæ *virgines* appellatæ, honoris adgnoscebant titulum; cum hodie illud nomen infra Nobilitatem esse a multis l.1. Epig.63.

existi-

existimetur? *Meretricum*, ait, *ibi est maximus numerus. raro mulier est uno contenta viro. Nobiles ubi ad cives veniunt, uxores eorum ad colloquium secretum trahunt; viri, allato vino, domo abeunt, ceduntque Nobilibus. constat sæpe a Nobilibus cæsos esse cives, qui uxores suas verbo terruerunt; quibus amatores in curia fuerunt.* Qua morum improbitate Viennensibus civibus nimiopere necessaria tunc fuerit illa Hispani cujusdam precum formula; qua Numen fatigabat assidue; ut, si omnino sibi moriendum sit *cornuto*, hac saltem gratia gravem ignominiæ notam temperare dignetur divina bonitas, quo *taurinis* potius, quam *uxoriis cornibus* conspicuus decedere possit. Quid vero de *Suevia* Felix Faber, Monachus Vlmensis? *Fœminarum genus*, ait, *apud Suevos delicatum & formosum adeo multiplicatur, quod pene in omnibus regionibus evagantur mulieres de Suevia, servientes hominibus in cura domestica, & maxime in cultu Veneris; cui adeo affectæ sunt, ut præpositæ reliquis primum locum in sacris Veneris habeant. aliæ tanquam cum Venere Adonidem quæsitutæ per mundum discurrunt: quem cum diu in publicis lasciviis quæsitum non invenerint, mox abdita petunt, & Adonidem desideratum apud Minervam, Dianam, Vestamq;, castissimas Deas, quærunt; quæ eas dirigunt ad suos sacerdotes, responsis eorum certificandas.* & iterum. *Sicut, ut comparationem improportionatam faciam, omnia aliarum regionum lupanaria habent fœminas de Suevia: sic omnia pene monasteria procul existentia habent virgines Suevigenas; & dilectæ ac utiles monasteriis sunt plus quam*

Epist. 156.

Iulian. de Medrano in Sylv. curiosa l. 1. M. Zeiller in Thet. Trag. H. 6.

F. Faber. H. Suev. l. 1. c. 10.

quam aliæ, propter bonam naturæ dispositionem. Quin & Principum familias conspurcavit infamis illa lascivia creberrime. Et quis unquam homo illa *Barbara*, Hermanni Ciliæ Comitis filia, Imp. Sigismundi uxore, fuit libidinosior? quis ab omni honestate & pudore alienior? Illa cum superos ac inferos esse negaret, interitumque animi & corporis statueret: vitam omnem censebat inanem, quæ non coitu, luxu, ac libidine contineretur. Itaque indomitæ libidinis, & robustissimi cujusque viri domitrix mulier, cum defuncto Sigismundo Cæsare a sacerdote moneretur, ut pudice jam viveret, & turturis exemplo viduitatem exornaret castitate: *Si Pater*, inquit, *exemplum afferre ex avibus cupis; cur non laudas passeres? quarum cupidius vitam sequerer, quam turturum. quoniam illæ semper lætæ atque hilares cantant; hæ tristes ac mœstæ semper silent atque mœrent.* Sed nullum fere speculum hominis imaginem refert tam exacte, quam *Fridericus* Ciliæ Comes Barbaræ, frater sororis, expressit mores. Hunc enim, cum ob execrabiles concubinæ amores interfecisset uxorem, & deinde inter scorta turpissimam vitam degeret, unus ex amicis pia adhortatione ad salutis & animæ curam ita excitaverat: *Annum*, inquit, *jam supra nonagesimum agis, nec minus voluptati servis, quam si sis adolescens: resipisce, & jam tandem de morte atque sepulchro cogita.* cui Fridericus: *Hoc ago. nam sepulchrali marmori hoc epigramma insculpendum statui:* HÆC MIHI PORTA EST AD INFEROS. QVID ILLIC RE-

Bõfin. rer. Vng. dec. 3. l. 7. Æn. Sil. in Paral. Alfons. l. 3. c. 5. Cuspin. in Sigism.

Æn. Silv. d. l lib. 1. c. 19.

PERI-

PERIAM, NESCIO. SCIO, QVÆ RELIQVI: ABVNDAVI BONIS OMNIBVS; EX QVIBVS NIHIL FERO MECVM, NEC QVOD BIBI ATQVE EDI, QVODQVE INEXHAUSTA VOLUPTAS EXHAUSIT. Non puto, Auditores, ſimiliores Diabolo beſtias ad inferos fata tranſmiſiſſe. Ita enim abominabilis illa Barbara & nefarius ille Fridericus, omnes vitæ rationes inſtituiſſe videntur, ut quaſi de induſtria libidinis atque omnis impietatis infamiam colligere, & in DEI odium atque hominum offenſionem irruere voluerint. Feſtivum tamen *Henrici* Ducis Brunſuicenſis, dignum poetarum fabulis facinus, cur hic omittam? Deperibat ille puellam in Gynæceo uxoris *Mariæ*, Vlrici Ducis Wirtembergiæ ſororis, *Evam Trottinam*: qua ut frueretur diutius, & ſuſpicandi occaſionem daret nemini; ex compoſito jubet eam ſimulare reditum ad parentes, & abire in quandam ipſius arcem. paucis poſt diebus, quam Eva eo venit, in lectulum illa ſeſe componit, & de invaletudine quiritatur. ſed ex mulierculis, ſtupri ſequeſtris, cum iſtæ ſimulacrum ligneum, jam antea dolo huic paratum, humi repoſitum, linteo, ut in mortuis fieri conſuevit, prius obvolviſſent, altera denunciat arcis præfecto, Evam eſſe mortuam: & iſte confeſtim thecam ad reponendum corpus confici mandat: atque deterrendi cauſa, ne quis propius accederet, fingunt lenæ, Evam interiiſſe peſtilentia; & juniperi granis aliiſque rebus odoratis faciunt ſuffitum. poſtea funus effertur, & cum pompa deducitur ad

Sleid. Comment. l. 15.

Fran-

Franciscanos: qui totum deinceps annum pro concione populum hortantur, ut pro mortua DEUM deprecentur. fit quoque mandatu Ducis funus cum alibi, tum in arce primaria Wolfebutelo; quibus exequiis aderat etiam Maria uxor, cum pedissequis & cætu virginum, omnes cultu lugubri. Interim tot funeribus suis superstes Eva recte valet in arce Stauffeburgo, & ab eo tempore *septies* fit mater. O utinam jam sit Tubingæ iterum *Frischlinus* aliquis, *qui Trottinam redivivam*, & novi Jovis furta transferat in comœdiam! qui istius Plautinissimi argumenti varietatem & admirabiles strophas condiat sermonis elegantia! Scio, spectatores & auditores, atque etiam lectores, animo defecatissimo discessuros esse. Optandum autem sit, ut Henricus a vicino & victore suo, *Philippo* Hassiæ Landgravio, caste vivere didicisset: qui, cum esset tirorches & inexhausti ad Venereos usus succi, ac propterea uxori gravis; negotio cum pastoribus communicato, concubinam unam superinducere, cujus consuetudine ardore aliquantum perdomito parcius ac moderatius cum uxore versaretur, quam vagis libidinibus se committere, satius duxit. Quid vero de cæteris voluptatibus habeo dicere? De omnibus habeo, Auditores, immania, & digna, in quorum turpitudinem prorsa & vorsa facundia fulmina ejaculetur. Sed jam hoc tantum: in *Vestitu*, in *Cibo*, in *Potu* deliciamur, & degeneres, & stolidi sumus. Vbi enim est prisca majorum in laneis indumentis ac vestibus singu- Th. H. l. 41.

los prope artus exprimentibus frugalitas? Plane deperiit ea: nisi ubi adhuc a virtutum alumna Paupertate defenditur. Ditiores enim fere omnes & præsertim illi, qui stemma jactitant, & fumosis imaginibus caput habent repletum, offenduntur ad panni vulgaris attactum: quorum cutis non fert, nisi sericum, aut Milesium aliquod vellus, aut si qua sunt Milesiis adhuc teneriora. Præstabat nos adhuc *barbaros* & dici & haberi in illis etiam, ut tunc, sordibus, quam in hac luxuria, in hoc dedecore vestimentorum palmam aucupari. Quid diceret Augustus Cæsar, si hodiernum Germanorum in vestitu luxum præsens adspiceret? Ille ditissimus ac potentissimus hominum veste non temere alia utebatur quam domestica, & quam uxor, soror, filia neptesque conficiebant. At luxus nostras, etiam reluctante summa rerum inopia, domesticum parabilemque cultum fastidit. Iste disjunctissimas fatigat gentes. Isti nent, isti pectunt, isti texunt Belgæ, Persæ, Seres, Indi; isti Tyrius murex natat; isti fragrans bacca hispidis pendet arbusculis; isti oves albicant Britannicæ; isti Indica sandyx rubet; uterque isti sudat Oceanus. Quid dicat Magnus Carolus, si ad nos redeat, & illos videat byssina uti summa veste Principes & magnates nostros; cum ipse lorica vestiretur interula? Quid inclyti Ottones illi qui in pulvere & luto virtutem factis extendebant; cum nostrates unguenta sibi illinant exquisitissime apparata? At vero ubi hodie est illa vetus *prandiorum* ac *cœnarum* tenuitas? illa valetudi-

tudinis & patrimoniorum tutrix parsimonia? Oraculum Madicum est: *Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora.* Qua ratione barbarus Anacharsis vitæ suæ institutum deprædicabat; *Mihi pulpamentum*, inquit, *fames; cubile, solum; vestis, Scythicum tegmen.* Et Germanis olim nostris pultes non nisi ex avena cibus erant. Hodie autem mores eo venêre, ut ciborum copiis & deliciis jam maxime pereamus. Sunt inter nos non pauci, sed opido multi, & potior pars quibus

Plin. H. N. l. 11. c. 53.

Plin. H. N. l. 18. c. 17.

——*summa boni est, uncta vixisse patella*:

Pers. Sat. 4.

qui, nisi digitos habeant croco infectos, nisi cinnamomum ructent, ac caryophyllon spirent, nisi ——*gustus elementa per omnia quærant*
nunquam animo pretiis obstantibus,

Iuvē. Sat. 11.

parum lauti aut honesti sibi videntur. Itaque licet affatim hæc patria nostra producat vitæ necessaria: illi tamen, quasi à natura derelicti ad externa confugiunt; vestes, cibos, medicinam ab Herculis columnis, a Taprobanæ insula, à Gange fluvio, a Nili ortu, aut quæ loca istis adhuc magis longinqua sunt, petentes. Et ubi hac vivendi intemperie, hisce peregrinis gulæ irritamentis, famis ad statà horarum intervalla redeuntis necessariam vicissitudinem prostràverunt; demum infelicitatem suam & miseriam graphice depingere, naturæ quoque convicium dicere, non erubescunt. Quibus, si Medicum, quem aliquando *Abbas* quidam ventricosus & obesus feliciter fuerat expertus, optávero: fecero pro morbi

epidemii magnitudine & periculo prudenter, & in populares benignè. Ille Abbas ad thermas cum veheretur, obviam habebat Nobilem quendam: cui causam balnearum, & *An aliquo laboraret morbo* percunctanti, respondebat, *Morbi quidem esse sibi nihil, nisi quod appetentiam edendi nuper deperditam eat reparatum in aquis calidis; quas sciret in hoc remedium esse salubres.* Cui statim instat Nobilis: *At in hanc rem*, inquit, *ego tibi sim futurus multo melior Medicus.* Et cum dicto abducit secum Abbatem, quem domi suæ in profundum ac tenebricosum abdit carcerem, & aliquot dies ibi inedia maceratum post interrogat, *An nondum cibi appetentia redierit?* cui *rediisse* adnuenti, *Æquum est igitur*, ait, *ut mihi pro medicina mercedem solvas*: Et ita Abbatem *ducentis aureis numis* mulctatum dimisit, sanum jam, & ὀρέξει tam alacri, ut fabis etiam & vulgaribus oleribus vesci posset, cum prius delicatissima quæque respueret. Bellum facinus in eum, qui non esuriendo cibum, sed satur esuriem, quærebat. *Vlrici Hutteni*, Equitis Franci doctissimi, in hanc ventris ingluviem & gulæ oblectamenta, olim dictam querimoniam non possum non Auditorio hic repetere: ne si meis verbis rem eandem arguerem, alii objectorum forsitan vitiorum & criminum conscientia convicti, ab invidia & calumnia in nos maledicentiæ arma mutuentur. *Avi mei Laurentii Hutteni*, inquit, *in literas referenda frugalitas, magno nobis ad gloriæ ambitum incitamento esse debet. Is, cum locuplete esset censu, ac in magnis*

Vl. Hutten. de Morbo Gallic. c. 18.

De morbo Gallic. c. 20.

magnis etiam Principum nostrorum negotiis domi pariter ac militiæ versaretur, in suam domum piper, crocum, zinziber, & id genus peregrina condimenta nunquam admisit; nec alio ipse, quam ex nostra lana vestimento uti solitus est, cum ob bene gestam rem pretiosæ illi quandoque vestes donarentur. Et majores quidem nostri, ac illi, quos adhuc vidimus pueri senes, cùm sic cœnarent, sic vestirentur, bene constitutis corporibus fuerunt, & contra famem ac sitim, frigus & æstum, per laboris patientiam induratis; nos autem hodie ad primas statim pruinas manus ac pedes contrahimus, vix incipiente hyeme triplicibus munimur pellibus, aut intra illa nos recondimus tepidaria, unde non eximus, nisi ad mediam jam æstatem, torrente & caloribus omnia adurente sole: nos, qui ut jucunditatis affectationem impleamus, venena quoque cibi vice usurpamus, cœnamus etiam transmarina tanta necessitatis opinione, ut decretum omnibus passim patribusfamilias sit, quæ hic proveniunt vendere, ut illa emantur; quibusdam redditis adeo delicatis, ut hic viventes Corsicum bibant, & ab Italis petita cibaria insumant; contra Romæ quando sunt, eo quod apud Rhenum nascitur, aut quod Neccarus gignit, vino utantur. Quæ res una locupletavit Fuccheros: qui, donec nos sic curamus corpora, soli pecunias habent in Germania, soli magnificas ædes ac speciosa ædificia. Quippe in tantum creverunt, illi voluptatis nostræ ministri; ut eorum opes ante cujuslibet ex his Principibus censum habeantur. Dii mortuis irascantur: qui hoc in Germaniam malum admiserunt primi. Rem fecerunt enim indignam Germana gravitate. Inde ea

retulimus, quæ necessario hoc vitæ genus sequuntur, innumeras scilicet morborum species: cum vix decimus quisque nunc reperiatur in Germania Nobilium, qui non aut podagra laboret, aut articulari morbo crucietur, aut hydropisi infestetur, ischiade, lepra, aut illo maxima secum mala invehente morbo Gallico divexetur. Meum sanè nimium votum est: ne unquam podagra, nunquam morbo Gallico careant, qui pipere carere non possunt: & ut aliquando misere famem ferre cogantur, qui nunc undiq; non cibum quo vivant, sed quibus gulam irritent ac appetitum invitent, illecebras quærunt. Et quidem *Austriaci* sic excesserunt gulæ modum, ut ab aliis convitio nominentur *Paschales*:

Paschaler.

Austriacos fertur Paschales *nomine dici;*
Paschata quod celebrent semper, jejunia nunquam.

In hac *Suevia* quoque nullæ sunt esuriales feriæ, gula semper in conficiundis & expugnandis popinæ ferculis occupata. Et videtur malum hoc esse inveteratum, nec unius seculi. Iam olim enim *Domina quædam Pfullendorffensis arcem & oppidum abligurivisse fertur meris trutatum jocinoribus.* Et quidam *Werdenbergensis Comes libis dulciariis,* (lebetas vocat F. Faber, Lebkuchen) quæ accipieebat ab Vlmensibus, *Albeccensem Comitatum insumpsisse scribitur.* Et quo non impellit luxuria? *Berchtoldus V* Dux *Zæringensis* carnium humanarum ita fuit avidus, *ut etiam servos suos occidi, & sibi coqui mandaverit.* Atqui EBRIETAS videtur Germaniæ esse propria: nisi quod magna hæc regio multas alias nationes & gentes quodam veluti

Crus. Ann. p 2. l 9 c 14. ex Bruschi.

Hist. Suev. l. 2. c. 4.

& l. 1. c. 12.

noxiæ

noxiæ vicinitatis afflavit contagio, & jamdudum in istam largiter bibendi disciplinam accepit. Et quidem *Belgæ*, cum universim nescirent vinum, nec quisquam ad potum iret, nisi impellente siti, quam plurimum aqua restinguebant, conqueruntur, ex Germania superiori ad se defluxisse largiorem vini usum, tanquam ab Alpibus nivem, ubi juga incaluerunt. Inde & *Angli*, gens omnium Septentrionalium antea minime bibax, ex nuperis Belgicis bellis didicerunt immodico potû se proluere, & saluti propinando suam adfligere salutem, malo ebrietatis per universum regnum tanta contumacia grassante, ut illud legum severitate cohibere nostro tempore primum fuerit necesse. Verum enimvero in *Germania* nullum vitium regnat latius & potentius. *Nemo censetur bellicosus, nisi sit & ebriosus.* Nemo stomachi sui novit mensuram. Plerique plus sæpe ingerunt sibi, quam capiunt: imo gloria est, capere multum: quasi non alio fine, quam ad perdenda vina cerevisiamque sint geniti; & tanquam hæc effundi non possint, nisi per humanum corpus. Piperatum panem & alia quædam salsiuscula inexpugnabilem sitim acuentia, comedunt strenui potores, quo fiat molestus ardor: quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Multi sunt, qui nisi collegia compotationum quotidie frequentent, & inter vini tormenta novas fraternitates amicitiasque veteribus jungant; nisi redeuntem jentaculi cibum ructibus prænuncient, nisi vinum omne vomitu re-

C. Scriban. in Antuerpia, c. 10.

Camden. in Ann. Angl. ad A.C. 1581.

Cuspin. in Const. VIII.

metiantur, & odore turpissimo inficiant locum; nisi in eadem urbe facti antipodes, sordidissimo funere in vicinos lectulos efferantur; parum hilariter bibisse se putant. Nec viri tantummodo potatores sunt strenui: sunt enim aliquando & fœminæ non minus vinosæ: sed stupenda penitus fuit illa trium sororum Suev-Hallensium compotatio; de qua in Chronico M^scr. sic lego: A. C. 1532. Nach S. Ioann. Baptistæ Tag seynd gläublich drey Weiber (so Schwestern geheissen / die Fridrichen von Eltershoven bürtig.) von Hall gehn unter Münckhen kommen in deß Mühl-Michels Hauß / darinnen deß besten Weins zu der Cost außgetruncken xxxii Maß/ darnach die Zech bezalt / und dannoch fein gerühig vor Nacht wider gehn Hall gangen. Quid? quod etiam *præmia* interdum proponuntur largiter bibentibus. *Helius Eobanus* Hessus poeta & potor æque insignis, quippe qui utrinque hoc fuerat consecutus, ut de palma contendere cum eo vellet nemo. Is vero aderat forte in convivio: cui etiam intererat quidam alius potor gloriosus, qui jubebat introferri ad mensam vas grande ligneum, quo adportari de puteis aqua solet, minimum duorum congiorum capax. Ista situla sive urna in medio posita, atque Gedanensi cerevisia (qualis cerebro fumis suis infestior est, quam vini cujuscunque ingurgitatio.) repleta; tum præfatur alter, comperisse se de strenua potatione Eobani, petere, ut ebiberet illud appositum vas, sibique propinaret: quod si fecerit, præmium se jam ei tribue-

G. Widmã in d Schw. Hallischen Chr.

Mel. Adam. in vita Eobani

buere annulum cum gemma pretiosa, quem de digito detractum statim in vas illud abjiciebat. Eobanus nihil cunctatus, neque multa locutus (non enim solebat.) arripit vas, & non magno temporis tractu ductibus tamen magnis evacuat bibendo: & mox cum more compotantium everteret illud, decideretque annulus in mensam, applaudere Eobano omnes, & inprimis provocator, facto poetæ prius incredibili in stuporem datus, & annulum donare. Atqui Eobanus torviore vultu, uti consueverat in commotione, eum intuitus; *Quid tu*, inquit, *me mercede potare censes?* ac rejecto ad illum annulo; *Tuum*, inquit, *annulum tibi habeto, & idem, quod ego feci in vase isto evacuando, ut promisisti, facito.* Sed ostentator ille inchoatam rem cum perficere non posset, ab omnibus derisus, & in convivio obrutus somno relictus fuit. Ne tamen quis putet, solum Eobanum tanquam poetam sic fuisse bibendo immodicum; dabo alios, præ quibus bibax poetarum natio sobria esse, & Eobanus parum sitivisse ac hausisse videatur. Ante annos enim aliquot in Nariscis nuptiæ fuerunt viri Nobilis: ibi ad convivas hilarandos certamen potionis propositum editumque inter eorum ministros, bibones plerosque exercitatissimos: sed unus fortiaulus *paulo minus sex congiis (octodecim pocula*, achtzehen Maß*)* paucis horis ebibit, & simul præmium meruit. Sed & hoc quoque Nariscorum factum vilescere potest præ illo, quod *duo equites Iuliacenses* Reitlingæ patrabant: cum

Camerario Cent. 1. c. 94. Lips. in Epistol.

indicto potandi duello & sponsione facta, qua victus victori decem florenos solvere tenebatur, *alter hauserit congios novem, sive nostras mensuras XXVII, & alter congios fere octo, sive nostras mensuras XXIII.* Sic enim in codice quodam manuscripto, qui Suevicas res istius ætatis maxime notabiles continet, legi: **Anno 1551. lagen 400. Gülchische Reitter zu Reitlingen / darunter zween mit einander umb ein Wett 10. fl. getruncken: Da der Eine 27. der Ander 23. Maß gesoffen.** Et parum abest, quin propediem habeamus *Alexandros*, qui talenti præmia solvant iis, qui pocula vini ampliora siccent: sicuti in ejusmodi certamine quadraginta, effusis visceribus, propemodum spectante Alexandro, olim crepuerunt ac perierunt. Quare *Vlricus de Nova Domo* Bohemus, liberis suis, vixdum a lacte depulsis, Creticum, Tergestinum, & Traminium, generosissima vina dari jussit, ut postea hoc securius leviora bibere, & potando minus vinci possent. *Henricus* autem *Goritiæ Comes*, cum filios suos, dum intra pueritiæ annos erant, apud se haberet in thalamo suo, eos inter dormiendum media nocte sæpius vocare, & *An sitirent?* interrogare solebat; quibus somno sepultis & tacentibus ipse surgens vinum ingerebat; illisque recusantibus ac evomentibus vinum, interpellans uxorem, *Ex alio*, ajebat, *concepisti meretrix. neque enim filii mei sunt, qui noctem integram nil sitientes dormiunt.* DEUS bone! quid non designat ebrietas? quod scelus & vitium est, quod non secum

Bod. de Re. l. 4. c. 6.

Æn. Silv. Alfons. Paral. l. 1. c. 41.

ſecum ducat illa venefica? Turbatio capitis, ſubverſio ſenſuum, ignominioſus languor corporis, tempeſtas linguæ, naufragium caſtitatis, blaſphemiæ, latrocinia, honoris & vitæ læſio aut diminutio: hæc omnia ſunt in ebrietatis ſatellitio. Illudunt nobis Itali, & ſunt in eam rem verſus non invenuſti:

Germani poſſunt cunctos tolerare labores:
O utinam poſſent tam bene ferre ſitim!

Galli etiam in noſtram pronunciationem nimis aſperam dicterium a temulentia noſtra petierunt; *Per theum ferum nobis pibimus ponum finum.* Quinetiam Rex Galliæ *Henricus IV*, paulo ante mortem quoddam ſacellum Lutetiæ nuper perluſtrans, quod quidam ex Baſſompetræ familia extruxerat, animadverſo iſto ſymbolo; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* dixit, Baſſompetram, tanquam Germanum, addere debuiſſe, *Calicem accipiam.* Sed quaſcunque illuſiones, quæcunque ſcommata, vini amor negligit; & ſurdas aures obvertit. Immo nefaria perpotandi conſuetudo multoties Conſtitutionibus Imperii ſevero inhibita eſt, & Principibus atque Ordinibus Imperii graviter injunctum, ut calicum remiges fugiant, aulis ſuis exturbent, puniant; & exemplo ſuo aliis obſequii facilitatem demonſtrent: tamen ſanctiſſimæ illæ leges apud ebrioſam gentem non plus vigoris habuerunt, quam nix in tectis adverſus rectos ſolis radios: quin in cunis, ſeu cum naſcerentur in ipſis comitiis plerumque ſunt contrariis factis oppreſſæ. Et quemadmodum

Bod. de Re. & in M. H.

P. Matth. in Hiſt. mortis Hen. IV.

Reichs Abſchid. Ann. 1500. A. 1512. An. 1530. A. 1548. A. 1577.

dum Suevi & Helvetii plerique suam indecoram vestium formam pertinacissime retinent, qua illas corporis partes, quas honestas jubet occultas esse, obscœnis priaporum simulacris, sive, ut vocant *Laziis*, veluti femoralium præsidibus, gloriosule exprimunt, & oculorum pudicitiam tentant: sic tota Germania hæreditariam illam ebrietatis pestem constanter servat, amat etiam, atque colit. Nemo tamen Imperatore *Wenceslao* amavit & coluit dementius: & spero, sic amabit & colet hominum nemo. Is inter purpuratos suos crebro sermone usurpabat: *Ego, si me diripiendis urbibus Italiæ fors præsentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impertiar: vini tantum apud me spolia reservabo. si quis autem in cellam vinariam injussu meo fuerit ingressus, gladio ferietur.* Ille etiam vecors & iners, de fastigio Imperiali dejectus, deficientibus passim Ordinibus, cum Norimbergenses religionem fidei datæ veriti ab eo solutionem juramenti peterent, & XX millia numûm offerrent; homo Esrius auditis legatis liberos Norimbergenses dicit, *si currus quatuor Baccharacensi vino onustos tradant.* Suspicor autem, & fere credo, ebrietatis vitium, non tam a natura Germanorum, quam magistratuum avaritia vires hactenus accepisse. Sicuti enim Judæi alicubi receptantur, tantum ut fortunis & sanguine Christianorum pasti rursus emungantur argento: ita ebrietati indulgetur, ut vini atque cerevisiæ vectigal pœnarumque lucrum tanto sit majus. Verum iterum ad manticam nostram. Etiam

Schwäbische Lätz.

Æn. Silvio Alfons. Par. l. 2. c. 15.

M. Hafenreff. in T. Ezech. p. 313. N. Hencl. Sil. c. 5.

Etiam *Militaris Gloria*, Auditores, nos deserit: undique fere contemnimur. Et scripsêre Rhodienses Imp. Friderico IV, atque Electorum Collegio; Turcicum Imperatorem, cum consiliarii & duces ei autores essent, ne Christianos, imprimis Germanos armis lacesseret, respondisse; se nequaquam Christianorum, præsertim vero Germanorum arma exhorrescere, & quidem quatuor de causis: *quia sint discordes, & quemadmodum sui quinque digiti, ita illi nunquam in unum coalescant: quia laborum sint impatientes; & præ aliis Germani sint helluones, potatores, qui in castris scortorum turbam foveant, ducesq; belli plumis potius, quam armis militaribus gaudeant: quia temere cæco impetu, citra ordinem ad res gerendas ruant: quia legum & justitiæ sint negligentes, nullos virtutum præmiis ornent, nec etiam meritis pœnis scelera afficiant; atque erga eos, qui veniam & misericordiam mereantur, sint asperi & crudeles, erga alios lenes & misericordes.* Quid vero Turca hic dixit, quod probationem & testimonia requirat? Nonne rerum gestarum meridies nos omnium illorum peccatorum reos facit? Milites enim nostri venales sunt animæ, qui Principibus ad animi libidinem plerunque bellum gerentibus operam suam fœda nundinatione addicunt, & sicuti olim gladiatores, quasi ad necem turpi pretio se auctorari patiuntur. Ita cuivis stipendia numeranti militant; & militant sæpe contrariis in exercitibus: paucula pecunia inescati quaquaversum cum suis uxoribus aut concubinis, (parum observantes Fridericanæ legis istius: *Non*

Camerarius Cent. 1. c. 15.

Th. H. l. 6r. Cl. Coteræ de j. mil. l. 1. c. 35.

Gũt Ligurin. l. 7. & ibi Rittershus. Radevic. de Frid. l. 1. c. 26 & Lips. de Mil. R. lib. 5. dial. 18.

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris;
qui reus extiterit, spoliis nudatus abibit
turpiter; & naso mutilabitur illa resecto)

quas in ferundis impedimentis mularum loco habent, ad diribitorium contendunt. Omnia hæc leviter: sed illam levitatem plerunq; comitantur disciplinæ conculcatio, avaræ direptiones, sævitia & perfidia, in patronos, socios, hospites, amicos; signorum desertio, fuga, clades. Ac si uspiam petulantia Germanorum militum nota & abominationi est, in Hungaria est vel maxime; ubi quiritantur acceptorum damnorum nondum obliti Hungari, Germanos toties tam in castris, quam per stationes ex præda victitando amœnissimarum regionum vicos, vexatis & direptis agricolarum fortunis pervastasse atrociter, adeoque ex militibus immanissimos latrones effectos, miserorum hospitum pecora, quibus se & parvos liberos sustentare, variaque onera ad publicas privatasque necessitates obire soliti erant, non quotidiana duntaxat ingluvie mactata vorasse, sed rapta & in longinquas terras abacta divendere consuevisse; reconditas quoque cellis penuariis fruges & vina, & quicquid esset ejus generis obsonii, faucibus complorantium crudeliter extorsisse; desectas vero tempore messis & in acervos compositas ad promiscuos suos equorumque usus abususque prodige exposuisse: fretos item nimia impunitate miseris hominibus, si qui facultatum suarum rapinis prohibendis paulo contentiosius restitissent, impias & crudeles

Thuan. H. l. 19. 29. 30. 34.

les manus intulisse: nec ea, quam obtinebant, regione contentos in remotas etiam partes sæviendo, & abstrusissima quæque perscrutando rapiendoque truculentissime grassatos; postremo segniter imperata facientibus, nisi notabilis tributi pecunia se se & pauculas substantiæ reliquias redemissent, omnem cædis & incendiorum cladem denunciare atque inferre non dubitasse: atque adeo uno ejusmodi grassantium agmine discedente, alios æque crudeles & flagitiosos nullo miseriarum fine successisse. Quin & eo usque diritatem maleficiorum progressam esse, ut & foedum illum excoriandorum cadaverum hostilium, in apertis visceribus aurum truculenta cupidine quærentes, morem introduxerint: cujus rei nomine Germanos apud Turcas hodieque male audire, in obscuro non est. Quibus nefandorum scelerum irritamentis DEUM gravissime offendi, pia mens dubitare non habet; imo in altiorem cœlestium oraculorum contemplationem defixa, humiliter adgnoscit sanctissimi Numinis justitiam, quod propterea toties exercitibus Germanicis prosperos successus dare noluerit; nec daturum deinceps sit, nisi gloriosi nominis & summæ pietatis imperatores ducesque exoriantur, qui justa bella gerant, & qui revocata veteris incorruptæque militiæ disciplina, & horrendis militum flagitiis severe coercitis, miseram innoxiamque plebem, immunem ab injuria, indemnemque conservent, qui avaritia atque ambitione procul habitis, ad solius Dei ho-

norem & Reipub. ſalutem, omnia conſilia, arma, vires, pugnas, victorias referant, diſponant, moderentur. Atqui illi, Hungaris tam deteſtabiles, ſunt mercenariæ atque inordinatæ militiæ fructus. Prudenter itaque & pie *Frater Nicolaus* (hic uxore, ex qua decem liberos genuerat, relicta, in Vndervvaldina ſilva cellulam tres paſſus longam, ſeſquipaſſum latam, ad menſuram corporis ſui altam ædificaverat: in ea vivebat fere aere tantum) & *Huld. Zuinglius* fecêre: qui populares ſuos a venali & mercenaria militia, atque ſtipendiis externorum Principum dehortati, & ad mores majorum imitandos adhortati ſunt. Et Galli ipſi teſtantur, confœderationem Helvetiorum cum Rege Galliarum magis commercium, quam amicitiam ſapere: cum illi fœdera ſua argentea tantum privatæ utilitatis ulna admetiantur. Sed & extra illas cauſas fortitudo Germaniæ jamdudum ceſſim ire cæpit. Quoties enim noſtri pulſi, fugati, & cæſi ſunt a cæco *Ziſca* Bohemo? Non Francorum, non Saxonum, non Bojorum, non Suevorum, non Auſtriacorum, non totius Germaniæ vires, illius virtutem æquare poterant. Et ut ſui terrorem etiam ultra vitæ periodum extenderet; morti proximus hoc conſilium Thaboritis dedit: *Poſtquam,* inquit, *animus a me fugerit, excoriate corpus meum, & carnes date volucribus: ex corio vero tympanum facite, atque hoc in prælio ducem habete. nam ubicunque locorum Teutones ſonum ejus audierint, mox terga dabunt, Ziſcam in tympano reformidantes.*

Crus. Ann. p. 3. l. 8. c. 16. Simler. de Rep. Helv. l. 1.

P. Matth. in Hiſt. H. IV. l. 5. n. 6.

Cuſpin. in Sigiſm.

Æn. Silv. Epiſt. 130. & in H. Bojē. c. 46. Dubrav. Bojē. H. l. 26.

Vide-

Videtur, Auditores, Zisca nostros Germanos non in virorum, sed galeatorum leporum habuisse numero, quos ita corii sui crepitaculo terrere voluerit. Aut num forte tunc cuncti Germani *Austriacis* fuêre similes; quos *terrore plenos & leporino corde præditos*, scripsit Æneas Silvius? *Suevis* quidem ob veterem belli gloriam hoc prærogativæ olim concessum est, ut in bellicis expeditionibus ipsi primos ordines ducerent, & primi hostem adorirentur. nam, ut Gotfridus Viterbiensis dicit, Epist. 130. Bebel. in laudib. Suevor. Lehm. Ch. Spir. l. 5. c. 29. G. de Roo, Ann. Aust. l. 3.

Iudicio cœli dominantur in orbe Suevi, &c.
Nunc ubicunque geri Respublica prælia quærit:
ordine primus erit, gladio vult primus haberi,
moreque signiferi primus in hoste ferit.

Num vero primatus Suevorum non in cædendo, sed cedendo; non in feriendo, sed feriando; non in fugando, sed fugiendo tunc fuit? Suevus autem ille, qui in Hardensi pugna, qua Helvetii quadringenti cum decem millibus Cæsarianorum congressi, eorum ad quinque millia occiderant, fuga salutem quærens sub tecto se occultavit, Ziscano tympano omnino dignus fuisset. Hic enim protractus, ad pedes Helvetiorum accidit, & *Ah proba vaccina ora*, Ihr frommme Kühmäuler/ inquit, *parcite mihi per* DEUM. Illis autem ad hanc appellationem mussitantibus, atque convitium interpretantibus, DEUM testabatur Suevus, nunquam audivisse se aliter illos appellari, quam *vaccina ora*. quæ simplicitas audientium cachinnis excepta, ipsi supplici libertatem abeundi Crus. Ann. p. 3. l. 9. c. 9.

tes liberiorem aerem ferre vix possint. Non credo, esse regionem sub cælo, quæ Nobilitatis sit fertilior, præsertim si cultura *Chrysostomo* alicui sit commissa: adeo ut etiam alibi fex hominum, & nonnunquam rejiculi vanissimique, Austriaco assueti cœlo mox (dicam cum verbi periculo) *Nobilituriant*, & sumpta illa amplitudinis ac dignationis larva interdum ad procerum usq; fortunam & culmen ambitiosissime grassentur. Et quid obstat, quo minus etiam rustici illic propediem in Nobilium censum referantur? O confusionem! O honorum profanationem! Dies me deficeret, Auditores, si denarrarem Austriæ Ordinum certamina, quæ vertuntur ibi vel inter Barones ipsos in subtilibus distinctiunculis, *Dominorum, & Liberorum Dominorum*; cum horum cottidie succrescens copia & novitatis vilitas conditionem nonnihil mutet in deterius: vel inter *Barones*, ac *Nobiles*; cum illi *titulum Gratiosi* (Gnadentitel. vanitatem disputationis non satis capit Latina lingua; & ad ceremoniarum magistrum sit eundum, qui ista ambitionis novos semper titulos parturientis arcana explicet.) ab istis veluti inferioribus postulent; isti autem hanc submissionem negent, & non tantum consuetudinem citent contrariam, verum etiam indignum arbitrentur, virum Nobilem, præsertim majorum imaginibus clarum, Baroni, vel cognatione & adfinitate sibi juncto, vel nupero & empto diplomate duntaxat magno, tam humilem cultum exhibere. Veruntamen illud novorum

hominum mercimonium interior & reliqua fere omnis Germania vilipendit, & requirit natales Nobilitatis ſplendidiores.

Nobilitas pretium Virtutem habet unicum, & unum:
Eſt pretioſa minus, quæ pretioſa nimis.

Rurſus manticæ noſtræ inhio, Auditores: & deprehendo adfectum in *Literas* quoque non prorſus benevolum. Ante centum annos, & paulo amplius, *pro monſtro habebatur Magiſter, vel Baccalarius; & inter mille clericos non reperiebatur unus, qui ſaltem vidiſſet Vniverſitatis alicujus locum.* Et adhuc Philippi Melanchthonis ætate, in Septentrionali & maritima Germania Juriſconſultum reperiri, miraculum fuit. Etiam inclytos majores tuos, excelſiſſime *Præſes*, a Muſarum conſuetudine abſtraxit barbara familiarium & procerum ignorantia: cum *Eberhardo Würtembergiæ Duci I* aulici morum præfecti Linguæ Latinæ ſtudium permittere nollent, & dicerent, *Maternam ei Linguam ſufficere*: & *Vlrico* Optimates Ducatus ἄμουσοι oggannirent, *Satis eſſe, ſi ſciat Germanice ſcribere & legere, ac præeſſe ditioni ex veteribus legibus & Alemannicis inſtitutis.* Quamvis autem poſtea literarum culturæ fere in omnibus Germaniæ locis meliora ingenia ſeſe conſecrarint, & certamen fere ſit inter omnes enatum, quinam plus conferre operæ & diligentiæ poſſint: tamen obſervatum eſt, ut facilitas quædam inſita ad doctrinam nunquam defuerit, at defuiſſe noſtris acre & politum judicium, quod Italis eſt quaſi peculiare, & populis iis, qui pertinent ad Meridiem

Faber Hiſt. Suev. l. 1. c. 8.

Fr. Tilemã. de hiſt. del.

Cruſ. Ann. p. 3. l. 7. c. 9.

Lib. 8. c. 21.

Lipſ. Epiſt. Q. l. 5. Ep. 12.

diem & Ortum. Et quem hodie paulo videas literatiorem, imo quem literatorem, (quod & in Gallis ſuis graviter vituperat Johannes Paſſeratius, vir eruditiſſimus) qui non libros parturiat amplos, tumidos, & omnium etiam maxime diverſorum argumentorum congerie prægnantes? quibus ſi abſurda detraxeris & expunxeris aliena; parum ſucci & genuini ſanguinis relinquetur. Scilicet ut echo aut pſittacus aliorum tantum voces accipit redditque, neque quidquam ulterius ſuo ingenio loqui poteſt: ita illa ſcripturiens turba aliena ſolum garrit, ſcribitque, aliquid autem amplius atque exactius aut facere aut velle vix poteſt. Itaque Caligulam facem alioqui & Phaethontem Orbis terrarum, non poſſum in eo non laudare, quod id genus *Aquinos*, *Caſios*, *Voluſios*, ſpongia linguave delere ſcripta ſua jubebat, & interdum ſcripta ipſa ferulis objurgari, aut in profluentem abjici mergique imperabat. Nullus enim illis ſcriptorum quiſquiliis neque modus, neque modeſtia: vix natum hoc examen evolat, nequitque ſuis alvearibus contineri. Quin hinc inde cernere eſt, ſic inepte, ſic intempeſtive Suffenos, qui, cum ne barbare quidem ſua pluſquam febrilia ſomnia, & nuſpiam audita peregrinæ ſapientiæ præcepta, eloqui poſſint, ſcriptitant tamen, atque celebrem nominis infamiam magnis conatibus ambiunt quæruntque; ſubinde arrogantiſſimo ſupercilio eo uſque elati, ut, ſicubi paulo forte concinnius dictiones phraſeſque contexere, & quaſi vermiculato emblemate periodos

Giphanius præf ad Ritersh. Part. Feudal.

Paſſeratius Præf. in Cic. Or. pro Cæcinna.

Fr. Cornel. Curtius de Clavis Domi. in præf.

exornare didicerint, adeoque ſpumeam tumentium verborum procellam ingenti ſpiritu eructare poſſint, ſtatim credant, interituram Rempublicam literariam, niſi novi illi Atlantes giganteos humeros ſupponant, & lapſabundam Minervæ ædem verboſo aggere fulciant ſuſtententque. Vt corpore puſilli veſte ſe dilatant; ita illi ſapientiæ inopes, verborum & ſententiarum inanibus ſe diffundunt. Et quemadmodum vulgo videmus tenuiſſimum quemque de plebe abundare liberis, qui adjuncta ad paternam egeſtatem inertia oſtiatim mendicantes annonam reddunt cariorem: ſic certi homines in ſumma tenuitate ingenii longe plurimos deformes animi fœtus edunt, quos cum fovere & educare domi non poſſint, Typographis tradunt, a quibus excepti magno chartæ diſpendio per varias ditiones dimittuntur; ubique proſtant, prætereuntibus paſſim obtruduntur, nec ulli fere aliarum mercium præcones exaudiuntur; melioribus interim & primæ claſſis autoribus carie ſituque ſqualentibus, & quaſi ad tineas blattaſque damnatis. Scilicet ut in ſagitta mittenda non minus aberrat, qui citra ſcopum, quam qui ultra jaculatur: ſic in ſcribendo quiſquis pauciora, quam pro re, aut plura dicit; aut nec ad rem dicit. Sed nuſquam major gliſcit literarum intemperantia, quam apud *Graduum inſtitores*; qui pueros etiam admittunt ad ſeria, & nucum putamina miſcent cum *laureis baccis*, & *Magiſterio*: titulorum pretiis doctrinam (quæ ſæpe nulla, aut per eſt rara) emptorum

Lipſ. Inſt. Epiſt. c. 7.

rum non raro enormiter & immane quantum vincentibus. Addo etiam *Poetas*: quorum ingens est copia, ut apum; & plus eorum in Germania, quam muscarum in Armenia. *Multi jam laurigeri, sed pauci Phœbi*: & facilius quis *Poeta Laureatus* hodie fieri possit, quam sartor, aut nescio quis fartor: ut parum absit, quin *Laurus* olim insigne & nota bonorum Poetarum, hodie degeneret in signum malorum Poetarum; & *non-Laureatus* Poeta habeatur melior *Laureato*. Aliud ex alio, Auditores, occurrit mihi: sed quia mantica nostra est plenior, quam ut hoc tempore omnino excuti possit; faciam, compendio quidem orationis meæ, sed damno voluntatis, quod huic loco maxime congruit: & omnibus aliis supersessis, tantum de *Bombardis* & *Typographia*, inventione, ut tua, Princeps *Francisce Carole*, est opinio, Germanorum, aliquid dicam. Et, ut *Typographiæ* operæ ubivis locorum fervent, ambiguo tamen beneficio, cum illa non minus ad perniciem, quam utilitatem mortalibus ancilletur: ita quoque & *Bombarda* minimum, imo nihil laudis habent; cum vix homo nominari possit, qui ferale illud tormentorum genus ad exitium hominum excogitavit: dignus, qui, ut Perillus taurum æneum, ita ipsemet tormenti a se inventi vim in corpore suo experiri debuisset.

Taubman. de L. Lat.

O maledetto, o abominoso ordigno:
che fabricato nel Tartareo fondo
fosti, per man di Belzebu maligno,
che roinar per te disegnò il mondo.

Salmuth. ad Pancirol. de Tormĕt. Lud. Ariostus in Orlando.

Lipſ. de Mil. Rom l. 5. c. 20. Etſi quidam militiæ periti exiſtimant, in pugna plus tormenta illa parere ſtrepitus, quam utilitatis: nec ſine cauſa *ignavorum terrorem* Hiſpanis ea nuncupari. Reid. Ann. lib. 9. Certe fatendum eſt, ſi terrea mœnia & propugnacula miles defendat, qui vires & uſum eorum recta æſtimatione metiri, & ad omnes caſus provide occurrere didicerit, plus in ligone ſpei, quam tormentis ſitum eſſe. Et *Iulianus* Caroli Cæſaris, atque etiam Philippi filii præfectus peditum, Duci Sabaudiæ confeſſus eſt; I. Sturm. in 3. Orat. de bello adv. Turc. Cam. Cēt. 2. c. 29. ſe ſæpe ad ſpeciem ſolere uti ſclopetariis, non ad neceſſitatem: ſed poſt primum impetum aciem hoſtium ſubire celeriter, & abjectis fulminalibus, gladiis parare victoriam; neque unquam hac ratione fruſtra pugnaviſſe. Id ipſum *Henricus IV.* Galliarum Rex in conflictibus acerrimis ſæpius expertus eſt feliciter, & gladiis celeberrimas adverſus pugnaciſſimos hoſtes victorias conſecutus eſt. Verum ſunto utraque, *Bombardæ & Typographia*, opera omnium nobiliſſima, utiliſſima, perfectiſſima. Quid tamen hæc ad Germanos? Quid alienam laudem criſtis noſtris aptamus? Non enim, optime Princeps FRANCISCE CAROLE, *Bombardas* aut *Typographiam* nos invenimus: *Chinenſes* ſunt, qui invenerunt; & hæc gloria illorum eſt propria. Quod ne ſtudio arrodendi aſſertionem tuam dixiſſe videar; audi, quid ſentiant alii. *Io. Petri Maffeji*, in Hiſtoria lib. 6. Indica verba hæc ſunt: *Ænea tormenta conflare, literas imagineſque ſubjectis prælo typis excudere (quibus commentis Europa recentibus adeo gloriatur)*

vetu-

vetustissimo in usu apud Sinas esse compertum est. accedit ad artificium tormentorum, quod ex iis quædam solutilia faciunt, perque partes imposita bajulis aut jumentis, quocunque opus est, sine vectatione circumferunt. ad scribendum autem arctas & oblongas adhibent e levi admodum ac tenui papyro pagellas: neque versus ab læva ad dextram, ut Græci; neque ab dextera ad lævam ut Hebræi, sed ad imum ab summo perducunt. cujus generis impressum volumen, atque inde transmissum, Romæ in Vaticano, itemque in Laurentiana Philippi Regis bibliotheca videre me memini. Io. Boterus autem in Chinæ descriptione scribit ita: *Sono più di mille anni, che i Chinesi usano la stampa.* id est: *Anni mille sunt, & amplius, ex quo Chinenses Typographia utuntur.* Et *Paulus Iovius* in Historia hæc verba posuit: *Maxime mirandum videtur, apud Sinas esse typographos artifices, qui libros, historias, & sacrorum ceremonias, more nostro imprimant, quorum longissima folia introrsus quadrata serie complicentur. cujus generis volumen a rege Lusitaniæ cum elephante dono missum Leo Pontifex humaniter nobis ostendit; ut hinc facile credamus, ejus artis exempla, antequam Lusitani in Indiam penetrarint, per Scythas & Moscos ad incomparabile literarum præsidium ad nos pervenisse.* Et in hanc sententiam concedunt alii plures: qua primaria Germaniæ ab inventionum acumine & felicitate desumpta laus penitus evanescit. Quare ut suprema cum extremis connectam: quia id manticæ, quod in tergo gestamus, tot tantisque vitiis est fartum, ut quantæcunque lib. 14.


virtutum moli umbram facere possit: censeo, Germaniæ decerni principatum nondum posse; sed ob veterem Romanæ majestatis honorem, & hodiernam Pontificiæ dignitatis apud multos Reges, Principes, & Respublicas amplitudinem, tutius Italiæ tribui posse.

PRINCEPS

FRIDERICVS ACHILLES, &c.

DICTV

NICOLAE BVWINCKHAVSEN.



ORA-

ORATIO NICOLAI BVWINCKHAVSEN von Walmerod / Pro GERMANIA.



Actenus, optime maxime Princeps, in hoc illustrissimo consessu bene multi quidem dixêre: sed plerique contrariis adfectibus excitati, tanta contentione in sensuum divortia abierunt, ut hæream anceps, an in ullo Consistorio unquam a singulis Senatoribus in tam discrepantes opiniones fuerit itum. Video, non paucos, dum aliquam Europæ provinciam deprædicare, & laudum buccina cœlo inferre conati sunt; in aliarum vitiis denarrandis, non raro singulorum hominum peccata universis, aut communia singulis adscribendo vehementer negotiosos fuisse. Mea sententia, parum juste. Ad conditionem enim rerum humanarum respiciendum est, ut omnium accidentium æqui judices simus. Iniquus autem est, qui ex unius hominis singulari vel

arg. l. 3. 4. 5. 6. ff. de leg.

vel virtute, vel vitio peculiari, de tota gente judicium fert: & imprudens est, qui in uno fœdum judicat, quod genti suæ publicum est. Omnes sumus incerti, queruli, ambitiosi. & quid lenioribus verbis hulcus publicum abscondo? *Omnes mali sumus.* Quicquid in alio populo reprehenditur, id unusquisque domi, & forte in sinu suo inveniet.

Sen. l. 3. de Ira, c. 26.

Taubman. sacror. l. 1.

Crescit amor sceleris, quantum decrescit hic orbis.
Ecquando uberior nebulonum copia? quando
major avaritiæ patuit sinus? Omnia numi-
basius iste triparcus habet; vel habere laborans
usura socios & fœneris ære trucidat.
Quando voracior ætas, quando bibacior unquam
scribitur in terris, quæ sunt a Gadibus usque
auroram & Gangem? ecquando protervius iste
ant-amor, impuræ Veneris impura propago,
cum mœchis solita est, castosque impœdiit hortos?
Nil solidum crepat humano sub pectore: nemo est,
quod simulat. picta passim tectoria linguæ:
personata fides: frons spem facit obvia: mellis
os dulcore litum est, sed fellis acore cor intus, &c.
Quem mihi flagitio contentum ostenderis uno?
Cum scelus admittunt, superest constantia vultus.

Quemadmodum igitur omnia animalia plumas aut pilos habentia infestantur pediculis; præter asinos & boves, qui sunt immunes: sic nulla natio vitiis omnino caret, nisi sit plane asinina & bovina, in quam nec boni nec mali vis aliquid possit. Et ut nullum magnum sine venia placuit ingenium: sic nullus unquam populus, Respublica

Plin. H. N. l. 11. c. 3.

blica

blica, aut Imperium, ſine mixtura fuit dementiæ. Perpetua in rerum natura, & hominum moribus, eſt quædam quaſi mellis & fellis conjugatio. *ubi uber, ibi tuber. Caſp. Schlickium* in ſimulatores & hypocritas contumelioſe multa loquentem, & affirmantem, abiturum ſe ſe aliquando in loca, quæ illis hominum monſtris vacua eſſent; ſapienter coarguit Imp. *Fridericus IV: Vltra Sauromatas ergo, inquit, & glacialem Oceanum tibi eundum eſt. ſed cum eo veneris, non omnino carebit hypocriſi locus: ſi modo & tu homo, non* DEUS *es. Inter mortales enim nemo eſt, qui non ex aliqua parte fictus fucatúſque ſit.* & VITIA ERUNT, dixit Cerialis, DONEC HOMINES. Quare, ne dum vitia odimus, etiam homines oderimus; fragilitatis humanæ & noſtri memores, aliorum errores ne petulanter exagitemus: dum inter homines ſumus, mutuæ facilitatis conventione humanitatem colamus: non timori cuiquam, non periculo ſimus: detrimenta, injurias, convitia, vellicationes contemnamus, & magno animo brevia feramus incommoda. vix reſpicimus, quod ajunt, verſamuſque nos; jam adeſt MORTALITAS. Cæterum in nationes aliquot (terrarum enim bona malave a nationum commendatione aut vituperio ſegrego: cum & equo, ſi virtutibus ſuis polleat, ſit vector æquabilis, & curſor pernix, nemo penuriam pabuli exprobret; ſin calcitroſus, ceſpitator, mordax, ſternax, ſtatarius; nemo pabuli abundantiam laudi adſcribat) nimis acerbe & hoſtiliter dictum fuiſſe, prolixe & or-

Æn. Silvius Paral. Alf. l. 1. c. 38.

Tacit. Hiſt. lib. 4.

Sen. l. 3. de Ira, c. 43.

& ordine demonstrare nunc possem, si vacaret; & orationi meæ neque hic dies totus, neq; proximus, neque porro cæteri plures satis forent: sed quoniam tot dies jam abstulit hæc Consultatio, ut religio mihi sit, benignissimum hoc Auditorium longis sermonum tractibus delassare amplius; me ipsum, quod decoro est propius, potius dicendi brevitate fallam: & magis per saturam quasi paucula effundam, quam ornate & separate multa dicam. In GALLOS gravissima fuit accusatio, & illi oratione tua, illustrissime Princeps RUDOLPHE MAXIMILIANE, Furiis omnino cesserunt. Atqui jam convaluerunt Galli: quorum virtus nunquam sic deliquit, ut post quascunque regni turbas ad se non redierit major & generosior. Et da veniam libere loquenti, humanissime Dux: scatet oratio tua tota aculeis, sed quos ejaculatus es promiscue & inconsiderate; in meritos, immeritos; in sontes, insontes; ac ob alienas paucorum culpas damnasti plerosque, qui nullas commiserunt. Et ferresne tu æquo animo, Domine, si quis in uno vel altero adgnatorum tuorum notabiles aliquos observans nævos, eos ille tibi, aut illustrissimis parentibus, aut toti inclytæ Domui Saxonicæ, ad cunctorum ignominiam objecturus esset? Non faceres utique. Vides igitur, ut maxime Alençonius fuerit insignite improbus: & fuit profecto; quippe cui soror Margarita Navarræ regina hoc testimonium dederat, *Si omnis infidelitas terrarum finibus pulsa esset, fratrem Alençonium frequentes tanto-*

D'Aubigné en l'Hist.

rum scelerum colonias quaquaversum in Orbem mittere posse; non tamen in unius Alençonii flagitiis satis ponderis esse; quamobrem Valesia, aut tota Regia liligera gens dehonestanda; ita nec cæterum tuum, Princeps, criminationum apparatum tantum afferre momentum posse, cur totus nobilissimus populus Gallicus tam inepta sequela reus faciendus, nedum judicio tam cæco, tam nullo deprimendus sit. Alioquin istis tuis argumentandi formulis nemo vel integerrimorum hominum non futurus sit nullo in numero; cum nemo unus sit, qui non inter adgnatos, gentiles, popularesque habeat, quos vel prorsus nunquam habuisse habereve optet, vel certe optet alios, sanctioribus moribus, ac vitæ magis integros. Maximis itaque virtutibus præditum eum populum esse oportet; in quo vituperaturus nulla alia maledicendi argumenta inveniat, nisi quæ paucorum flagitia suppeditant, quæ tamen ipsa universi cives graviter detestantur. Honoremus, eximie Princeps, honoremus & amemus consanguineos nostros Gallo-Francos: neq; oblivioni tradamus, sanctissimum fœdus inter Imp. *Fridericum II, & Ludovicum VIII* Franciæ Regem initum, in quo antiquissimum *fraternum* nomen inter Germanos Francosque renovatum est: ut proinde de Gallis non aliter quam de fratribus nostris loqui & judicare fas sit. Quinetiam Imp. *Maximilianus I*, ut veterum injuriarum memoria prorsus deleretur, librum, qui Spiræ asservabatur, in quo omnes injuriæ ante id tempus a Galliæ Regibus

P. Æmilius l. 7. de reb. gest. Franc. Crus. Ann. p.3 l.1. c.4.

F. Gulç. H. l. 8.

gibus Imperio & Germanorum genti illatæ continebantur, cremandum mandasse ſcribitur. HISPANIÆ autem non minus horribilis dica abs te, *Georgi Friderice* Limpurgi Baro; ſcripta eſt; cum varie flexis perſuaſiunculis fidem facere ſatageres, quaſi illa eſſet plerorumque Europæ, imo Orbis totius malorum officina, &

Nido di tradimento, ove ſi cova
Quanto mal per lo mond' hoggi ſi ſpande.

Scilicet ut pictores quidam in facie exprimenda nævum facile imitantur, indolem negligunt & ipſum vultum: ſic tu nobis expreſſiſti mores Hiſpanorum. Nec ambigo, & tibi, & multis aliis, ſummam gentis illius ad faſtigium rerum adſpirantis, & omni niſu contendentis, felicitatem, varie ſuſpicandi cauſam præbere: Hiſpani tamen propterea alieno livore nec vileſcunt, nec ſunt centius minoris. Sicuti mel & ſaccarum non ideo eſt inſuave, quia ægris ſic videtur; aut vinum inſipidum, quia abſtemiis non ſapit: ſic Hiſpani non ideo improbi, quia tibi, aut aliis improbantur. Non enim Hiſpani omnes *Ducis Albani*, tyranni immaniſſimi, & veluti invita humanitate clementiaque prognati, gerunt animum: nec quibus ſceleribus quidam ſeculi patientiam excarnificarunt, iiſdem contaminantur cæteri omnes. Tametſi & Albano ſuæ quoque fuère & quidem ingentes virtutes, quas in multis magniſque belli ducibus hodie raro invenias. Erat enim in eo armorum peritia incredibilis, ſexaginta annorum ſpatio parta firmataque: atque illa gloria erat cunctis

ctis Hiſpanis major. Militavit in Italia, in Hiſpania, in Gallia, in Hungaria, in Belgio, in Africa; hoc unum ægre ferens, quod ſuis oculis cominus nullum Turcarum exercitum vidiſſet. Miraculo fuerat animi inuſitatum robur; ſingulare judicium in caſtris ponendis, quæ ille etiam hoſte procul agente Romanorum ritu ſemper vallis & aggeribus muniebat; & militaris diſciplinæ exactiſſima cura. Hinc fiebat, ut neceſſariorum nihil unquam ejus caſtris deeſſet; & illo cum copiis tranſeunte, ruſticorum nullus, maleficium veritus, fuga ſibi ac rebus ſuis conſuleret. Ad altiora munera evehebat neminem, niſi quem merita producebant; atque ea re infimi & genere per obſcuri ad Centurionum, Chiliarcharum, Legatorum Caſtrenſium (quos vulgo *Maeſtros del campo* vocitant) dignitates adſcendebant; maximo ad fortia facinora intrepide patranda incitamento. Ex quo nata illius hæc axiomata & apophthegmata: *Si, ut oportet, caſtigaris delinquentem, & præmio affeceris bene meritum; fortiſſimis caſtra tua viris redundabunt. Ruſticis, etiam in hoſtili agro, ſi parcas, ſemper de commeatu tuis abunde erit proſpectum. Menſtrua militi ſi numeres ſtipendia, in omnibus eum habebis obſequentiſſimum: nec uſquam ei tunc parce delinquenti. At caſtigare, & quod debes non exolvere, nec remunerari, barbarum & belluinum eſt.* At vero non laudo, (quis enim ſanæ mentis laudet tyrannidem?) in Belgio plus ſanguinis profuſum eſſe, quam fere tam anguſtæ provinciæ flumina capiant: ſed pauco-

Coneſtag. de P. & C. conj. lib. 9. Meteran. H. l. 4. Autor libelli de Belli Belg. cauſ.

gibus Imperio & Germanorum genti illatæ continebantur, cremandum mandasse scribitur. HISPANIÆ autem non minus horribilis dica abs te, *Georgi Friderice* Limpurgi Baro, scripta est; cum varie flexis persuasiunculis fidem facere satageres, quasi illa esset plerorumque Europæ, imo Orbis totius malorum officina, &

Nido di tradimento, ove si cova
Quanto mal per lo mond' hoggi si spande.

Scilicet ut pictores quidam in facie exprimenda nævum facile imitantur, indolem negligunt & ipsum vultum: sic tu nobis expressisti mores Hispanorum. Nec ambigo, & tibi, & multis aliis, summam gentis illius ad fastigium rerum adspirantis, & omni nisu contendentis, felicitatem, varie suspicandi causam præbere: Hispani tamen propterea alieno livore nec vilescunt, nec sunt census minoris. Sicuti mel & saccarum non ideo est insuave, quia ægris sic videtur; aut vinum insipidum, quia abstemiis non sapit: sic Hispani non ideo improbi, quia tibi, aut aliis improbantur. Non enim Hispani omnes *Ducis Albani*, tyranni immanissimi, & veluti invita humanitate clementiaque prognati, gerunt animum: nec quibus sceleribus quidam seculi patientiam excarnificarunt, iisdem contaminantur cæteri omnes. Tametsi & Albano suæ quoque fuêre & quidem ingentes virtutes, quas in multis magnisque belli ducibus hodie raro invenias. Erat enim in eo armorum peritia incredibilis, sexaginta annorum spatio parta firmataque: atque illa gloria erat cun-

ctis

ctis Hispanis major. Militavit in Italia, in Hispania, in Gallia, in Hungaria, in Belgio, in Africa; hoc unum ægre ferens, quod suis oculis cominus nullum Turcarum exercitum vidisset. Miraculo fuerat animi inusitatum robur; singulare judicium in castris ponendis, quæ ille etiam hoste procul agente Romanorum ritu semper vallis & aggeribus muniebat; & militaris disciplinæ exactissima cura. Hinc fiebat, ut necessariorum nihil unquam ejus castris deesset; & illo cum copiis transeunte, rusticorum nullus, maleficium veritus, fuga sibi ac rebus suis consuleret. Ad altiora munera evehebat neminem, nisi quem merita producebant; atque ea re infimi & genere per obscuri ad Centurionum, Chiliarcharum, Legatorum Castrensium (quos vulgo *Maestros del campo* vocitant) dignitates adscendebant; maximo ad fortia facinora intrepide patranda incitamento. Ex quo nata illius hæc axiomata & apophthegmata: *Si, ut oportet, castigaris delinquentem, & præmio affeceris bene meritum; fortissimis castra tua viris redundabunt. Rusticis, etiam in hostili agro, si parcas, semper de commeatu tuis abunde erit prospectum. Menstrua militi si numeres stipendia, in omnibus eum habebis obsequentissimum: nec usquam ei tunc parce delinquenti. At castigare, & quod debes non exolvere, nec remunerari, barbarum & belluinum est.* At vero non laudo, (quis enim sanæ mentis laudet tyrannidem?) in Belgio plus sanguinis profusum esse, quam fere tam angustæ provinciæ flumina capiant: sed pauco-

Conestag. de P. & C. conj. lib. 9. Meteran. H. l 4. Autor libelli de Belli Belg. caus.

rum tyrannis & culpa cur oneret & infamet totam nationem? cur damnet ingratitudine tot summa prius accepta beneficia? Affirmabat Elisabetha Angliæ Regina, gnaram se, Philippum II Hispaniarum Regem & majores, si Religio turbataque tempora exciperentur, benignius Belgas habuisse, quam Regum aut Principum quemquam. Quapropter & Sant-Aldegondius, post occupatam a Parmensi Principe Antuerpiam, edito libello non modo victoris clementiam, sanctimoniam in servanda fide, cæteraque virtutum Parmensis summis laudibus efferebat, sed adjiciebat quoque, non posse integra conscientia arma in Regem a subditis Christianis sumi. Sic non defendo, in Indiis magnos Reges per summum cruciatum lento igne & laqueo sublatos, totas provincias, totas insulas, & regna tota, fidiculis & omnis generis crudelissimis, & partim inauditis quæstionibus avare subjecta; & tot hominum milliones truculentissime enectos fuisse: sed cur ob aliquot furum, sicariorum, & generis humani perduellium manipulos, amplissimo & maximo Imperio, in quo melior pars illorum scelera abominatur, honor & existimatio imminuatur? Et quidem, si absit nefaria quorundam immanitas, quam suasit omnium malorum genitrix avaritia; justitiam belli Indici facile invenerim: cum Hispani contra illos homines bella susceperint & gesserint, qui concubitus nefandos & cum bestiis exercebant; & qui carnes humanas, hominibus ad id mactatis,

Reidã. Annal. l. 8.

& l. 4.

Alb. Gent. de bello. l. 1. c. 25.

tis, comedebant: cujuſmodi portenta, humani generis lupos, non minus perſequi licet, quam beſtias alias noxias quaſcunque. Vbi autem barbara regio talis in provinciæ formam ſemel eſt redacta; nullo jure impediri poteſt magiſtratus, quo minus propter ſingulares rationes commercium omnibus & paſſim non permittat liberum; ut ideo nec Hollandis, aut etiam aliis concedatur appulſus & contrahendi libertas in Indiis quibuſdam Hiſpanicis. Et quæ neceſſitas, quæ charitas, nos alias ducit in Americam? Pietas quidem paſſim obtenditur: atque utinam vera pietas nos duceret in Americam! Et rem profecto faſtigio ſuo dignam facerent Principes, ſi claſſeis ad verbi Dominici promulgationem inter illos populos adhuc veri luce deſtitutos, miſſis ad hoc Theologis propagandam inſtruerent; ſi quid inde utilitatis poſtea ex commercii libertate in publicum rediret, in lucro ponentes & acceſſionis loco accipientes. Nam ex eo eſſet, ut DEI gratia, ſine qua nihil poſſumus, expeditionibus illis adſpiraret, & adſpirante illa citra ſanguinem & indigenarum vexationem res in his regionibus, quantum ad religionem & civilem adminiſtrationem, feliciſſimis auſpiciis conſtituerentur. Ita olim majores noſtri nequaquam ſibi, tanquam ſi mercatores eſſent, ea loca duxerunt quærenda, ubi auri plurimum, ſed ubi virtutis officiique exercendi major facultas offerebatur: laboris & periculorum & longinquæ expeditionis præmium non utilitas erat, ſed honori

Th. H. l. c. [margin note beside "illos populos … miſſis"]

Busbequi Ep. Tur. 1. [margin note beside "bi, tanquam … duxe-"]

Jam conversi mores sunt. Et quidem, si avaritiam, quam in Hispanis insectamur, nos non sectaremur; nullus Æolus tam sit potens, qui vela nostra impleat. Reipublicæ autem interest, modum commerciorum præscribere subditis, & interdum aliquantulum a jure gentium recedere, *cui jus civile per omnia non servit.* Quo pertinet, quod Impp. Honorius & Theodosius Augusti Anthemio PP. rescripserunt: *Mercatores tam Imperio nostro,, quam Persarum Regi subjectos, ultra ea loca, in quibus fœderis tempore cum memorata natione nobis convenit, nundinas exercere minime oportet: ne alieni regni (quod non convenit) scrutentur arcana. Nullus igitur posthac imperio nostro subjectus ultra Nisibin, Callinicum, & Artaxaten, emendi seu vendendi species causa proficisci audeat: nec præter memoratas civitates cum Persa merces existimet commutandas. sciente utroque, qui contrahit, & species, quæ præter hæc loca fuerint venundatæ, vel comparatæ, ærario nostro vindicandas: & præter earum rerum ac pretii amißionem, quod fuerit numeratum vel commutatum, exilii se pœnæ sempiternæ subdendum.* Verum de *Iesuitis*, illustris *Baro Limpurgi*, moneo: non esse ultima promiscue in omnes expediunda remedia. Sicuti DEVS delicta potentium non statim fulminibus persequitur: ita æquum est, homines hominibus præpositos miti animo exercere imperium, & cogitare, utrum mundi status gratior oculis pulchriorque sit sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant. Non me

l. 6. ff. just. & jure.

l. Mercatores 4. C. de Commerciis vide Alb. Gentil. de j belli l. 1. c. 19.

me latet, quid in Galliis & alibi in Societatem illorum multoties ſit dictum, ſcriptum, conſtitutum; quaſi colluvione illa non vivat deteſtabilius hominum genus, nec efficacius inſtrumentum Hiſpanicæ dominationis: uti nec illud me fugit, quomodo poſtea cauſam ſuam Regi Galliæ Henrico IV illi probaverint: quæ omnia, ut hic ſub cenſuram non voco; ita plane mihi polliceor, Socios illos, ſi a defenſione *doctrinæ Hildebrandicæ & Bonifacianæ*, animique rigore illo præfracto, ad æquitatem, lenitatem, & illam, qu[illegible] ii Patres Græci appellant συγκαλάβασιν, Latini *co[illegible]em*, animitus traducerentur; magnum haud[illegible]e ad communem Chriſtianorum concordiam & [illegible] & exemplo momentum afferre poſſe. Quod autem illi hactenus in Reſpublicas tam multa delinquunt, & Hildebrandicis cuniculis ſumma Imperiorum decora toties oppugnant: neſcio, illi magis peccent, an Principes, qui ſupina publicæ diſciplinæ incuria omnia in pejus ruere patiuntur. Sed nimius ſum. Pariter & tu, mi *Daniel Wenſini*, in BRITANNOS; tu *Erneſte Schafelizki*, in HUNGAROS; tu *Acaci Axeli*, in POLONOS; peccaſſe, & nimis multa invidiæ ignorantiæque tela jeciſſe mihi videmini: cum benevolentiæ & amoris argumentis cum populis illis præclariſſimis decertaviſſe fuiſſet honorificum, & tam victoribus, quam victis glorioſum. Sed non nova res eſt invidia, non ignorantia nova res eſt, neque nunc primum in Europam ex alio orbe delata. omnis locus, & omnis

Baudius Cēt. 2 Ep. 5.

L. Richeome en la Plainte Apologetiq.

Cauſabon. in Epiſt ad Front. Ducæum.

Varro de re rust. l. 2. c. 3.

Passeratius in H. Sallustii.

ætas fert utramque, & feret. Verum ut capras sanas, nemo sanus in lege venditionis promittit, quod nunquam sint sine febri: ideoque dentem earum & salivam arboribus esse venenum tradunt, ac inde nomen invenisse, quod carpant omnia; qua ratione moti astrologi ita eas receperunt in cœlum, ut excluderent extra limbum duodecim signorum, veriti opinor, ne aliquod signum arroderent: sic & inter invidos ignarosque sunt capræ bipedes interdum, sive potius hirci, qui perpetua febri laborant carpendi omnia; cum interea se meros Chironas & Podalirios esse credant, neque minus gloriose de se loquantur, quam ille in Plauti Menæchmis medicus, qui *se* ait *obligasse crus fractum Æsculapio & Apollini brachium.* Omitte vero, mi *Wensini*, omitte istud nihil profuturum contradicendi studium; ac, si me audis, tranquillo animo in Britannici orbis felicitatem paulisper inquire. Quod si feceris, persuadeo mihi, te deposito rigore fassurum, Britannicum imperium hodie Europæorum regnorum vera gloria cedere nulli, atque in eo forsitan præcedere cunctis, quod incomparabilibus aureæ pacis bonis artibusque præter cætera constanter perfruatur. Ridere subinde soleo magnum Platonem; qui tam diligenter naturæ gratias egerat, quod natus esset Atheniensis, non Thebanus; atque sine dubio Britannus voluisset esse minime, cum & barbarus esse nollet. At si per naturam Plato ipse jam interesse huic conventui posset, quærerem confestim ex eo: Annon

Libe-

Liberum patrem & Herculem, quos Alexander Magnus ex omni mortalium numero sibi proposuerat imitandos; Epaminundam etiam, summum juxta Philosophum ac ducem, Græcorum omnium recto sub judice omnis ævi principem; & Pindarum, quem imitationi inaccessibilem Flaccus ait; annon, inquam, illos summates Thebanos longe antehaberet Atheniensibus cunctis? Deinde urgerem Platonem jam Britannicarum rerum peritum, & iterum quærerem: Annon Francisci Draconis, Huntfredi Gilberti, Thomæ Candischi, Martini Forbisheri, Ioannis Haukinsi, ac Roberti Essexii Comitis, stupendas navigationes & semper-victura fortia facinora, longissime anteferret expeditionibus Liberi & famosis laboribus Herculis? Annon Reginæ Elisabethæ sceptrum & sapientiam majori dignaretur honore, quam Epaminundæ, viri sane maximi, militiam & philosophiam? Annon Logarithmis Ioan. Neperi, atque Magneticæ Philosophiæ Gul. Gilberti, longe plus tribueret ingenii & acuminis, quam Pindari carminibus, quæ scimus tamen ipsi cumprimis placuisse? Credibile est, *Wensini*, Platonem ab hisce novis miraculis stupentem, inclinaturum ad Britannos; adeoque, cum denuo nasci non posset, malle tamen nunc esse civem Britannum, quam vel Thebanum, vel Atheniensem. Sic & tua, *Schafelizki*, subagrestis dicacitas nequaquam convenit officio, quod Europæi cuncti fortissimis Hungaris debent. Atque hanc summam servatæ Christianæ Reip. lau-

F. Petrarcha de rē. Fort. l. 1. Dial. 15.

dem illis nulla adimet calumnia, ac minuet vel linguæ vel calami virulentia nulla. Sed ut ſcias quoque, qui Hungari proceres tractent ſubditos ſuos, a præclariſſimo ſene *Benedicto Bajonio* diſce: qui a Ioanne Vaivoda regni uſurpatore rogatus obiter, An pecuniam haberet? reſpondit; Se quidem accumulando auro nunquam ſtuduiſſe, habere tamen in ditione ſua centum ſubditos, qui quando opus ſit, ſinguli millenos aureos ei quam promptiſſime numeraturi eſſent. Tu egregium hoc memoriæ inſcribe exemplum, quale in propinquo vix ſis habiturus: & generoſiſſimam nationem in poſterum laudibus venerare. Et tu, mi chariſſime *Acaci*, aperte prodidiſti, Suecis cum Polonis nondum convenire; atque ſcintillas offenſarum etiamnum aliquas ſupereſſe. Vt ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus condoleſcunt: ita animus affectus minimis offenditur. Quid? An *Hannibalis* es æmulus? qui puerulus, utpote non amplius novem annos natus, ad aram jubente patre Hamilcare juravit, *Nunquam ſe in amicitia cum Romanis fore*: & qui ſignificare cupiens, quanto inter ſe odio Carthago & Roma diſſiderent; inflicto in terram pede, ſuſcitatoque pulvere, *Tunc inter eas fore finem belli*, dixit, *cum alterutra pars in habitum pulveris eſſet redacta.* Sic & tu, *Kælderere*, in ITALIAM infeſtiſſimis verborum ac ſententiarum tragulis es uſus. Scitum vetus eſt, *Raram familiam aut genus eſſe, in quo non fur aut meretrix ſit*: an tu putas ergo totam aliquam & magnam natio-

[Margin notes: Iſthuanf. H. lib. 13. — Æm. Prob. in vita Hannibalis. — Val. Maxim. l. 9. c. 9. — Cõſut. fab. Burdonum.]

tionem fore immunem? Meretur equidem laudem Italia ſummam, ob veterem & novam rerum geſtarum gloriam, domi militiæque, in toga & in ſago. Imo ipſum *Pontificem Romanum* quoque, ſi ad primorum Paparum exemplum conformaretur, (nam Fr. Guicciardini judicio, *hodie depravatis moribus tunc in Pontifice laudatur probitas, cum cæterorum hominum nequitiam non excedit)* ſupra omnes Eccleſiæ ordines efferrem; & eidem cum ſapientiſſimo magnæ Britanniæ Rege IACOBO primum locum inter omnes Epiſcopos libens deferrem; & ita *facerem Epiſcoporum principem eo ſenſu, quo Petrus Apoſtolorum princeps fuit.* Acerrima autem eſt diſputatio adverſus ingentes Romanæ Eccleſiæ divitias, & ditionum amplitudinem: ſed, ut captus eſt meus, exiſtimo, & illas præpoſtere perperamque oppugnari. Quamquam enim diffiteri non poſſum, Chriſti vicario in his terris dignius fore, ſi ipſe Domini ſui vitam paupere inſtituto & humilitate exprimeret, ſtatueretque ſecum, Petri boni imaginem oſtentatione invidendarum opum & regalis potentiæ inepte repræſentari: quia tamen nimietas pietatis veterum Principum, Regum, & Imperatorum, ad iſtud humani culminis extulit Pontificatum; adeoque ipſimet Pontifices donationibus Magnatum, hæreditatibus, emptionibus, aliiſque juſtis titulis *Petrinum Patrimonium* mirifice auxerunt, atque tot ſeculorum quieta & ab Imperatoribus Regibuſque approbata poſſeſſione tantam potentiam ac magnitudinem tuiti ſunt:

Hiſt. lib. 16.

Goldaſt. in Replic pro Imp. cap. 2. in præf. monitor.

tantum abest, ut ea a quoquam Ecclesiæ Romanæ adimi possint sine scelere, ut potius majorum pietas inflammare debeat posteros ad religiosam curam istam, ne sacræ largitiones in voluptates, luxum, aliosve profanos usus disperdantur, sed unice ædificationi Ecclesiæ & Christianæ Religionis propagationi permaneant consecratæ. Et quemadmodum in scholis JCtorum interdum usuvenire solet, ut longe conquisitis ratiunculis leges subruere conentur mustei Studiosuli: cum talis opera uti ante rogationem aliquatenus toleranda, ita post conditam & promulgatam legem sit frustranea & stulta: sic intempestivi illi disputatores pædagodismum sapiunt; qui tamen debuerant aut jam olim interfuisse Principum consiliis, ac monuisse, ne tot maximæ donationes in gratiam Romanorum Pontificum & Ecclesiæ unquam factæ fuissent; aut saltem nunc tacere. Tibi igitur, mi *Kælderere*, sicuti & mihi nihil decedit; ut maxime Papa sit late terrarum dominus; ac per me fruatur ille libere licet. At vero, quod Papatus tot pravarum doctrinarum fermento infecit sanctissimæ Religionis capita; quod (ut ex plurimis unum attingam nominatim) divinissimum S. Eucharistiæ Sacramentum temerario nimis & impio ausu truncavit, atque illud benedictum poculum, illud πίνετε ἐξ αὐτοῦ πάντες subduxet laicis; quodque sine horrore ac lacrymis non possum meminisse, quod eo tyrannidis grassata est filii perditionis insania, ut expresso Jesu Christi mandato paruisse teterrima ea hæresis

Casaub. in Ex. Baron.

esse

esse censeatur, & facinus flammis expiandum; hæc, hæc vulnera, *Kœlderere*, hæc mihi Pæte dolent; hæc jam sæpissime sic externarunt pia pectora, ut patriam extra patriam maximo vitæ & bonorum periculo damnoque quærere fuerint coacti. *Petrum de Vineis*, Secretarium suum, Imp. *Fridericus II* exoculaverat: quem tamen facti pœnitens postea revocavit in Consilium sanctius. Cum autem Imperator, Papæ hostis, angustia rei pecuniariæ premeretur: Petrus consuluit, vires Ecclesiæ suismet opibus esse conterendas, conflanda aurea & argentea ornamenta; & omnino bona Ecclesiæ conferenda esse ad usum belli. Obsequitur Imperator, & Pisis ornamenta & bona Ecclesiarum rapit; inter quæ Zona memorabilis erat, quæ templum cingebat: & sic exercitum parat. Tum Petrus; *Imperator*, inquit, *injuriam mihi abs te injuste illatam ultus sum. Tu tibi hominum odia comparasti: ego tibi* DEUM *ex sacrilegio reddidi inimicum. Omnia tibi deinceps in deterius cadent.* Cæterum Italia & Itali, *mi Kœldere-re*, plerunque apud alias gentes magis calumnia & detractorum convitiis, quam veris culpis laborant: non aliter atque *Nursinus lacus* in Piceno, in quo cacodæmones innatare vulgus imperitum dictitat; quoniam aquæ perpetuis motibus salire, & vicissim subsidere cernuntur. Equidem fama hinc per Italiam & alias quoque mundi partes ab idiotis sparsa est, malignos spiritus in isto loco habitare, petentibusque dare responsa. Et superioribus seculis, *inquit Rassanus*, quidam ex

Pogg. Flor. Cruf. Ann. p.3.l.2.c.5.

Leand. Alb. in Piceno. P. Mer. Cosm. p.2.l.4.c.12.

ex longinquis regionibus, levitate exciti ſua, huc veniebant, ſceleratorum ac deteſtabilium voluminum cacodæmoni dedicandorum gratia; quo certis quibuſdam flagitioſis optatis, utpote *Divitiarum*, *Honorum*, *Voluptatum*, aliorumve id genus potirentur: qui cum illuſum ſibi, falſamque vulgi famam cognoviſſent, pudorem ut averterent, neve itineris labores ſumptuſque perdidiſſe viderentur, apud alios expleta ſua deſideria erant mentiti. Addit idem *Raſſanus*; ſe, cum harum rerum fidem exactius inquirere niteretur, ab *Teutonis* quibuſdam doctis viris gnariſque, qui ipſi hunc locum vulgi fama commoti adierant, ut cum cacodæmone crminibus impiis voti impetrandi gratia magice operarentur, accepiſſe, ipſos, omnibus ſuperſtitionis legibus impletis, orbeque deſcripto cum ſignis peculiaribus, nec ullo quæ requiruntur exſecrabilium ceremoniarum genere prætermiſſo, nihil toto triduo audiviſſe quicquam, aut vidiſſe; quamobrem, cum impoſturam intelligerent, & indignarentur, quod volumina, quibus pravæ artis præcepta, characteres, & ſigna magica continebantur, in ſtagnum dejecta non fuiſſent reddita, voto maximo nunquam deinceps in hujuſmodi rebus quicquam fiduciæ habendi nuncupato, & temeritatem graviſſime accuſaſſe ſuam, & nugarum de loco auctores ob mendacia deteſtatos, ſimul omnes, qui cacodæmonum itemque magicorum voluminum ulla ducerentur fide, diris exſecrationibus devoviſſe. Quid vero, *Iohannes Wilhelme Retwizi*, quid

quid ita iracunde in GERMANOS? Quid tam inimice in populares tuos? Non ſic factum oportuit: & quæſo, poſthac parcius. Meminiſſe poteras: etiam Germanos in hominum numero eſſe, & perinde atque alias nationes jure gentium omnium communi aliquam ſtultitiæ partem habere. Verum quicquid dixiſti in Germanos contumelioſum aut injurium, id ſcio tuum non eſſe; (ingenium enim tibi eſt felicius, quam ut tot pariat calumnias & tot monſtra opinionum) ſed id omne ex neſcio quibus exterorum & hominum de ſchola lacunis collegiſti: & vindicamus nos Germani a talibus, ut ille ex Albania canis Alexandro donatus, ſolo contemptu. Et ſicuti *Tiberio* de licentia dicteriorum conquerenti reſpondit *Auguſtus*: id nos in hoſtium noſtrorum inſo- Sueton.in Auguſto. c. 51. lentiam uſurpabimus: *Non indignari nos, aliquos eſſe, qui de nobis male loquantur; ſatis eſſe, ſi hoc habemus, ne quis nobis male facere poßit.* Atque ut muſcas importune circumſtrepentes ſine ira levi manu fugamus: ita Germanorum magnanimitas abigit culices calumniæ. Ne tamen præter mentem tibi, *Retwizi*, aliquid de alienigena errore irrepſerit profundius: per amicitiam noſtram facere aliter non poſſum, quin in aliquibus capitibus, quam poſſum breviſſime, te inſtruam rectius. Solicitus es, *Retwizi*, de Germaniæ ſalute; atque times, ne propediem penitus corruat patria; *quia limes Imperii*, inquis, *contrahitur & cogitur in anguſtias; Imperatoris majeſtas merum nomen eſt ſine viribus, ſine poteſtate, ſine autori-*

toritate ; *Ordines factionibus scißi tendunt in contraria* ; *Comitia sunt sessionem dißidia* , *& decretorum euripi* ; *Fides & Religio sunt mutabiles* : & id genus. Verum, *mi Retwizi*, nullum est Regnum, Respublica nulla , Principatus nullus , in quo non ejusmodi audias querelas. Nam ut in hominis corpore cottidie fere aliquid mutat ; ita fit in illis magnis Imperiorum corporibus. Adfectus tamen semper est loquax , & garrulus , & querulus. Imperium Germanorum quidem alicubi est imminutum : sed non ita, uti a sciolis asseritur. Et cum jura majestatis (*quæ sunt sancta sanctorum*) alienari non possint : atque etiam alienæ majestatis subditus, ne si regiam ipse potestatem adipiscatur , se ipsum eximere nequeat : semper licuit Imperatoribus, & licebit, suos cives desertores, aut illegitime exemptos, in ordinem cogere; non aliter , quam domino in servum fugitivum perpetua manus injectio est. Et quid objicis de Italia? *Italia*, rescribit Imp. Fridericus II Papæ, *hæreditas est mea, & hoc notum est toti orbi.* Quamobrem *Pius IV* Pontifex Romanus *Cosmum* Florentinorum Principem Regem efficere cum maxime vellet , non tamen potuit: & Imp. *Maximilianus II* non incongrue his verbis intercessit : *Non habet Italia Regem* , *nisi Cæsarem.* Et cum *Pius V* eundem *Cosmum* postea *magnum Etruriæ Ducem* creasset , Cæsar per oratores protestatus est, *additis minis*, *si Pontifex ulterius in Imperii jura invaderet.* Ideoque cum de dignitatis prærogativa inter Ferrariensem & Florentinum diu an-

Peregrin. de I. Fisci. l. 1. Bodin. de Rep. l. 1. c. 6. 9. 10.

Goldast. tomo. 3. Constit. p. 658.

Bod. de Re. l. 1. c. 9.

Th. H. l. 46.

Th. H. l. 44.

te

te causa agitata esset: Cæsar non solum mortuo Pio a novo Pontifice *Gregorio XIII* contendit, ut decessoris sui decretum induceret, & negotium ipsi, in cujus fide Etruria est, liberum relinqueret: verum etiam, instante Ferrariense, Cosmum tanquam Imperii beneficiarium citavit; qui prolatis instrumentis & rationibus in medium propositis se defendere coactus est. Etsi tandem *Francisco* Cosmi filio, *Magni Ducis titulus, tanquam Imperii beneficiario, amplissimo ea de re diplomate dato, fuit confirmatus.* Et quicquid alibi, *Retwizi*, audiveris, legeris: hoc serio disce, omnes Italiæ civitates aut Duces ab Imperatore & Imperiali curia judicium accipere & judicata facere obligatos esse; quoties de republica, de finibus, & statu inter ipsos agitur. Nam tametsi *Genuenses* minus quam cæteræ civitates Italicæ Imperatorum jussa antea fecerint; cum tamen a Marchione Finaliensi, quem domo expulerant, ac bonis omnibus spoliatum ejecerant, ad Imp. Ferdinandi I tribunal vocarentur, eos Imperator post edicta peremptoria cum abessent, vadimonium deseruisse pronunciavit; hoc addito, *Nisi fetiali suo parerent, urbem & agrum Genuensem se proscripturum.* Sed paruerunt judicato Genuenses. Et ne multus sim, nulla habita ratione futilium contradictionum: Cæsar in omnes Italiæ Principes & civitates jurisdictionem suam tuetur: quod cum alia documenta, tum infinita præjudicia causarum, sententiæque a Cæsareo Aulico Consistorio, sive delegatis, datæ & executioni deman-

Th. H. l. 54.

A. Ch. 1575. Th. H. l. 60.

Bod. de Rep. l. 1. c. 9.

Th. H. l. 36.

Bod. de Rep. l. 1. c. 9.

Pautmeist. de jurisd. l. 2. c. 4. n. 73. & passim.

demandatæ ostendunt: ut propterea Italiæ Jurisconsulti unanimi consensu verissime scripserint, *nullis Italiæ civitatibus leges condere jus esse, quæ Romanorum legibus, quas Fridericus promulgari jussit, contraria sint.* Hinc quid de ipsa *Roma* judicandum sit, cognoscere potes; & intelligere, etiam *Pontifices Imperatorum vasallos & subditos esse*, atq; ab illis Vrbis præfecturam, & tot ditiones accepisse; quo nomine ab electis Imperatoribus hodieque solennem beneficiorum confirmationem petere solent: Imperatores autem proprietate sua omni propterea non excidisse. Nec tamen necesse est, Romanum Imperatorem Romæ degere, aut etiam ipsam urbem possidere, quasi alias nomen nulla res sequeretur: ἐκεῖσε ἡ Ῥώμη, (ait Herodianus) ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεύς: *ibi est Roma, ubi est Imperator.* Et Imperatores Græci, qui Constantinopoli sedem fixerant, non eo minus Romanos Imperatores se dixerunt. Quemadmodum olim Athenienses urbe derelicta civitatem conservabant in navibus: ita Romanum Imperium, Romæ urbis mœnia deserens, in Germaniam cum Imperatore sedem transtulit: adeoque Roma hodie est Viennæ, Pragæ, Norimbergæ, aut ubi sacratissimo Imp. MATTHIÆ libuerit. Ita *Sabaudia*, ita *Lotharingia*, ita *Burgundia*, membra adhuc sunt Imperii. Ita *Belgium* quoque: & hoc tam est clarum, ut Imp. *Carolus V*, qui prius fratri *Ferdinando I* persuadere conatus, ut Imperium accepta idonea compensatione in *Philippum* transferret, & id impetrare non poterat,

Bod. de Re. l. 1. c. 9.

Goldast. in Rationali, Const. T. 1. p. 64. Et in præf. der Reichshãdlung.

Herod. l. 1.

A. Gentil. de I. Bell. l. 1. c. 23. vide l. 1. §. 10. C. de vet. jur.

Rec. Imp. A. 1544. A. 1522. A. 1548. Paurmeister de jurisdi. l. 2. c. 1.

terat, cum postremo peteret, ut saltem eum Imperii per Italiam & Belgium cum plena potestate Vicarium constitueret, etiam hic repulpulsam tulerit; dictitante Ferdinando; *Tantum de Cæsarea dignitate ac majestate, quam integram & illibatam tueri recepisset, decessurum; quantum ex ea alteri concessisset.* Quare, *cum fœderati Belgæ* missa splendida legatione *Elisabethæ Anglorum Reginæ Hollandiam & Zeelandiam vel possidendas vel protegendas obtulissent*, insignis illa & supra sexum prudentissima fœmina primum omnium animo deliberandum esse censuit: *An cum alterius Principis subditis protectionis fœdus inire liceret*; & *An Belgæ fœderati tantum offerre jure possent sine Cæsaris consensu, qui supremus Feudi Dominus*: & denique, postquam Arausionensi & Ordinibus pro præclara benevolentiæ testificatione gratias egisset, respondit; *Nihil sibi antiquius esse, quam fidem cum honore conjunctam & Principe dignam tueri, necdum sibi liquere, quomodo salvo honore & conscientia integra provincias illas oblatas in protectionem, multo minus in possessionem accipere posset. Haudquaquam animum sibi, suum cuique adimendi, adflictis succurrere paratam; ut in Gallia Scotiaque oppressis subvenisset Ecclesiis, quas tamen suis Principibus reliquisse; id gloriosum sibi, dehonestamento alterum fore.* Et cumprimis illa Reginæ verba ad Legatos Adelgondium & Paulum Buysium erant aculeata cum magno pondere: *Immerito Hollandos unum ob Missæ sacrum tantos motus ciere, nec decoram iis præfractam adeo adversus Regem contumaciam: quando fi-*

Th. H. l. 16.

Camden. in Ann. Angl. A. Ch. 1575.

Reidā Annal. lib. 6.

dem divinitati Missæ habere non adstringantur, aspectarent, tanquam fabulam. Quid, inquit, (& erat candido amicta vestimento) *vobisne pro flagitio foret, me hoc habitu, si histrioniam ordirer, intueri?* Neque libertas illa Belgarum, quam & illi jactitant invidiose, & alibi plenis hodie buccis passim decantant dilaudantque viri quidem non indocti, sed vel Hispanorum odio, vel privatis in Belgas studiis ita vocales facti, tam alte profundeque radices egit, ut nulla calamitate, nullisve vicissitudinibus everti aut frangi possit. *Dominicus Baudius* certe, Professor Leidensis, non malæ notæ vates, male alicubi ominatur de hac Belgii libertate: idquod si ipsius Baudii verbis dixero, operæ pretium, opinor, fecero. *Nisi me in his locis*, ait Baudius, *conscientiæ scrupulus, & Religionis vinculum attineret, jampridem captum esset augurium de migrando: nec Leida spes meas includeret: quanquam non pessime mecum agitur. Sed nec ea nostri ratio habetur, quam oportuit. Theologorum etiam nostrorum dissidentes sententiæ, & virulentæ concertationes, odia fratrum quæ ne morte quidem finiuntur; aliaq; nostræ militiæ flagitia, pene efficiunt, ut & illud superbum nomen* reformatæ Religionis, *& ipsa causa incipiat mihi esse dubiæ sanitatis*, &c. *Præsagit mihi animus, imminere his provinciis fatalem rerum commutationem, & ex intestinis vitiis redititurum aliquando veteris imperii desiderium. Suspectus sum multis, sed charus acceptusque non paucis, quod voce & stylo passim inculco subditorum obsequia in legitimos Principes, & pleno ore decanto veras laudes*

Cent. 3. Ep. 39. ad Max. Vriendt.

Archi-

Archiducum. Vt ita, quantamcunque una aut altera, aut plures fugitivarum provinciarum ſive civitatum libertatem jactent, ſemper Imperatori & Imperio ſua majeſtas & auctoritas conſtet in ſuos. De *Helvetiis* ridicula dixiſti, & quæ ſplenem agitent vel non petulantem. Et an putas, tam inciviles & ruſticos eſſe Helvetios, & ita cerebrum omne expuiſſe, ut ea verborum inſolentia & intemperie in Auguſtalem Cameram fuerit debacchati? Non perſuadebis hoc mihi. Mirum tamen eſt, quod unus *Warſevicius*, homo Polonus, forſitan in tonſtrina exceptum chartis illevit; id etiam a Germanis aliquibus ſtatim tanquam oraculum acceptari. Quaſi quid Spiræ agatur, extra Germaniam requirere, & a Polonis diſcere debeamus. Privilegia quidem Helvetios ampliſſima ab Imperio habere, nemo negare poteſt: uti & omnium Helvetiorum nomine legati e Tiguro, Lucerna, Vria, Glarona, confirmationem ſuorum privilegiorum in Comitiis Auguſtanis petierunt ab Imp. Ferdinando I: ſed privilegiorum conceſſio in eo, qui confert, majeſtatem & imperium; in eo, cui conferuntur, ſubjectionem arguit: cum juris tam univerſalis quam ſingularis condendi poteſtas tantum penes eos ſit, qui ſummam Reipublicæ obtinent poteſtatem. Ac licet Helvetii, viri ſane probi, ſingulari indultu Imperatorum inſignes illas prærogativas acceperint, *exemptionem a Iudicio Aulico, Camerali, & Rotvilenſi, libertatem fœderationum, & immunitatem ab omnibus oneribus realibus Impe-*

Vide Meurſium de Induc. Belg.

Simler. de Rep. Helv. l.2. Bod de Rep l.1.c 9.

C.Tapia.de Conſt Princip.c 4.

§. ſed & quod Pr. Inſt. de I. N. G. & C.

rio debitis: attamen Constitutione fractæ pacis publicæ tenentur, & pacem Imperii publicam violantes in Camera accusari possunt; imo etiam contra omnes Imperii hostes exteros suppetias ferre sunt obstricti. Sed nemo de Helvetiis te, *Retwizi*, edoceat accuratius, nemo melius, quàm *Melchior Goldastus*, Helvetius doctissimus; qui ad serenissimum nostrum Principem JOANNEM FRIDERICUM, Würtembergiæ Ducem, in volummine, cui titulum fecit Reichshandlung / Tractaten / rc. ita præfatur. Es werden gantze Lastwägen voll Bücher geschriben de processibus juris, de jurisdictione, de appellationibus, de exactionibus, de immunitatibus & exemptionibus, vnd was dergleichen. Hie müssen die Schweitzer vnd Eidgnossen allenthalben herhalten / vnd als Meinaidige / Abtrünige / vnd vom Heiligen Reich abgefallene Stånd durchgezogen werden. Aber die guten Herrn vnd Eidgenossen wöllen das nicht gestehen / vnd widersprechen es auff das höchst / erkennen den Keiser für jhren einigen / ordenlichen / natürlichen Herrn / bekennen sich zu dem Heiligen Reich Teutscher Nation / geben sich für desselbigen freye Stånde auß / wöllen auch deß Lob / Ehr / Rhum / vnd Namen haben / rc. Tu lege cætera: & quæ contra Jesuitam *Gretserum* in *Replicatione pro Imperio*, capite ultimo, scripsit *Goldastus*, adde: abibis doctior. Ego vero in *Barbarios Philippos*, ut noster *Axelius* loquitur, nihil dico hic amplius. Atqui & Imperatoris dignitatem, *Retwizi*, alicubi vilescere, Ordinumque obsequium fere in con-

tem-

temptum degenerare, doles. Atque ut dem tibi aliquid; credo, aliquando inter Germanos fuisse viles, & contumaces, & refractarios tales. Namque patitur majestas Imperatoria interdum platani, aut nucis arboris fortunam: sub quam pluvio cœlo multi se recipiant, qui tamen eidem postea cœlo sereno ramos decutiant, & securim admoliantur. Sed confide, *Retwizi*; inclytis Imperii Ordinibus hodie mens tam læva non est. Et licet, ut inter multos fratres nonnunquam aliquid jurgii, aut ut inter conjuges aliquid fribusculi intercedat inter ipsos: tamen quia ex illis non pauci sanguine sunt conjuncti, & quod omni consanguinitate certius est, omnes sunt virtute fratres, & ordinis atque εὐταξίας studiosissimi; hinc omnes quoque in dissidio quocunque salutem publicam respiciunt; omnes Imperii gloriam, Imperatorisq; majestatem pro virili tueri & amplificare annituntur; multique officii præstandi celeritate, occupant tempus optandi. Et sicuti luscinia, carduellis, citrinella, alauda, regulus, curruca, & cæteræ canoræ aves, concentum inter se se non vitiant, tametsi diversissimis modulationum formulis & intervallis una canant omnes: aut uti in Principis Odeo plurimi musici & symphoniaci pueri diversis modulis concinunt, atque rapidis vocibus per omnes gradus discurrunt; & tamen nec a se ipsi, nec a Basso, qui spondæum canit, discrepare percipiuntur: ita evenit in nostra Germania, ut in suavissimo Reipublicæ Ordinum con-

centu interdum per tonorum etiam peregrinas discrepantias hinc inde divagentur quidam, nec tamen propterea basis ac fundamentum Reipublicæ conquassetur. Et quis, hoc præsertim Imperatore MATTHIA, non polliceatur sibi augusta & magna omnia? Quis aurea secula mox reditura esse non speret? Ille enim noster Imperator scit, incolumitatem rerum & pacem gentium sanctissimis Imperii Constitutionibus unice firmari; ille novit, omnes Augustales sanctiones a decessoribus Augustis Ordinum consilio & assensu factas, etiam suas esse, atque æternas esse debere; ab earumque auctoritate Imperatoriam auctoritatem pendere: ille intelligit, in hac Palladii Germanici custodia promptissimum Ordinum obsequium, in obsequio Cæsareum ærarium supra omnes Peruviæ & Indiarum divitias opulentissimum situm esse: ille denique adgnoscit, una legum sacrarum morumque antiquorum reverentia concordiam sarciri, justitiam reparari, lites minui, & Reipublicæ felicitatem stabiliri augerique posse. O divinas cogitationes! O pias curas! Quis tanto talique Principi non comprecetur prosperos etiam ultra vota successus? Quis pro incolumitate illius se non provolvat ad aram venerabundus? Honor merito maximus habetur illis; qui Christiani orbis fata suscipiunt; qui perpetuis maximorum operum actionibus occupati de tot nationibus & provinciis cogitant, noctes omnes diesque perpeti sollicitudine pro omnium salute transigunt, atque obli-

l. digna vox C. de legib.

obliti quodammodo sui gentibus vivunt. Sed ebullit animus Auditores, & nequeo linguam continere amplius, *Accipe sacratissime Imperator Auguste*, MATTHIA, *nostrorum sensuum confessionem: Filius es* MAXIMILIANI II, *Principis omni laude digni, sed omni laude majoris; & qui cum Imperii Ordinibus quasi cum liberis parens vixit: tu autem patris pietatem, justitiam, ac humanitatem sic imitaris & sequeris, ut omnibus ad te confugientibus, diversamque opem aut contra aliorum injurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exolvere; idque ipsum gaudeas prædicari*, Quicquid MATTHIAS pie, juste, liberaliter, fecerit, filium MAXIMILIANI patris necessario præstitisse. *Ita fit optime & benignissime Cæsar, ut nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue, tuis transcurrat beneficiis otiosum. At ego referendis laudibus tuis exiguus ingenio: nec mihi vocis ubertas ad dicenda, quæ de tua Majestate sentio, sufficit; nec vel indefessi sermonis series. Ergo quod solum potest religiosus quidem, sed tenuis alioquin efficere, curabo: Majestatem & numen tuum intra pectoris mei secreta conditum perpetuo custodiens imaginabor.* At *Sessionum* certamina, *Retwizi*, quæ subinde in Comitiis Imperialibus inter Ordines enascuntur, nihil te conturbent: sunt leves controversiæ præ illis, quæ Hispano & Gallo, Hispano item & Anglo, Ferrariensi & Florentino, multoties fuerunt. Et quidem cum Imp. *Carolus V* coronaretur Bononiæ, atque Legati Senensium & Genuensium inter sese de ses-

ſionis primatu verbis verberibuſque acriter diſputarent, utrique Imperatoris juſſu templo expulſi ſunt. Cætera item, quæ tu attuliſti contra Comitia, eorum Decreta, & Juſtitiam; pleraque ſunt joci, ſcommata, convitia, nugæ: & illud de *Klagenfurto*, eſt

H.Megiſer. Annal. Carint lib. 11. c. 12.

fabula, ſed nugis vanior illa meris;

quæ ab *Ænea Silvio* pro vera hiſtoria credita & primum ſcripta, poſtea a pluribus repetita fuit. Nec rarum eſt, ut quod unus ſcriptorum in trivio hauſit; ſtatim alii tanquam Senatusconſultum Romanum laudent & ſectentur. Sæpe ſine omni rubore mentiuntur: & XX prope ſcripſerunt, *Carolum Ducem Aureliorum* ob læſæ majeſtatis crimen ſupplicio adfectum, idque Lutetiæ; quem tamen anno poſt trigeſimo, quam ab Anglis captus fuerat, in Galliam rediiſſe, ac feliciter obiiſſe conſtat. *Adeo maxima quæque ambigua ſunt: dum alii quoquo modo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt: & gliſcit utrumque poſteritate.* De *inconſtantia* Germanorum aut *perfidia*, omitte. Nam licet nemo adhuc extiterit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur: nullus tamen populus Fidem & Conſtantiam fortius & ſincerius ſervavit, quam Germani: *apud quos ſolos morum integritas*, Machiavelli Itali judicio, *noſtra ætate ſupereſſe videtur.* Imo morum rectitudo & conſtantia inter Germanos, eſt etiam juventutis peregrinæ ſaluberrima rectrix. Quemadmodum enim verum balſamum coagulat lac, & in veſte nullas relinquit macu-

Bodin. Hiſt. c. 4.

Tac. Annal. lib. 3.

Diſputat. de Rep. L. 1. c. 55.

Salmut. ad Panciroi. de Balſamo.

maculas: hisce enim notis dignoscitur illud ab adulterino: ita Germanorum conversatio & convictus lacteam & diffluentem exteræ juventutis virtutem sistit & firmat, nec illam vitiorum sordibus facile polluit ullis. Si quid autem rigoris sive asperitatis fuit in priscis majoribus: id cultura posteritatis eradicavit: non aliter, quam loca multa aliam induêre faciem: ubi silvæ fuêre, jam seges est, ut metendo ac vindemiando aliquando deficiamus. Alioquin in artificiosis manuum pedumq; gesticulationibus, imo vero in scenica ista totius corporis compositione, quam hodie plurimi verarum virtutum aut non intelligentes, aut negligentes, præcipuæ morum elegantiæ adscribere solent, Germani nostri nunquam quæsiverunt aliquam palmam: ut mirum haut sit, si Gallis liberi sui, quos aliquandiu Germanorum consuetudini tradiderunt, non satis pro nationis suæ ingenio civiles domum redire videntur. Cæterum, cum inconstantiam, perfidiam, crudelitatem, aliaque nefanda crimina prælicenter Germanorum populis impingeres, *Retwizi*: quamobrem, quæso, venenata ista calumniæ tela per *Septentrionis* latus ejaculatus, injurias multiplicasti? Quid tibi veniebat in mentem, quare tam iniquo præjudicio jugulares plagam mundi insontem? Et qua judicandi sinisteritate eandem facis partem mundi sinistram, malorum officinam, ac collocas ibidem infernum? Equidem negare non possum; de mundi situ, sive differentia *dextri* & *sinistri*, aliter atque aliter

 defi-

definire; qui in arcana philoſophiæ curioſius inquirere ſolent. Quin ſunt doctrina ſumma viri, qui argutantur hoc modo : quoniam ſit nulla cœli pars , in cujus locum non ſuccedat altera, iſque motus perpetuetur , & partes uniformes ſint ; non intelligi poſſe , quæ cœli pars dextra, quæ ſiniſtra dici mereatur ; ſed , cum ubique in eodem puncto ſit oriens & occidens, ubiq; etiam idem fore & dextrum & ſiniſtrum. Quam opinionem illis ſubtilitatum magiſtris relinquimus haut illibenter : dummodo permittant , dextrum atque ſiniſtrum hominis reſpectu in cœlo quoq; ſtatui poſſe. Quapropter Empedoclis, Cleomedis , Lucani , Solini , Philonis , nec non ex recentioribus Bodini , non parum auctoritati tribuimus : qui omnes dextram plagam Aquiloni, ſiniſtram vero Auſtro adſcribebant. Idque optima ratione : quippe quod totum cœlum , & quicquid orbium cœleſtium eſt, orbico motu illo, ſimplici & regulari , (Ptolemæus πρώτην φοράν, alii νυχθημέρινον appellans) ab ortu in occaſum circa mundi polos , ἀεὶ ὡσαύτως καὶ ἰσοταχῶς, circulis Æquatori parallellis , ſpatio naturalis diei revolvi , atque ita veluti ingens quoddam animal prorſum ire ſemper , & hoc ipſo ſtato decurſu Aquiloni dextram , Auſtro ſiniſtram aſſignare videatur. At vero ſi ad Linguæ ſanctæ arbitrium nos accommodare velimus ; liquet , in Vetteri Teſtamento Aquilonem perpetuo denotari per vocem *ſiniſtri*. Quod ipſum non tantum ſignificatio verbi ſimplex ; ſed & Moſaici ritus cæremo-

Jul. Cæſ. Scalig. de Sub. ad Car. Ex. 67.

Bodin. in Theat. N. l. [illegible] p. 6[illegible]4. Ad. Turneb. Averſ. l. 12. c. [illegible]

remoniæque, situs tabernaculi, templi, & tot alia, egregie confirmant. Est etiam apud Ezechielem infensus DEI sermo in eos, qui tergis sanctuario oppositis orientem adspiciebant precantes: siquidem illi frontibus ad occasum conversis præsentem majestatem sanctissimi Numinis, quod in Sanctuario speciali modo habitabat, ac de medio Cherubim loquebatur, venerari ex lege debebant. Atque ut in animis major veneratio esset, introductum illud amplius non lege Mosaica, sed vetustissimis Judæorum institutis est; ut, quisquis templum intrabat, gressum ad dextram obverteret, & sic circumiret, eaque via egrederetur, quæ ad sinistram erat. Contra autem, qui in luctu fuêre, quive ejecti ex Judæorum communione erant, eo submotionis genere, quod נִדּוּי *Niddui* appellatur, iis circumitio facienda a sinistra dextrorsum fuit. Imo & ipsi Sacerdotes, cum rem sacram fceissent, recessim ad portam atrii cedebant, pene ut nepæ solent, sed paululum tamen obliquato latere. Vt ita ex hisce inter se compositis colligere in proclivi sit; omnibus quidem templum ingressis, sive orantibus, sive sacra facientibus, sive Oraculum consulentibus, Aquilonem dexterum fuisse; sed DEUM ipsum, qui e medio Cherubim loquebatur, & nusquam magis propitius mortalium ad se venientium preces exaudiebat, non obscure Aquilonem fecisse sinistrum, & huic oppositum Austrum constituisse dextrum. Vbi tamen, mi *Retwizi*, disces mecum; contigisse persæpe,

Ezech. c. 8. v. 16. & ibi S. Hieronym.

Exodi. c. 25. Num. c. 7.

P. Cunæ. de Rep. Hebr. l. 2. c. 12.

sæpe, ut Judæi in peragendis sacris non ad Occasum, sed alioversum vultum flectere necesse habuerint. Nam quicunque extra Hierosolyma versabantur, nec adire sacram urbem poterant, sive ab hoste capti tenerentur, aut aliunde impediti extra patriam urbemque viverent, id, quod unum in tali necessitate erat relictum, oraturi ad ædem Hierosolymitanum se convertebant. Qua ratione accidebat, ut Judæi, dum precaturi ad Sanctam Vrbem veluti Cynosuram in tali casu corpus suum componebant, sæpius non Occasum, sed vel Ortum, vel Meridiem, vel Septentrionem intueri cogerentur; nimirum pro varietate situs loci, quem tunc extra Vrbem in terrarum orbe occupabant. Quod & Daniel Propheta in Babylone suo exemplo testatus est; cum ter in diem flexis genubus DEO supplicaturus fenestras cœnaculi aperiret, locaretque se Hierosolymam versum. Christiani autem illi antiqui, Apostolorum temporibus proximi, cum DEO preces ferrent in Orientem conversi; hunc ritum posteritati traditum commendabant ob hasce potissimum causas; quod scilicet ita ab ipsismet Apostolis crederent fuisse institutum: quod Oriens aliis creaturæ partibus præcelleret: quod Paradisus, unde pulsus est homo, in Oriente positus esset; in quem mens revertendi cupida oculos etiam dirigeret: quod CHRITUM in cruce ad occidentem Solem expansum, devoti Christiani adspicere non possent, nisi Orientem intuerentur. quod DOMINVS in cœlum adscendens ad Ortum

lib. Reg. 3. c. 8. v. 44. & 48.

Dan. c. 6. v. 10.

Justin. lib. Quæst. qu 118. Basil. de Sp. S. c. 27. Origen. in 1. Num. hō. 5. Athanas. lib. 9. qu. 14. Diony. Are. de Eccl. hie. l. 2. p. 2. c. 2. Cyrill. in Mystag. 1. I. Damasc. Orthod. fid. l. 4. c. 13.

elatus,

elatus, atque ad tremendum judicium adventurus sit: quod denique Oriens fons luminis existimatus, Occidens autem esset ἱερογλυφικὸν tenebrarum, in quibus Satanas late dominaretur. Vnde fluxerit & iste vetus in Ecclesia ritus, ut Baptismate initiandus; Diabolo prius renunciaturus statueretur versus Occidentem; sicque positus, tertio illa solennia renunciantis verba proferret: idemque postea CHRISTUM DOMINUM confessurus, ad Orientem conversus id totidem vicibus faceret. Quod tu mihi hic nota, *Retwizi*: Occasum nempe tenebrarum esse cubile; ut sic Aquilonem ab incolatu Diabolorum absolvere tanto facilius, ac damnatissima inferni castra alibi, forte commodius, metari possis. Ac si profana autoritate duceris, etiam Homerus ipsos inferos in partibus Occidentalibus locat: uti Jos. Scaliger observavit. Tametsi ad certam mundi plagam adstringere velle Diabolum, hominis esse videatur extra Sacræ Scripturæ ducatum cum ratione suaviter ludentis: cum Divus Apostolus Petrus Spiritum illum immundum appellet λέοντα ὠρυόμενον, qui hominum genus circumeundo ad ingluviem, ubi ubi licet, rapiat obvios: Salvator noster ipse quoque eundem vocet ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου: Divus autem Apostolus Paulus dicat θεὸν τοῦ αἰῶνος, καὶ ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος. Quæ omnia, utcunque tandem interpretatiunculis mollias vel contrahas; significant profecto ingentem in toto mundo Diaboli dominatum, quo ille omnes in universum homines, si permitteret

Card. Barō. Annal Ecc. ad An. Chr. 58. n. 105. & seqq. I. Selden. de DIs Syr. Syntag. 2. c. 8.

I. Petri. 5. 8.

Ioan. 12. 31.

2. ad. Corinth. 4. 4. ad Ephes. 22.

M. Delrio. in Disq. Mag.

teret

Exod. c. 8. v. 18. Matth. c. 8. v. 31.

teret DEUS, (namque sine hujus permissu ne pediculos quidem educere, vel porcos invadere valet) tum anima, tum corpore pessumdare posset.

Diog. Laer. in Thal.

In hoc vero mundo, quem Thales Philosophus dæmonibus plenum esse crediderat, vel maxime aerem terræ vicinum scatere impurissimis spiritibus, etiam hinc docere pronum est: quod gentium ille doctor Divus Paulus nominet eos

Ephes. c. 6. v. 12. ubi D. Hieron. De Gemitu Columb. l. 3. c. 12.

τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις; id est, paraphraste illustrissimo Cardinale Bellarmino, ipsam nequitiam, ipsam astutiam Spirituum immundorum, habitantium in cœlo aerio, unde commodius speculentur, quæ fiunt ab hominibus in terra, illique copia tam immani, ut, si corpora gererent, Solem ipsum in meridie obscurarent. Nolim præterea, *Retwiki*, Aquilonem abs te sic dehonestari, ac si inter orandum manus illac levari nefas sit: cum pius Christianus DEUM inveniat ubique præsentem, atque nullis rituum laqueis innodatus preces suas habere possit etiam in cubiculo, clauso ostio, in abscondito, ut CHRISTUS Dominus noster præscribit;

Matth. c. 6. v. 6.

1. ad Tim. c. 2. v. 8.

& in omni loco, ut Apostolus Paulus. Ne huc quoque arcessam; apud Prophetas, Esaiam, Ezechielem, & alibi in sacro Codice, subinde Aquilonem laude non carere: id quod & alii adverterunt.

Esai c. 41. v. 25. c. 43. v. 6. c. 49. v. 12. Ezech. c. 1. v. 4. & seqq. C. Besold. de nat. pop. c. 4.

Sed cum toties inculcant Divini vates, cumprimis tamen Esaias & Hieremias, ab Aquilone impendere pericula & excidia Hebræorum Reipublicæ, quam DEUS Palæstinæ solo quasi affixerat: quid Aliquo iste cum Germania nostra,

Ret-

Βετανίζι; quid hac quidem parte habet commune? Quis non ſomnolentus Sacræ Hiſtoriæ lector non videt clare; Prophetas digito veluti deſignaſſe Syriam, Aſſyriam, Babyloniam, vicinas Palæſtinæ illas, ad Aquilonem tamen vergentes paulum: ex quibus virgam furoris ſui crebriuſcule expediebat DEUS; cum Iſraeli caſtigando immitteret Theglath-phalaſarem, Raſinem, Sennacheribem, Salmanaſarem, Nabuchodonoſorem, & ſimilis monetæ tyrannos alios? Quis vero, niſi geographicorum ſtudiorum hoſpes prorſus, non ignorat? uti Palæſtinam omnem, ita Syriam, Aſſyriam, Babyloniamque, extra Europæ pomœrium in Aſia ſitas eſſe, atque ex iis ab Æquinoctiali linea plurimum remotam quadrageſimum gradum vix attingere: cum, ſi Hiſpania Bætica, cum parte Luſitaniæ Italiæ & Græciæ excipiatur, cætera omnis Europa (nedum ſola Germania.) poli elevationem habeat majorem, ad Boream longe lateque extenſa: ut ſic conſiderata loci latitudine Aquilo ille Propheticus fere omni Europa Auſtralior ſit cenſendus. Atenim omiſſa ſive dimiſſa iſta Propheticorum oraculorum detorſione: quamobrem tamen Septentrioni alioquin *terrores*, aut ſpeciatim Germaniæ noſtræ *carnificina mortalium* imputentur præcipue, res ea ſatis argumenti aut rationis non habet. Neque arduum foret demonſtrare; quæ cum ſumma exprobratione nobis Germanis, aliiſve arctois nationibus, a nonnullis ſuperciliosis ac naſutulis morum cenſoribus objici ſolent,

ea

ea in aliis mundi partibus, si non deteriora, certe æque atrocia reperiri. Perpetuus humani generis in hoc instabili mortalitatis stabulo est discursus; nulla sedis, etiam electæ, constantia est. Illud a patribus excogitatum, ingeniosum est: nomen ADAM Græce scriptum quatuor constare literis; eas autem quatuor voces incipere, significantes quatuor mundi partes; ut ita sit Ἀνατολὴ Oriens, Δύσις Occidens, Ἄρκτος Septentrio, Μεσημβρία Meridies; quia Adami posteritas per omnes Orbis plagas dispergenda esset. Verum enimvero quemadmodum terra primo cœpit habitari in Syria, ubi Damascenus est ager; atque ante diluvium ex eo Orientem versus propagationes factæ: sic & post diluvium a Noæ filiis posterisque in cunctas Orbis partes coloniæ missæ sunt; tantopere tamen multitudine hominum hinc inde succrescente, ut portio terræ, quam quæque colonia primum occupaverat, consequenti tempore copiam incolarum non ferret amplius. Cui angustiæ quandoque accedebant sterilitas, fames, paupertas; quinetiam beatæ rerum ubertati nonnunquam adnascebantur subortæ inter populares cognatasque civitates inimicitiæ, rixæ, invidia, avaritia, ambitioque, & reliquæ perdundis societatibus conceptæ pestes: quas tandem innumerabiles prope migrationes ac funestæ coloniarum scissuræ, mixturæ, & mutuæ expulsiones consecutæ fuerunt. Vbi quamvis reluctari præfracte nolim affirmantibus, ex populosissima Aquilonari Germania nostra, nova popu-

Augustin. tract. 9. & 10. in Evāg. Ioannis P. Merul. Cosmogr. p. 1. l. 3. c. 14.

populorum examina novas ſedes patriaſve quæſitum prodiiſſe frequentius, quæ aliquando vetuſtis poſſeſſoribus graviſſimas intulerint calamitates: exiſtimaverim tamen, ex aliis quoque regionibus factarum graſſationum vim non modo non fuiſſe mitiorem, ſed ut in curſu victoriarum non raro longe formidoloſiores magiſque cruentas tempeſtates incubuiſſe. In difficili mihi non eſt, numero exemplorum fidem dictis addere. At ſi vel paucula, *Retwizi*, non gravate audire voles: Nonne fateberis, Romanum & Pœnum eodem tempore, paribus utrumque votis & viribus, imperium orbis agitaviſſe? *Horribile dictu*, ait Florus, *homines a meridie & ſole venientes noſtra nos hyeme vicerunt.* Potuiſſet epulari Hannibal in ipſomet Capitolio, & victricis urbis excidio patriam interitu liberare; ſi (quod Pœnum illum dixiſſe Maharbalem Bomilcaris ferunt.) Hannibal quemadmodum ad Ticinum, Trebiam, Traſimenum lacum, & Cannas, ſcivit vincere, ſic uti victoria ſciſſet. Hiſpanias item vide, *Retwizi*; quas cæteroquin jugi impatientiſſimas, ſubjugatas tamen a Romanis, cum eas poſtea Gothi, Romanis præſidiis omnino dejectis, juris ſui feciſſent, ac regio imperio longo tempore eſſent moderati; nonne tandem eaſdem Saraceni ſive Arabes Jacobi Almanſoris, qui tunc in Arabia felice ſedem habebat, auſpiciis, poſt ſeptingenteſimum viceſimum quartum a nato Chriſto annum, Juliani Bæticæ Comitis inſtigatu ingreſſi, & profligatis Gothis, nonne fere totas, paucis exceptis pro-

Flor. lib. 2.

Mariana de Reb. Hiſp. l. 6. & alibi paſſim.

vinciis, occupavêre; & per ſeptingentos annos uſque ad Ferdinandum Aragonium & Iſabellam Caſtellenſem tenuêre? nonne per hæc tempora ſtatus rerum talis, tam miſerabilis deploranduſque fuit; ut nullus eſſet cruciatus, quem ab immanibus barbariſque victoribus non perferrent Chriſtiani, & nulla eſſet facies mali, quo Hiſpaniæ non opprimerentur? Conſidera jam, *Retwizi*, & portentoſos Turcarum ſucceſſus, nationis parricidalis, & Chriſtiani orbis excidium anhelantis; cujus ſtupendæ potentiæ omnes Vandalorum, Gothorum, Saracenorumque vires conjunctæ luſus futuræ fuiſſent: nonne vero illi olim ex Perſide pulſi a Tataris, indeque in Aſiam minorem profugi, ibidemque nova imperii arce conſtituta, nonne poſt deinde de medio ſuſtulerunt regulos Caraſinios, Saruchanes, Aidinoglios, Germeanios, Techretines, Iſmyroglios, Menteſios, Caramanoglios, Burchanadines, Iſfendiares? Nonne præpotentes illos Sultanos e collegio Mamelucorum Ægyptios, cum Aladeuliis, & Africanis Tataricíſque nonnullis Principibus, partim delevêre, partim in ſervitutem redegêre? nonne duo Græcorum imperia, Conſtantinopolitanum & Trapezuntium; regna Theſſalorum, Macedonum, Peloponneſi, Epirotarum, Bulgarorum, Serviorum, Bozinenſium, Valachorum, Georgianorum quoque, Armeniorum, Cypriorum, & Pannonum intercepêre? nonne quotidie adhuc, captata occaſione, ubi ubi poſſunt, Chriſtianorum, aliorumque quorum-

Leonclav. l. 1. H. Muſulm-Turc.

rumcunque vicinorum fines atterunt; ac compedes minitantur Aquiloni, Occidenti, & Austro? nonne in ipsis Germaniæ quasi suburbiis jam castra metantur? Et quis exemplorum huc facientium sit finis? Ecce autem præter sententiam meam intempestive producta disputatio est: quam tamen subabsurdæ Propheticorum dictorum interpretatiunculæ, & arrepta vel ex trivio quoque maledicta tua, *Retwizi*, accendebant. Pergo. *Religionem* unam, *Retwizi*, facilius in uno regno vel provincia optaveris, quam inveneris: sectarum licentia eo usque jam progressa, ut Deus non solum assiduis sollicitandus precibus, ut *Fidem nostram adaugere*, verum etiam rogandus sit, ut *Fides nostras diminuere* velit; cum nullo ab hominibus conditis natisque tempore plus Fidei Perfidiæque fuerit. Nam cui incognita sunt polemicæ hodiernæ Theologiæ studia? odia partium plus quam Vatiniana? æstus factionum implacabiles? Geritur bellum, ut inter hostes; non, ut inter adversarios, disceptatur: & nullam furiosi quidam Theologi pietatem probant, nisi pulvere pyrio conditam, & gnaviter crudelem impudentemque. De concordia redintegranda, de coalitione resarcienda, de pace dirupta ferruminanda, vel hiscere audere & mutire, ineluibile quoddam scelus est. O quandò igitur inter nos illæ notæ, *Catholici Pontificii*, *Catholici Lutherani*, *Protestantes*, *Calviniani*, & id genus; o quando cessabunt; & fiet unus Christi grex, & unum ovile? En erit unquam ille dies,

Rich. Montacutius.

cum Doctores & coryphæos ſcriptores, penes quos in Religione fere ſumma rerum eſt, hæc pia occupabit cogitatio? Enimvero ſatis, ah! plus ſatis ſtudio partium undique hactenus eſt datum: ſatis turbarum in Europa excitatum. Et ignoſcant mihi, rogo, Theologi, etiam qui noſtrarum partium, quos omnes omni culpa liberare non poſſum, ignoſcant, aut magis agnoſcant, quod nunc dicam. Vt rabulæ quidam & latratores inter Juriſconſultos ſunt, homines clamoſi, turbulenti, & quibus omne cerebrum in lingua eſt: ſic inter illos Theologos reperire eſt aliquos, qui caninam facundiam exercent, & nocent potius, quam docent; incurrunt, perdunt, diſſipant; mali diſcipuli illius, qui omnia factus omnibus, ut ſervaret omnes; calumniam pro charitate uſurpant, dentem pro lingua; & toti in eo, ut litem ex lite ſerant, ne coeat unquam & conſpiret Chriſtianum hoc corpus; iidem, quod mirêre, in re ſua accuſatores, judices, teſtes. Et iterum: ſicuti eadem ampliſſima Juriſconſultorum natio fere nunquam deſtituitur præferocibus & importunis novatoribus, qui criticam ingenii ſui ſecurim etiam ipſis Imperatorum legibus confidentiſſime admoliri audent; quorum immaturas correctiones ſæpenumero non levia ſententiarum divortia inter Doctores, cum non parvo veritatis ac juſtitiæ præjudicio, conſequuntur: ita quoque & ſanctiſſimus Theologorum ordo nonnunquam ſuos habet præfervidos & imperioſos Ariſtarchos; quibus

Caſaubon. in Ep ad Ducæum.

Lipſ. in Ep. ad Io. Eſychium.

bus palmarium & veluti Theologiæ caput eſt, myſteria Religionis & Fidei articulos legibus humanæ rationis ac ſcientiæ aptare; ſimplices & piſcatores Apoſtolos ad Ariſtotelis, Scoti, Thomæ, & id genus Diſputatorii regni magiſtrorum ſcholas deducere; demum hoc agere, ut potius perenni Theologico-Philoſophicarum argutiarum diluvio diſcipulorum atque auditorum animos inundaviſſe, aut & Rhetorica ſuaviloquentiæ copia obſtupefeciſſe, quam illuſtribus vitæ inculpatæ exemplis veram pietatem & Mundi hujus contemptum docere voluiſſe videantur: cui peracri Diſputationum & Declamationum pluſquam Theologicarum ſtudio ſi privatorum adfectuum & præſertim ambitionis acceſſerit fermentum, plerunque contumaciſſimæ inde oriri ſolent de religione diſſenſiones, quæ non minus Reipub. & populo inferunt vaſtitatis, quam externa bella, quam fames, morbive, quæque alia terris incumbunt tanquam peſtes quædam. Scilicet P.Cunæus deRe.Hebr.

Reges belligerant, faciunt & fœdera Reges; Ovven.
eſt aliquid, ſera denique pace frui:
Presbyteri certant, atque immortalia nectunt
jurgia; litigiis non poſuêre modum.
Vnde venenatæ levis inclementia Linguæ;
&, quam ſit Calamus *ſævior* Enſe, *patet.*

Etſi & inter Politicos nonnunquam reperiuntur, qui officii ſui terminos gratia Principali prævecti Dictaturam Religionis ſibi ſumunt, & faciles Principes nullo negotio ad opiniones ſuas

ver-

verborum diarrhæa movent; quasi illi Theologiam e cœlo cum Jovis diphthera accepissent. Interim autem, dum illa Religionum discidia vigent, de Republica non desperandum est. Laudatur Constantini edictum, per quod poterat quisque vacare DEO secundum suam sectam; etiam, ut ad alteram Religionem transire posset. Et melior est Religionum multitudo, quam carnificina conscientiarum: illa habet superstitiosos, hæc atheos; illa plures Divini numinis habet cultus, hæc nullum. Præterea, noli timere *Retwizi*, ne *altitudo corporum* ingenio & virtuti Germanorum aliquid deroget: tametsi parum aberat, quin vitio verteres & Julio Cæsari atque Scipioni Africano excelsam staturam. Vt plerunque arces & palatia excelso loco posita incolunt summates viri: in Pragensi enim & Lincensi arce habitat Imperator: in Vaticana Pontifex: in Heidelbergensi Elector Palatinus: in Tubingensi Dux Würtembergicus: in Marpurgensi Landgravius Hassiæ: sic natura ipsa magnis Germanorum mentibus domicilia corporum digna plerunque metatur; & ex eorum vultu & decore membrorum colligi potest, quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator. Nec Poetarum, nec etiam Senecæ, & Valerii Maximi, hic facimus maximi sententias, quibus robur & sapientiam dissociant; cum alii viri maximi, & trita illa parœmia nobis suffragentur, εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Minus adhuc moramur dicterium *Bartoli*; viri quidem magni, sed nisi, quam in humanioribus literis,

A Gentil. de I. belli l. 1. c. 10.

in

in Historiis, & publico jure toties prodidit infantiam, accuratissimo in privatarum rerum legibus judicio emendasset, ne inter doctos quidem, nedum magnos referendi. Scilicet qui morbus plerisque hominibus de Schola solet esse familiaris, etiam incesserat Bartolum, unde curiose quærebat, Eccur Vlpianus *in l. 1. de jurisdictione* dixerit, *jus dicentis officium latissimum est*, & non potius *longissimum?* & mox inter caussas referebat, *quia longi homines sunt raro sapientes.* Ratio profecto vix Mopso aliquo, nedum tanto viro digna: qua tamen illa *in l. hostes. ff. de captiv. & postlim. revers.* nihil est melior; ubi scribit Bartolus; *fortasse esse hæreticum, dicere Imperatorem non esse dominum totius mundi, propter Evangelii verba; Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.* At voluptatum esse sectatores in Germania, verum est, *Retwizi*: sed non illa insania, ut tu opinaris: & alibi, mi amice, est ejusmodi mancipiorum plus. Populus

Vide I. Barclaii vind. in exā. prol. Bellarm. n. 19. de Bart.

——————optimus ille est;
qui minimis urgetur.

Multa quoque nobis vitia consuetudo exterorum adspersit: ut morbus Gallicus, pestis, oculorumque dolor vicina corpora adficere solent.

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi:
multaque corporibus transitione nocent.

Ebrietatem tamen Germanis improprie fecisti propriam; & dabo tibi totas familias, quæ temperatissime bibunt. Quis facile videt temulentum & madidum inter *Austriæ Archiduces?* Et quantum

tum jam procerum agmen trahit laudatissimum tantorum Principum exemplum? Olim *Novellius Torquatus* Mediolanensis (Gallus hic fuit) inter celebres potores hoc encomium meritus est, *quod tres congios biberit uno impetu, ἀπνευστὶ, spectante miraculi gratia Tiberio Principe.* Et fuit in eo hæc gloria rara, (quando & hæc ars suis legibus constat) *non labasse sermone, nec levatum vomitione, non altera corporis parte, dum biberet: matutinas obisse vigilias: plurimum hausisse uno potu, plurimum prætere a aliis minoribus addidisse: optima fide non respirasse in hauriendo, neque expuisse; nihilq; ad elidendum in pavimentis sonum ex vino reliquisse, diligenti scito legum contra bibendi fallacias.* O potorem numeris omnibus perfectum! Quis contendet? Non tu *Cicero fili*, magni patris degener soboles, qui *duos congios simul haurire solitus es.* Contendere tamen ausurus fuisset famosus ille *Bonosus*, Hispaniensis, origine Britannus, sed Galla matre, rhetoris, aut pædagogi literarii filius, qui etiam imperium cum Proculo invasit, omnesque Britannias, Hispaniam, & Braccatam Galliam sibi vindicavit; ille infelix licet in Martis militia, sed hac Bacchi mirificus, & juxta vel supra Torquatum istum Tricongium ponendus, *bibit*, ut Flavii Vopisci Syracusii verba sunt, *quantum hominum nemo. De hoc Aurelianus sæpe dicebat, non ut vivat natus est, sed ut bibat. Quem quidem diu in honore habuit, caussa militiæ. Nam, si quando legati barbarorum, undecunque gentium, venissent, ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret. Ipse quantumlibet*

Plin. H. N. l.14, c. 22.

Cuspin. in Probo. Lips. Epist. de Potorib. & Edonib.

libet bibisset, semper securus & sobrius, &, ut Onesimus dicit scriptor vitæ Probi, adhuc in vino prudentior. Habuit præterea rem mirabilem, ut quantum bibisset, tantum mingeret, neque unquam aut ejus pectus, aut venter, aut vesica gravaretur. Is ipse Bonosus, cum victus a Probo laqueo vitam finisset, joco locum dedit, *amphoram pendere, non hominem.* Patrum quoque memoria *Shanus O-Neal*, potens Vltoniæ in Hibernia regulus, crudeli quod in Anglos conceperat odio clarissimus; quippe qui & castrum, quod in lacu *Eaugh* construxerat, *Feoghnegall*, id est, *odium Anglorum* nominavit; *quosdam e suis strangulavit, quod Anglico pane vescerentur*: ille vero, qui patrem dominatu, fratrem nothum vita spoliaverat, homicidiis & adulteriis contaminatissimus, helluo maximus, tanta contentione & studio ebrietati famulabatur, ut ad corpus vino & *aqua vitæ* immodice hausta inflammatum refrigerandum sæpius mento tenus terra conderetur: sicuti & inter pocula postea fuit contrucidatus. Sed quis unius Shani flagitia toti Hiberniæ, nisi iniquus; quis omnibus Hibernis nisi demens impegerit? Quis item ob amphoram Bonosum, omnes Britannos aut Hispanos *amphoras*; ob bicongium Ciceronem, omnes Italos *bicongios*; ob Torquatum tricongium, omnes Gallos *tricongios* sine ingenti calumnia dixerit, scripserit? Nec etiam unius Eobani bibacitas propriam ipsi maculam cæteris poetis, nedum toti Germanorum nationi, fecerit communem. Alias eodem jure alte-

Camden. in Ann. Angl. ad An. 1567.

rius poetæ sobrietate & repulero istam communem injuriam, simulque fecero sobrios & poetas omnes, & Germanos omnes. *Henricus* enim *Glareanus*, quem Imp. Maximilianus I Coloniæ laurea poëtices insigni coronavit, & eximio annulo donavit, cum is aliquando in convivio a quodam importunius urgeretur, uti propinanti satisfaceret, *Ecquem vero tu me esse putas?* ait Glareanus: & cum alter *virum probum atque doctum* respondisset; tunc addit Glareanus, *Ergo ne cane meo sim indoctior, quamdiu sitio, tamdiu bibendum esse scio.* Ita minime abnuerim, immemorabilem illum *Wenceslaum*, qui pessimis infantiæ suæ ominibus (matrem enim in partu exanimavit; fontem S. baptismatis, ut & aram, in qua secundo ætatis anno Bohemiæ Rex coronabatur, ventris purgamentis fœdavit) omnem futuræ vitæ fabulam prodiderat, nimis quam madidum & ebriosum fuisse: cum & tot aliis sceleribus fuerit obsessus, ut ei nullum vulnus nisi per cicatricem infamiæ fere imprimi potuerit: de quo etiam fertur, adeo natura ferum & sanguinarium fuisse, ut assiduum penes se *carnificem* haberet, quem *Compatrem* familiariter appellabat, quia filium ejus de fonte sacro levarat; & tam familiariter eo utebatur, ut aliquoties uno eodemque equo secum vehi illum passus fuerit: sed quis tam sit effrons, ut delicta unius Wenceslai propria, faciat communia omnium Germanorum? Et ubi terrarum hodie Wenceslai sunt? Vivitur & bibitur apud Germanos modestius; neque ita immodera-

M. Adā. in Glareano.

Cuspin. in Wēceslao. Megiserus in Chr. Carinth. l.9. c.34.

Dubrav. l.23.

derate, ut, *Iacobi* Menochii judicio & verbo *palmam ferant bibaces Germani*; neque ita ſpurce, quod *Henricus Stephanus* falſo refert, *ut quot illi calices ſuper menſam, tot matulas ſub menſa habeant, aut omnia vicem matularum præſtent.* Bibitur quidem a multis liberalius; ſed ſine gravi Reipublicæ damno. Poeta quidam Germanus Italis, Germanorum ſitim vehementiorem carpentibus, argute reſpondit: lib.4. Præſ. 152. n.32. in Apol.pro Herodoto.

Vt nos dulce merum, ſic vos Venus improba vexat,
Lex lata eſt Veneri Iulia; nulla mero.

Et ſi ſuus cuique populo adhæreſcit error; maneat, maneat iſtud vitium noſtris, dum graviora abſint, levitas, fraus, dolus, perfidia, perjurium, blaſphemia, immodica ſed & inconceſſa Venus in nuptas, in virgines, in puellas, in pueros, in bruta animalia; quibus maxime urgentur exprobratores noſtri. Sed alienis vitiis non tego noſtrum; ſi modo noſtrum eſt, quod commune eſt: cum habeam certum, hodie *nulla in parte mundi ceſſare ebrietatem.* Quinetiam ſuadent viri prudentes, nonnunquam & uſque ad ebrietatem veniendum eſſe; non ut mergat nos, ſed ut abducat nonnihil animos in altiores curas defixos. Vt enim morbis quibuſdam, ita & triſtitiæ medetur; nec raro conſilia non liberiora tantum, ſed & meliora cudit, in quibuſdam præſertim ingeniis. Ita Cluv.Ger. A.l.1.c.19. Plin. H. N. l.14.c.22. Seneca de Tranq.an. c. ult.

narratur & priſci Catonis
ſæpe mero caluiſſe virtus. Horatius.

At quiſquis objecerit Catoni ebrietatem, facilius hoc Seneca d. l.
cri-

crimen efficiet honestum, quam turpem Catonem. Festivus & salsus, more suo, est Bilbilitanus poeta, qui sic de Apro quodam:

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Servum sic ego laudo, non amicum.

De *fortitudine* Germanorum, Retwizi, omnia bella, quæ fere in toto orbe geruntur, testantur. Disciplina quidem deficit alicubi; ut apud nationes omnes: male tamen, & fere dixerim dolo malo, malum hoc adscripseris militiæ Germanorum universæ. Omnis τάξις a bene composito imperio est: sic & bellica disciplina. Da querulis Hungaris *Schwendios*, *Ruberos*; da *Fronspergios*, *Schertelios*; da *Tieffenbachios*, *Collenitios*; da *Mansfeldios*, qui cum summo imperio præsint militiæ: ac desinent illi conqueri, quin potius adgnoscent, ubicunque Germanus miles fuerit, meram ibi habitare securitatem, innocentiam, adeoque in medio belli ardore a militarium laborum æstu pacis ubertatem & bonam copiam affluere. Equidem aliquoties ex immortalis herois CAROLI MANSFELDII ore excepta vox est, qua testabatur, Malle se mori, quam permittere, ut militis libidini adflicta rusticorum gens exponatur; se cum exercitu Cæsareo in solatium miseris, non detrimentum egenis advenisse; juvari, non excoriari incolam oportere: ac promittebat fortissimus imperator, Se oppressos colonos tantopere a rapaci militis manu defensurum, ut mortuum sint inter sanctos relaturi. Nec fides defuit promissis: ac si huma-

N. Gablmã. in Militia Mansf.

humanis votis ſecundum priſcos gentilium ritus novi Dii conſtituerentur, jamdudum eſſet *Carolus Mansfeldius Deus*, benefactis ſuis apud Hungaros Iovi par. Erant multi, qui præ lætitia & ſummo gaudio militaris diſciplinæ, tandem miſeris patronum, & raptoribus ſeverum judicem veniſſe, lacrymas profundebant, cœlum aſpectantes, ne DEUS adflictos homines iſta felicitate privaret. Ventitabant crebriuſcule Hungari ruſtici cum munuſculis, pane, gallinis, ceraſis, & id genus tuguriolorum ſuorum paupertatibus; quos de injuria militum querentes ſolabatur juſtiſſimus dux, Se vivo nihil paſſuros, ablata reſtitutum, aut poſſeſſores capite minutum iri. Veteranus furtum attritæ veſtis ſuſpendio luebat. Neque erravero, ſi exemplo Scauri dixero, Pomiferam arborem in medio caſtrorum poſitam ab exercitu Mansfeldici imperii gnaro eſſe intactis fructibus relictam. Eques apud Comaronium ſepimento tranſmiſſo ceraſis inſidiabatur: cui alter, *Cave*, ait, *mi frater*, *ceraſum attingas: quia Mansfeldius omnium eſt cuſtos, quotquot in Hungaria creſcunt.* Tum ille, *Funem tanti non emo.* & gulæ victor ex horto ad ſtationem ſuam reverſus eſt nulla omnino arbore attrectata; tametſi plurimæ nigerrimis ceraſis aquantes oculos blandimentorum matres invitabant. Atqui pro Germanorum *Militari Gloria* plene & luculente dixit excelſus Princeps, *Franciſcus Carolus Dux Saxoniæ*, ac te, antequam contradiceres, ſolidiſſime confutavit. Turca autem (cui nullo timoris

ris aut ignaviæ argumento, ſed temporis cauſa, ut Hungari brevi pace perennes bellorum moleſtias concoquerent, aliquid argenti, non tributum, datum eſt) multoties ſuo detrimento expertus eſt, etiam multitudinem ipſius, noſtræ paucitati imparem eſſe. Id quod inprimis patuit in nobili illa Creſteſiana pugna: qua MAXIMILIANVS Archidux, Imp. RVDOLFI II frater, XXXIX millia maximam partem Germanorum oppoſuit amplius CL millibus Turcarum, adeoque ipſimet præſenti Sultano Muhameti III. Ordinata enim utrinque acie, ac barbaris ſparſo truci ululatu procurrentibus, cum ſecundis aliquot velitationibus noſtrorum animi duplicarentur, tanta inde vi & ardore promotæ victrices fuêre aquilæ, ut tribus hoſtes præliis victi XX millia promptiſſimorum militum præter numeroſiſſima impedimenta amiſerint, ac poſtremo in foedam fugam effunderentur. Sultanus, qui extra caſtra ſub tentoriolo complicatis cruribus humiliori plicatili ſcabello cogitabundus, exitumque pugnæ expectans ſedebat, ſimul ac a Cicala contento curſu advolante intellexit, Cæſarianos incumbere & urgere, repente & ipſe conſcenſo equo fugæ ſe commiſit curſu tam rapido, ut eam noctem nuſquam ſubſiſtendo, alterius diei medio ad Solnoccum perveniret. Nec otiabatur fama, quæ CPolim fuga Sultani, quem Diis proximum & inſuperabilem barbari fingebant, & tergemina exercitus Sultanici cæde nunciata, continuo urbem, palatium, ac gynæceum Prin-

Iſthuanff. H. l. 30.

Principis, lacrymis, luctu, doloreque implevit. Licet autem præpostera prædandi libido non parum post corruperit perillustrem hanc victoriam: nihilominus manifestaria jam res est, Osmanidæ potentiam & vires, quas equidem tunc ex selectissimis omnium suarum provinciarum militibus conflatas habebat, non esse tam formidabiles, ut Dei aspirante Gratia a Germanorum robore reprimi & superari non possint. Maximilianus, qui ingenti ausu stataria pugna de summa rerum cum Turcarum cuncta potentia decernere nil veritus erat, ea re præclarissimo eulogio ornatus est ab hoste quoque. Proximo enim anno, redintegrato 1597.
bello, & Papensi præsidio ad deditionem ab Archiduce compulso, Semenderes, qui loco præerat, ad Franciscum Dersffium transactionis causa ultro citroque commeantem, *Redito ad Archiducem,* inquit, *referq; meis verbis, Me ei arcem ut omnium audacissimo & maxime glorioso Principi & bellatori, æqua pactione traditurum; cujus ego vel nomine audito in admirationem & stuporem rapior, qui ausus sit cum longe potentissimo terrarum orbis domino & Principe, innumerabilibusque & invictis ejus copiis æquo Marte dubiaque victoria congredi, quem nos nec conspectum illius intueri aut expectare ausurum putabamus. Quod si alter quispiam, sive is Princeps, sive Dux, sive Imperator foret, mori maluissem, quam verbum de deditione effari. Orare me per ejus dextram, fide virtuteque præstantem, ac magnanimitatem cunctos mortales supergressam, ut mihi arcem tradenti cum sociis, equis, armis, rebusq; omnibus*

bus incolumi & securo abire liceat. Sic quoque & Galli, Itali, Hungari, & alii, nostros *Reiteros & Landsknechtos*(hoc posterius militis genus Imp. Maximilianus I in orbem introduxit primus: & habent hi Landsknechti more *(a)* Romano non quidem antiquissimo *(b)* illo, quo habere non licebat, suas conjuges comites) laudibus fortitudinis cumulant summis. Præcipuum vero nuper Hispanis specimen dedit *Belgium*, quantum virtus Germanorum in armis possit; adeo ut si pro *coronis aureis* illis Hispanorum domitoribus, & cumprimis magno illi MAURITIO NASSOVIO, nemini veterum ducum animi magnitudine, consilii solertia, bellicis virtutibus, ac rerum gestarum gloria secundo, sint dandæ *laureæ*, nec speciosissima Zeelandiæ laureta satis sint futura. Et quæ peculiaris, nec reticenda GULIELMI LUDOVICI Nassovii Comitis, de Fœderatis item Belgis longe optime meriti, laus est: Videns enim dux prudentissimus, utilia antiquorum militaria præcepta, de instruenda acie, celeritate in vertendo, restituendo, stipando, laxando, sine ulla ordinum perturbatione (quæ scientia Græcis ac Romanis celebres adeo victorias dederat) vetustate sui penitus ex hominum memoria abiisse, neque inter Præfectos militares quemquam talium gnarum reperiri: Etenim apud exercitatissimas quoque gentes, una tantum quadrati agminis forma, cujus haud perpetuus usus, unaque convertendæ aciei ratio obtinebat, qua universum agmen sensim, & unius hominis instar movetur: quod angustis

(a) Tot. tit. C. de uxoribus milit. Balduin. de LL. Const. M. lib. 2. (b) Lips. ad .l 14. An. Tac. & l. 5. de Mil. Rom. dial. 18. Dempst. ad Rosin. Antiq. R. l. 10. c. 12.

Reidan. Annal. l. 8.

gustis locis, aut propinquo hoste fieri nequaquam potest; Ob hæc Nassovius nulli studio, nullis laboribus pepercit, in inquirendis quæcunque veteres tradidissent. Ante alios *Leonis* Cæsaris doctrinam secutus, assidue legionem suam exercebat, pro quadratis ut mos habebat, oblonga, eaque exigua, formans agmina. Hæc variis se modis vertere, tum totas simul catervas, tum quemque militem erudiebat, ut primi novissimo, extremi principe starent loco: omniaque ea non in angustis minus, quam spatiosis campis, summa fiebant celeritate, etiam quando hostis tertio tantum jactu abesset. Exordia ut molesta, ita ob novitatem rei absurda nonnullis visa, hostium quoque ludibria meruêre; cæterum adjecto tempore, summa rei utilitas percepta, & diligentissime in his militem suum *Mauritius* exercuit; cujus exemplum nationum reliquæ secutæ sunt. Quid etiam dicendum esset de nostris *Helvetiis*, Gallorum quasi Diis tutelaribus, viris fortissimis; quos Julius II Pontifex *Defensores Ecclesiæ* vocavit? Facilis autem fuit tibi transitus, *Retwizi*, a militia neglecta ad *Nobilitatis* decrementum. Sequor te ducem. Olim Nobilis erat, qui vel ipse splendorem & prærogativam illam intulerat in familiam, vel majorum imagines novis meritis exornaverat: nemo facile Nobilitatis nomen sine virtutum satellitio gerebat. Ita Nobilis simul erat fortis, prudens, temperans, mansuetus, affabilis, humanus. Sed hodie, da hominem majorum virtute & dignitate celebrem, cætera buc-

Simler de Rep. Helv. l. 1. Iov. H. l. 11. & 15.

Rrr co-

conem, blennum, fastosum, bardum, asinum; & tamen eundum *Strenuum & Nobilißimum* appellitari audies. Vt loca sordida repercussu solis illustrantur: ita inertes majorum suorum luce resplendent. Sed o vivamus, mei Germani, moribus antiquis, Virtutemque cum Nobilitate stabili & æterno conjugio jungamus; planeque ad leges *Torneamentorum* Equestres *Henrici Aucupis*, Imperatoris laudatissimi, nos componamus! Nemo ita Nobilitati nostræ convitium facere audebit, nemo extraneus se se æquiparare nobis poterit. Verum enimvero, *Retwizi*, ut illustres & antiquas familias publica plerumque sequitur veneratio: ita & novæ virtuti portæ Nobilitatis merito patent: ut illis deficientibus sint aliæ, quæ Reipublicæ immortale decus sustineant. In literis cujusdam magni Baronis nuper legi; *intra sexcentos annos in Austria mille & quingentas, atque amplius, familias Nobiles extinctas esse*: ut ita res sit non adeo mira, si *novorum hominum*, ut tu loqueris, sit plus illic quam in aliis provinciis. Quanquam vetustæ & perillustres familiæ non paucæ etiamnum ibi supersunt: & quidem ex Comitum & Baronum classe, *Liechtensteinii, Losensteinii, Polhemii, Puchemii, Starhembergii, Streinii, Stubenbergii, Traunii, Zelkingi, Zinzendorffii, Rappachii, Scherpsenbergii, Eizingi, Hardeccii, Hofkirchii, Rogendorffii, Tschernembliii, Vngnadii*; alii: nec, qui sunt in Equestri Ordine antiquissimæ stirpis, nunc enumero. *Novos* etiam, tuo sensu, *Retwizi*, non possum facere illos, qui virtutum gloria

Sen. de Benef. l. 4. c. 30.

I. V. B. S.

Retw.

sunt

sunt veterani. Quamvis enim in novis familiis promercalem originem nemo non contemnat, & abominetur: quis tamen ita sit in virtutem injurius, si quem videat rebus præclare gestis admirabilem, quin veram nobilitatem agnoscat, & dilaudet? *Vdalricus Ciliæ Comes*, cum *Ioannem Hunniadem* regni Hungariæ Gubernatorem alloqui cuperet, neque ille recusaret, si apud se in castra convenirent: *Non ego*, inquit, *Princeps ex Principe, altaque familia natus ad te veniam novum hominem, & nostra demum ætate nobilitatum.* cui Joannes: *Non*, inquit, *tuis majoribus, sed tibi me comparo. Quanquam neque illis cedam: qui pugnando pro Christiana religione nobilitatus, majus lumen posteritati meæ comparavi, quam illi, qui ad te detulerunt. Atque ut in te Ciliensis Comitatus turpiter extinguitur: ita in me gloriose Bistricensis exoritur.* In *Literis* autem, quæso *Retwizi*, ne confunde vetera & hodierna tempora. Hodie cum aliis gentibus collati (absit jactantia) nulli cedimus. Et ille sanctissimus in literas amor in omnibus ætatibus ita passim prævaluit, ut non tantum, tuo verbo, nucum putamina interdum laureis baccis, quod non valde probo; verum etiam discendi desiderio virilis ætas tyrocinio misceantur. AVGVSTVS Septemvir certe, præcipuæ auctoritatis Princeps, serenissimi JOANNIS GEORGII Saxoniæ Electoris avus, exemplo Othonum Imperatorum gentilium suorum jam corroborata ætate linguam Latinam didicit. Et quod ad prægrandes illas librorum moles, quas popula-

Æn. Silvius Paral. Alf. l. 2. c. 29. adde. G. de Rod Ann. Austr. lib. 6.

Th. H. l. 45.

ribus nostris cum aliqua crassioris ingenii nota objiciis, pertinet: nec ego quidem ex eorum sum numero, qui libros, ut agros, decempeda metiuntur. Qualis forte priscis seculis fuit *Colophonius Antimachus*: vel literator ille *Didymus*; qui, ut ab autore gravissimo Seneca memoriæ proditum est, *quatuor millia voluminum* conscripsit, anilibus referta nugis, & his puerilibus quæstiunculis; *quænam Homeri fuerit patria? quæ vera mater Æneæ? ebrietati an libidini magis indulserit Anacreon? an Sappho corpore quæstum fecerit?* aliaque id genus congessit, in quibus miseros Grammaticos Cæsar exercebat Tiberius. Absterret me ab iis ineptiis nescio quis apud Suidam *Callimachus*, & cantilenam suam insusurrat, τὸ μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Verum rationibus objectionis tuæ bene pensiculatis, deprehendere est, illam calumniæ perquam affinem esse; mirarique subit, quod non & tritam istam de *magno libro Tubingensi* fabulam novo aliquo emblemate & commentario illustratam nobis denarraveris. Quod si tamen ex tua opinione omnes magni libri indicium sunt magni quidem laboris, sed judicii ingeniique non valde magni: age vel doctissimos Italorum, Gallorum, & Hispanorum, e bonæ famæ, æternis literarum monumentis partæ, tabulis expunge statim; & eadem opera præ *M. Luthero, Ioan. Brentio, & Æg. Hunnio*, nostratibus, *Cæsar. Baronium, Rob. Bellarminum, Ioan. Calvinum, Th. Bezam, B. Ar. Montanum, & Gr. de Valentia*, dic rudes indoctosque: præ *Vdalrico Zasio*,

Passeratius præf. in Or. Cic. pro A. Licin.

Epist. 88.

Suet. in Tiberio c. 70.

Das grosse Buch von Tübingen.

Zaſio, *Ioan. Oldendorpio*, *& H. Roſenthallio*, noſtratibus, *Dominicum Cardinalem Tuſcum*, *Iac. Menochium*, *Ioſ. Maſcardum*, *Andr. Tiraquellum*, *Iac. Cujacium*, *Did. Covarruviam*, *& L. Molinam*, dic illiteratos inconſultoſque: præ *L. Fuchſio*, *A. Veſalio*, & *Thom. Eraſto*, noſtratibus, dic *H. Mercurialem*, *G. Fallopium*, *I. Fernelium*, *A. Laurentium*, *Amat. Luſitanum*, & *Rod. a Caſtro*, ignaros atque germanæ Medicinæ vacuos: præ *Ioach. Camerario*, *Iac. Schegkio*, *R. Agricola*, *& Iuſto Lipſio*, noſtratibus, dic *Iac. Zabarellam*, *Fr. Picolomineum*. *Ioſ. Scaligerum*, *Had. Turnebum*, *Æl. Antonium Nebriſſenſem*, & *L. Vivem*, imperitos barbaroſque: aut ſi tantos viros talibus appellationibus ſine ſumma temeritate inceſſere non potes, aut nec audes: vel tandem animadverte melius edoctus, extrariam illam, quam odium & malignitas genuerunt, & turpem eſſe calumniam hominum rabioſæ eloquentiæ, qui quoſcunque Germanorum magnos libros argumentum eſſe putant doctrinæ exiguæ, aut non ſatis ſubactæ. Quæ tibi ſic exputanda propono, non quod ſine diſcrimine quoſvis prægrandium librorum conſarcinatores, qui plura fere quam legerint ſcribunt, excuſare cupiam; ſed quia prudentis cenſoris eſſe exiſtimem, moles chartarum futilium ab utilibus licet grandiuſculis voluminibus diſcernere, nec malitiæ ſuſpicione abſolvere poſſim, qui tot gentium communem multa perſcribendi morem unis Germanis proprium facere ac contumeliose adſcribere velit. Quid? quod jam olim

l. 5. Ep. 20. *Plinius Iunior* asserebat, *ut aliam bonam rem, ita bonum librum meliorem esse quemq;, quo majorem.* Cui cum quidam brevitatis admirator autoritates obverteret, & quidem ex Græcis ostentaret Orationes *Lysiæ*, ex Latinis *Gracchorum Catonisque*, quorum sane plurimæ fuerunt circumcisæ & breves: ille Lysiæ *Demosthenem*, *Æschinem*, *Hyperidem*, multosque præterea; Gracchis & Catoni *Pollionem*, *Cæsarem*, *Calium*, inprimis *Marcum Tullium* opponebat, *cujus Oratio optima fertur esse, quæ maxima.* Plerisque enim orationibus longiore tractu vis quædam & pondus accedit. Vtque corpori ferrum; sic oratio animo non ictu magis, quam mora inprimitur. Videmus, ut statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decoræ, nihil magis, quam amplitudo commendet: idem orationibus evenit: quinetiam voluminibus ipsis autoritatem quandam & pulchritudinem adjicit magnitudo. Nec nos præterit, summum Oratorem *Periclem* sic a Comicis laudari; quod Suadela quædam insideret labris ejus; quod cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis auditorum; quod fulguraret, tonaret, perturbaret Græciam. Verum delectare, persuadere, copiam dicendi spatiumque desiderant: relinquere autem aculeum in audientium animis is demum potest, qui non pungit, sed infigit. Neque etiam amputata oratio & abscissa, sed lata & magnifica & excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miscet. Optimus

mus tamen modus est; quis negat? sed non minus non servat modum, qui infra rem, quam qui supra; qui adstrictius, quam qui effusius dicit. Alius excessisse materiam, alius dicitur non implesse; æque uterque, sed ille imbecillitate, hic viribus peccat; & hoc etsi non limatioris, majoris tamen ingenii indicium est. Atque ut Germanorum nostrorum solidam eruditionem in parvi quoque moduli libellis, systemata scientiarum artiumque elegantissima methodo tradentibus, tibi ante oculos statuam; inspice, quæso, Theologica Compendia incomparabilis nostri M. HAFENREFFERI, *Iac. Heerbrandi*, *C. Dieterici*, *L. Hutteri*; evolve *H. Vulteii* Jurisprudentiam, & *M. Wesenbeccii* Paratitla; lege *J. Heurnii*, *D. Sennerti*, & *G. Iacchæi*, Institutiones Medicas; examina Grammaticam & Poeticam *Giessensium*, *M. Laubani* Etymologiam Græcorum verborum, *T. Erpenii* Manuductionem in Linguam Arabicam, *G. Schickarti* Horologium Hebræum, Logicam *I. Hauberi* & *C. Bartholini*, Rhetoricam *Mart. Crusii*, & *H. Treutleri*, Metaphysicam *Corn. & Iac. Martiniorum*, Physicam *D. Sennerti*, Ethicam *Sam. Hailandi*, Astronomiam *Mich. Mæstlini*, *I. Keppleri*, *H. Metii*; Geometriam *S. Stevini & Pitisci*, Geographiam *P. Cluverii*, Opticam *A. Rhodii*, Arithmeticam *Gemmæ Frisii* & *C. Clavii*, Musicam *I. Lippii* & *S. Calvisii*, atque omnem fere Philosophiam *H. Alstedii & B. Keckermanni*: & dic libere, quantopere sint iniqui illi Germano-mastyges, qui invidia suggerente

vane perstrepunt, alios quidem populos melius scire, sed Germanos plura posse. Addam hic insuper miraculum *Nicasii* Brabanti; qui tertio ætatis anno oculis captus cum desiderium scientias cognoscendi ipsa cæcitate cresceret, animum ad quæcunq; obstantia impedimenta invictum Scholis consecravit; & sic literas, quas nunquam viderat, auditu felicissime didicit, quas nunquam legerat, postea gloriose docuit. Lovanii *Magister Artium & Theologiæ Licentiatus* creatus, etiam singulari ex indultu Pontificis *Sacerdos* ordinatus est: ibique Confessiones audiebat, ad altare ministrabat, Evangelium mente utens pro libro e suggestu recitabat & exponebat; Mechliniæ aliquandiu Scholis regundis laudabilem operam navabat: Coloniæ postremo *Doctoralibus Iuris Canonici insignibus* ac titulis omnium cum applausu ornatus, *Legum Imperialium Professor* extra ordinem factus est; ubi scripsit & edidit in Institutiones ac Sententias libros commentarios, aliorumque argumentorum sermones varios, Quæstiones diversas: monumenta ingenii vel oculatissimo digna. Apage illam quoque opinationem de (a) *Bombardis & Typographia*: inventio nostra est, *Retwizi*, non Chinensium. Autoritatibus certas *Maffeii*, *Boteri*, *Iovii*, & cur non addis etiam *Io. Consalvum Mendozam*, qui affirmabat, *artem Typographicam una cum ipso regno Chinæ habuisse principium, & inventam a quodam, quem incolæ instar numinis venerentur, adeoque quingentis plus minus annis Chinensibus in usu fuisse, antequam a Ger-*

mortuus Colo iix 17. Cal Sep. A Ch. 1491.

Trithem. de script. Eccl. Th. Boz. l. 22. de sig. Eccl. Iac. Middēdor. de Acad. l. 5. p. 153. & 280.

(a) Vide Ch. Besold. de Bōbard. & Typ. Est. Pasq de Rech. de la Fr. l. 5. c. 22. M. Adā. in vit. Faust. & Gutēb Nic. Serar. rerū Mog. l. 1. c. 36. 37. 38. 39.

a Germanis usurpari cœperit? Olim M. Scaurus cum pro rostris accusaretur, quod a Rege Mithridate ob Rempub. prodendam pecuniam accepisset, causam suam apud Quirites ita egit: *Varius Sucronensis M. Aemilium Scaurum regia mercede corruptum imperium populi Romani prodidisse, ait: M. Aemilius Scaurus huic se culpa affinem esse negat. Vtri creditis?* Cujus dicti admiratione populus commotus Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit. At nos Germani, *Retwizi*, majori longe fiducia, & fidei gloria, possumus dicere: *Maffejus, Boterus, Iovius, etiam Mendoza, & alii hujus secta, ajunt Germanos Bombardarum, & Typographia inventores non esse: Germani negant: utris credit orbis?* Et quid respondebit Maffejus *Alex. Valignano* sui ordinis Socio; & qui in Indiis Orientalibus magna cum laude, ut *Io. Hajus* de eo scripsit, Sociis præpositus Provincialis, tandemque ad Taicosamam Legatus Proregis Indiæ, & Sociorum Visitator fuit? cujus in *Admirandis regni Chinensis* hæc verba sunt: *Praterea Chinenses a Lusitanis usum Sclopetorum acceperunt, & magna hujusmodi sulfureorum tormentorum vis in China reperitur: neque dubitandum, exercitatione peritiam iis utendi adepturos.* Videsne *Retwizi*, Lusitanos Chinensibus usum tormentorum sive sclopetorum monstravisse? An vero ignoras, Germanos cum omnibus Europæis illam formidabilem machinam communicavisse? Et, ut Maffejum omittam: quomodo *Boterus & Iovius* contradictione se liberabunt,

Valer. Max. l. 3. c. 7.

qui alibi disertis verbis scripserunt; ille quidem, *I Tedeschi sono stati inventori della stampa, & dell' Artigliaria*: hic autem, *Germani inusitatæ & portentosæ inventionis æreas formas excudendis libris, & formidanda bello ænea tormenta nobis attulerunt?* In *Mendozæ* verbis hanc video pugnam. Si enim Typographia cum Regno Chinæ habuit initium, & illa quingentis plus minus annis in usu fuit Chinensibus, antequam a Germanis usurparetur; hoc erit consequens, Regnum Chinensium, *quos Seres nominavit antiquitas*, supra sexcentos aut septingentos annos non stetisse: quod tamen scriptores omni exceptione majores refellunt, qui Seres inter populos satis vetustos recensent. Audi Senecam, Apostoli Pauli familiarem & amicum: *Possumus nos habitare sine marmorario fabro; possumus vestiti esse sine commercio Serum; possumus habere usibus nostris necessaria, si contenti fuerimus his, quæ terra posuit in summo.* Audi etiam Virgilium, Seneca paulo priorem.

Cosmogr. p. 1. l. 1. de German. Jov. in Elog. Doct. vir.

Pancirol. in N. R. tit 24. de Seric.

B. Hieron. de script. Eccl. Senec. Ep. 6.

2. Georgic.

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaq; , & baccas semper frondentis achanti?
Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?

Jam ad calculum revoca tempora, *Retwizi*; non semel, sed bis, & amplius, numerabis sexcentos annos. Addo insuper, ingens discrimen inter Typographiam Germanorum & Chinensium esse; quod tam libri utrorumque inte se comparati, quam auctores fide digni attestantur; & alio loco explicari poterit commodius. In inventori-

toribus autem noſtris ſinę maxima admiratione hoc nunquam conſidero: quod Monachus, homo literatus, *Berchtoldus Schwarzius*, ſclopetorum machinas; *Ioannes Guttembergius*, vir Equeſtris dignitatis, Typographiæ artem excogitarit; quaſi toti terrarum orbi ſignificare & denunciare voluerint; neque Germanum literatum a militia abhorrere, neque Germanum militem a literis refugere, atque ita utriuſque militiæ, togatæ & armatæ, gloriam ſub Germanorum tutela & imperio quam optime & laudatiſſime vigere, florere, ac creſcere. Alia minutula relinquo: & te, *Retwizi*, ſalvere valereque jubeo; ut in poſterum de Germanis judices honorificentius & rectius.

Jam vero, illuſtriſſime Princeps, FRIDERICE ACHILLES, Dux Würtembergiæ, ad *Relationem* tuam venio propius. Quoniam cum quibuſlibet mundi regionibus ita comparatum eſt; ut ſingulæ ſingularem aliquam dotem & prærogativam habeant, quæ cæteris ſit denegata: nam

hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ: Virgil. Georg. l. 1.
arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi?
at Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
caſtorea, Eliadum palmas Epeirus aquarum?

atque in præſenti de Europæ principatu diſquiſitione & Galli, & Hiſpani, & Britanni, & Hungari, & Poloni, & Itali, & aliæ nationes ſingulæ aliquid proprium laudare poſſunt, ob quod reli-

reliquis omnibus jure anteferantur: quia tamen laudum verarum copia, & augustissima Imperatoria dignitate, alios omnes populos longe exuperant Germani, quod generosissimus Princeps, *Franciscus Carolus Dux Saxoniæ,* demonstravit pulcherrime; ego illi omnimodo adstipulor, & mea quoque sententia Germaniæ nostræ, cum bona tamen aliarum gentium gratia, & sine ullius injuria, tribuo principatum.

PRINCEPS FRIDERICUS ACHILLES, &c. DIC TV *FRIDERICE PLIEningi; & deinde, vos cæteri.*

FRIDERICVS von Plieningen.



EGo, illustrissime Princeps, hanc Germaniæ laudem puto esse præcipuam, quod digne laudari possit a nullo. Quemadmodum tamen eximii Principis, *Francisci Caroli Ducis Saxoniæ*, qui quam ornatissime pro Germania verba fecit, oratio-

tionem exoſculor animitus : ita ſuaviſſimo contubernali & amico meo *Nicolao Burwinckhauſeo*, qui ſumma moderatione ſingulas Europæ provincias, quarum quidem antea facta erat mentio, inter ſe contulit breviter, & principatum attribuit Germaniæ, penitus adſentior.

HENRICVS GVLIELMUS von Panewitz.

ET ego, inclyte Princeps, cum audivi libenter *Burwinckhauſium*; tum etiam prudentiam ejus in ſententiæ dictione ſic amplector, ut plane admirer.

IOACHIMVS von Jaxheim.

SEntentiam *Burwinckhauſii* non tantum aſſenſu approbo meo, ſed etiam dignam cenſeo, quam Germani omnes & calamo & haſta, ubi ubi opus fuerit, maſcule adverſus omnes tueantur.

IOANNES CHRISTOphorus von Welswart.

DIcturienti mihi, optime & excelſe Princeps, *Burwinckhauſius* orationis ſuæ virtute linguam & animum meum hauſit omnem : & hoc tantum nunc habeo dicere, ADSENTIOR.

FRI-

FRIDERICI ACHILLIS DUcis Wirtembergiæ, &c.

CONCLUSIO.



EMO, ILLUSTRISSIMI Principes, cognati suavissimi; frater jucundissime; vosque alii, Barones & Nobiles perdilecti; nemo, inquam, tanta felicitate unquam meliorem Europæ partem itineribus emensus est, quam ego sum his paucis diebus: quibus, nullis viarum difficultatibus involutus, nullis latronum incursibus impetitus, nullis equorum lapsibus eversus, nullis hospitiorum incommodis exercitus; nullis aliis molestiis fractus aut fatigatus, sed ubique locorum bene habitus; tot animo meo collegi memorabilia, ut aliis peregrinatoribus suas narratiunculas lubens relinquam. Video autem vos omnes in eam spem jam erectos, ut quid de hoc prærogativæ certamine, & de vestro tot sensuum dissensu judicem, nunc edisseram. Sed quomodo hoc tempore id possim? Qui enim omnia velit complecti necessaria: non horas, sed dies: dies autem? imo menses sibi optare debeat. Interim hic testificor; me omnes Europæos amare, æstimare, colere: nullam nationem contemnere, crimi-

criminari, odisse. Prædico *Hungaros*, quia sunt Christiani orbis vigiles: laudo *Polonos*, quia sunt animosi: magnifacio *Suecos*, quia candidi, & recti amantes: honoro *Danos*, quia libertatis studiosi: suspicio *Britannos*, quia magnifici: diligo *Gallos*, quia humani: extollo *Hispanos*, quia fortes: *Italos* miror, quia elegantes: sed *Germanos* veneror supra alios populos omnes, quia sunt tales omnino, quales tu, mi charissime cognate Princeps, FRANCISCE CAROLE, Dux Saxoniæ; & tu, mi *Burwinckhausen*, eos nobis descripsistis. Votum meum vestris jungo: Deumque precor, ut invictissimi nostri Imperatoris MATTHIÆ, & inclytorum S. R. Imperii Ordinum consilia & actiones dirigat ad Divini sui nominis gloriam, patriæque nostræ salutem, atque ita Germaniæ felicitati addat perpetuitatem.

Sed quibus tandem verbis, o mei omnes, pro hoc vestro erga me animo gratias habituri estis commemoratu meo? Qua digna ratione tam honorificam benignitatem vestram celebrabo? Nondum sane reperio modum. Et ne quid diffitear: nunc impræsentiarum lætitia facundiæ obstrepit, & cogitatio voluptate impeditur, ac mens occupata delectatione ex Orationibus vestris concepta mavult jam gaudere, quam prædicare. Quid faciam? Cupio gratus videri; sed præ gaudio nondum vacat mihi gratias agere. Animum tamen vobis, cognati & frater, devinctum devotumq; interea offero; & vos, Barones & Nobiles, me semper habebitis promptum volentemque.

EPI-

EPIGRAMMA

IN LAUDEM DEI OPT. MAX.

Non capit immensum numerus; non summa, quod imum est;
Factorisque capax non opus esse potest.
Cur, DEUS, *ergo tuas laudes comprendere coner?*
Sum numerusque, imusque, & quasi pulvis opus.
At SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, *dum lingua frequentat;*
Sancte DEUS, *laudes sic ego canto tuas:*
Sic capit immensum numerus; sic summa, quod imum est;
Factorisque capax sic opus esse potest.

Præscriptio pro Erratorum correctione,

AD LECTOREM.

Censura *Sapiens*, & *Doctus* acumine gaudet:
Stultus at insano carpere dente solet.
Ex tribus his titulis, quem vis, tibi delige LECTOR:
Sic *Sapiens*, *Doctus*, *Stultus* & esse potes.

IN-

INDEX

IN CONSULTATIONEM.

A.

Ant.

Ari-

An-

Au-

me-

B Rei-

Cæ-

Car-

ma-

Clo-

Fr.

nu-

Gi-

Hen.

Hispa-

Iaco-

Io.

Io. Whit-

gen-

Iuli-

Lip-

Mat-

Migra-

N.

Nor-

Par-

Petri-

Pet.

Casi-

Rena-

Rud.

Sige-

Ty-

Vni-

Pag. 735. *lin.* 22. *lege*, Canem Scaligerum.
Cætera operarum παροράματα *cura tua, æquissime Lector, permittimus.*

FINIS.

